BIBL. NAZ
Vitt. Emanuele III.
RACCOLTA
VILLAROSA
B
546
NAPOLI

Digitized by Google

Ex Biblioth. de Rosa
C. 160 -

Digitized by Google

Racc. Vill. B. 546

DE
CAPELLA REGIS
UTRIUSQUE SICILIÆ
ET ALIORUM PRINCIPUM
SEU
DE SACRIS AULICIS REBUS
LIBER UNUS

AUCTORE

JOSEPHO CARAFA

NUNC

EPISCOPO MILETENSI

Editio altera auctior & emendatior.

Biblioteca Nazionale V.E. III NAPOLI

NEAPOLI MDCCLXXII.
Ex Typographia RAYMUNDIANA
SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

Digitized by Google

NEapolitanum Regnum, agrorum ubertate, aeris ſalubritate, locorum amœnitate, amplitudine, opibus, incoliſque nobiliſſimum, ab annis ſupra biſcentum, ſuorum Principum præſentia deſtitutum, & in Provinciarum conditionem, formamque redactum, ætate noſtra ſuos accepit Reges in hac Civitate principe commorantes; quorum præſentia, Legibus, Magiſtratibus, Judiciis, Militiæ, Eccleſiaſticis negotiis, ac rebus fere omnibus, veluti nova facies eſt comparata. In horum rerum numero recenſendum eſt tum ſacrum, tum civile Aulæ Neapolitanæ miniſterium; cui quidem tantum acceſſit ſplendoris, & ornamenti, quantum inter Reges Proregeſque diſcriminis intercedit; ut proinde merito ſanctæ memoriæ Pontifex Benedictus XIV. edita Conſtitutione, priſtina jura Capellæ Palatinæ noſtrorum Principum, & vetera privilegia Capellani Majoris hujus Regni, nedum confirmaverit, ac rata habuerit, verum etiam novis auxerit beneficiis. Hinc mihi enata eſt occaſio ſcribendi de Capella Regis utriuſque Siciliæ; ut olim Turturetus libellum ſcripſerat de Sacello Hiſpano, & Peiratius de Oratorio Regis Galliæ: quo conſilio, ac exemplo, veterem dignitatem, ordinem, & jura Capellæ Regum utriuſque Siciliæ in medium proferre ſtatui; ſimulque hanc ſacrarum rerum, & rituum partem, quæ ad Aulas Summorum Principum ſpectat, illuſtrare, quam nulli hucuſque, data opera, verſarunt. Neque enim in ſola noſtrorum Principum Aula hæreo, ſed ad ſacra domeſtica Imperatorum, Regum Galliæ, Hiſpaniæ, Luſitaniæ, Sardiniæ, & aliorum Principum excurro; tum ut inde conſtet, quibus in rebus Neapolitanorum Regum Aula cum cæteris conſentiat, ac præſtet; tum quia, cum plurima

NAPOLI

Digitized by Google

apud nos ſacra, ob recentem Principis præſentiam, nondum certa lege, & norma definita ſint, facile inde ordinari poſſint, perſpecto aliorum Principum more; tum denique, ut omnibus, ſi quid valeo, ſervirem. Hæc vero omnia breviſſime expedio; & eam ob rem, non mediocrem cum Lectore me iniviſſe gratiam cenſeo, quod plurima paucis complexus, inſigniores omnes ſacras Aulicas cæremonias tradiderim. At ne quis mihi vertat vitio, quod minutiſſima quædam de loco, ſede, & aliis hujuſmodi, ſæpè adnotaverim; haud enim temere id a me factum; ſiquidem perſpectum eſt in cæremoniis ſive civilibus, ſive eccleſiaſticis ſæpiſſime ob hujus generis negotia, quæſtiones graviſſimas, difficultateſque excitari, quæ nulla ſane meliori ratione componi poſſunt, quam prolatis exemplis, vel ab antiquorum, vel ab exterorum moribus hauſtis. Porro in biſce cæremoniis deſcribendis, Latini ſermonis elegantiam minime ſervari potuiſſe; nonnullas quoque uſurpandas fuiſſe voces, quæ Latinam puritatem minime ſapiunt, æquus, & ſapiens quiſquis facile intelliget, veniamque dabit. Addo in hujus Operis calce indicem Majorum Capellanorum Regni Neapolitani, quotquot e variis monumentis invenire potui, cum primus illorum ſeriem ediderim. Denique cum nulla jam ſupereſſent exemplaria hujus Libri Romæ editi anno MDCCXLIX. ex typographia Antonii de Rubeis, ſtatui novam hanc editionem magis auctam, meliuſque ordinatam dare. Atque hæc pauca præfari æquum duxi.

Digitized by Google

INDEX
CAPITUM.

CAPUT I.

DE CAPELLA PALATINA.

An Principes Ethnici. II. Et an Judæi habuerint domeſtica Oratoria. III. Hæc quam antiqua & uſitata apud Chriſtianos in Oriente. IV. Et in Occidente. V. De Oratorio Palatino Imperatorum Orientis. VI. Et Imperatricum. VII. Et Regum Francorum primæ ſtirpis. VIII. Capellæ vocabulum unde deductum. IX. De Capella Regum Galliæ. X. Hiſpaniæ. XI. Angliæ. XII. Luſitaniæ. XIII. Ducum Brigantinorum. XIV. Ducum Sabaudiæ. XV. De Capella Palatina Panormitana ſub Normannis. XVI. Svevis. XVII. Aragoniis & Auſtriacis Siciliæ Regibus. XVIII. De Capella Palatina Neapolitana, regnantibus Andegavenſibus. XIX. Aragoniis. XX. Et Auſtriacis Neapolitanis Regibus. pag. 1

CAPUT II.

DE CLERO PALATINO.

Capellani unde dicti. II. De Clero Imperatorum Orientis. III. De Clero Palatino Regum Francorum primæ ſtirpis. IV. Et ſecundæ ſtirpis. V. Et tertiæ ſtirpis. VI. De Capellanis ſeu Eleemoſynariis Regum Galliæ. VII. De Capellanis Regum Hiſpaniæ. VIII. De Clero Palatino Normannorum Siciliæ Regum. IX. Et Svevorum. X. Et Aragonum. XI. Et Auſtriacorum. XII. De Clero Palatino Regum Neapolitanorum Andegavenſium. XIII. Cui plures docti viri adjungebantur. XIV. De numero & ſtipendio Capellanorum ſub Andegavenſibus. XV. De eodem Clero, regnantibus Aragoniis. XVI. Et ſub Auſtriacis. XVII. De eorum numero, & officio. XVIII. De Confeſſario Regis. XIX. De Eleemoſynario. XX. De Concionatore Aulico. 27

CAPUT III.

DE MAGNO CAPELLANO.

De Protopapa Palatii Imperatorum Orientis. II. De Archicapellano Imperatorum Occidentis. III. De Abbate Oratorii Palatini Regum Francorum primæ ſtirpis. IV. De Archicapellano Regum Francorum ſecundæ ſtirpis. V. Archicapellanus Epiſcopos præcedebat. VI. Quodnam fuerit ejus miniſterium. VII. De Magno Eleemoſynario Franciæ ſub Regibus tertiæ ſtirpis. VIII. Quænam ſint ejus munia in Aula Regum Galliæ. IX. Et quænam ejus partes in ſacro miniſterio. X. De Magno Eleemoſynario Reginæ. XI. De Magno Capellano Regum Hiſpaniæ. XII. Et Regum Luſitaniæ. XIII. Et aliorum Principum. XIV.

De Magno Eleemoſynario Regum Sardiniæ, Ducumque Sabaudiæ. XV. Magnus Capellanus Aulicus debet ex Epiſcoporum Ordine eſſe. XVI. Poteſt etiam Cardinalatus honore frui. XVII. De Magno Capellano ſub Normannis Siciliæ Regibus. XVIII. Et quodnam fuerit ejus officium. XIX. De eodem, regnantibus Svevis. XX. Et Aragoniis. XXI. Deque ejus tunc temporis miniſterio. XXII. De eodem, imperantibus Auſtriacis. XXIII. De Magiſtro Regalis Capellæ ſub Andegavenſibus Neapolis Regibus. XXIV. Quæ fuerint illius munia. XXV. De Capellano Majore, regnantibus Aragoniis. XXVI. Is ex Epiſcoporum numero erat. XXVII. De Capellano Majore ſub Auſtriacæ gentis imperio. XXVIII. De variis hujuſce dignitatis titulis. 54

CAPUT IV.

DE PRIVILEGIIS CAPELLÆ REGIÆ, CLERI PALATINI, ET MAGNI CAPELLANI

I. De origine, & progreſſu privilegiorum. II. In Regno Neapolitano. III. De privilegiis ad Capellas & Capellanos Regios pertinentibus. IV. De hiſce privilegiis in Anglia. V. Et in Aula Regum Galliæ. VI. De iiſdem in Gallia. VII. Præſertim de Cleri Palatini exemptione a reſidentiæ legibus. VIII. De privilegiis Magni Eleemoſynarii Franciæ. IX. Vetera jura Capellani Majoris, & Capellanorum Regum Hiſpaniæ a Leone X. confirmata. X. Tum ab aliis Romanis Pontificibus aucta, & renovata. XI. Ea Paulus V. innovavit, auxit, ac perpetua eſſe declaravit. XII. Privilegia Capellani Majoris Regum Luſitaniæ. XIII. Et ejus Cleri Palatini. XIV. Privilegia Magni Eleemoſynarii Regum Sardiniæ a Benedicto XIV. conceſſa. XV. Dubia, & Declarationes ejuſdem Pontificis circa hæc privilegia. XVI. Alia itidem Dubia, & Declarationes aliæ. XVII. Album exemptorum in Aula Regum Sardiniæ. XVIII. Antiqua jura Cleri Palatini noſtrorum Principum quoad exemptionem a legibus reſidentiæ. XIX. Et a ſolvendis decimis. XX. Antiqua jura Majoris Capellani Regni Neapolitani. XXI. Quæ conſuetudine potiſſimum innitebantur. XXII. Quod vero iis ſæpe reluctabatur, ea confirmavit, auxitque Benedictus XIV. 83

CAPUT V.

DE FACULTATIBUS CAPELLANI MAJORIS REGNI NEAPOLITANI.

I. Regum noſtrorum plura ſunt in Eccleſiam merita. II. Omnia Divina Officia celebrari poſſunt in Capella Regis, Sacramenta, & Sacramentalia aſſervari. III. Regibus fas eſt cuilibet Presbytero officium, juriſdictionemque Capellani Majoris committere. IV. Quæ loca complectitur hujus juriſdictio. V. Et quas perſonas. VI. Ea juriſdictio eſt ordinaria. VII. Ad ipſum ſpectat Clericos, Capellanoſque conſtituere pro Sacro Aulæ miniſterio, Arcium, & Exercitus. VIII. De horum numero. IX. Deque horum exemptione ab Ordinariorum juriſdictione. X. Concionatores Aulici a Capellano Majore facultatem, & benedictionem accipere debent. XI. Clerici & Scholares Regiæ Capellæ & Eccleſiæ S. Sebaſtiani poſſunt ab eo ad ſacros Ordinis pro-

mo-

Digitized by Google

moveri. XII. Presbyteri ad audiendas Confeſſiones ſacramentales in Aula, Arcibus, & Exercitu ab eodem habent facultatem & approbationem. XIII. Horum tamen auctoritas extendi nequit ad alia loca aliaſve perſonas. XIV. Bene vero Aulici, Militeſque poſſunt Sacramenta ſuſcipere a Presbyteris ab Epiſcopo Dioceſano approbatis. XV. Aulicis, & Militibus Sacramenta omnia adminiſtrare poteſt Capellanus Major, vel per ſe, vel per alios. XVI. Iſdem permittere tum opera ſervilia, diebus feſtis; tum carnea cibaria, diebus jejunii. XVII. De facultatibus Capellani Majoris quoad milites in ſtatione. XVIII. Et quoad eoſdem dum ſunt in expeditione. XIX. Alia quædam privilegia addita recenſentur. XX. Quam ampla ſit Capellani Majoris auctoritas. 106

C A P U T VI.

De Aliis Prærogativis Capellani Majoris Regni neapolitani.

Capellanus Major eſt ſupremus Rector Gymnaſii Neapolitani. II. Rem litterariam ordinat. III. Juriſdictionem habet in Profeſſores, Auditoreſque. IV. Nulli ſine ejus teſtimonialibus litteris poſſunt conſequi Doctoris gradum. V. Nec ulli publice docere, neque libri edi poſſunt ſine illius auctoritate. VI. Sententiam dicit an Romanis Scripturis ſit concedendum Regium Exequatur. VII. Quo ordine negotium hoc abſolvatur. VIII. Imminet Beneficiis ſeu Eccleſiis omnibus Regii juris. IX. Quæſtiones de Patronatu Regio, vel Feudali examinat & definit. X. Jus reddit in Cauſis ad hæc Beneficia ſpectantibus. XI. Curam habet vacantium Eccleſiarum Regii juris, idoneoſque Rectores proponit Regi. XII. Speciali modo præeſt nonnullis Eccleſiis Regiis. XIII. Piarum Confratriarum Regulas approbat, & quæſtiones ad illas ſpectantes decernit. XIV. In negotiis Eccleſiaſticis ad Regem delatis ſuam ſententiam dicit. XV. De Conſultore ejus Curiæ. XVI. De Appellatione ab hujus Curiæ decretis. 121

C A P U T VII.

De Liturgia Palatina.

De Liturgia in Oratorio Palatino Imperatorum Orientis. II. Ordo Divinorum Officiorum. III. Et celebrandæ Liturgiæ. IV. Et celebrandæ Magnæ Hebdomadæ. V. Et curandi ſtrumas in Capella Regis Chriſtianiſſimi. VI. Ordo agendi Divina Officia in Capella Regis Catholici. VII. Et Sacrum ſolemne celebrandi. VIII. Ritus, qui ibi obſervantur in Magna Hebdomada. IX. Ac in aliis quibuſdam feſtis. X. Ordo Sacrarum rerum in Capella Regis Luſitaniæ. XI. Et Sacrum ſolemniter faciendi. XII. Quonam ritu alii feſti dies inibi colerentur. XIII. Ordo Liturgiæ in Aula Luſitana, qui nunc temporis obtinet. XIV. Et de feſtis diebus, qui ibi celebrantur. XV. Ordo Liturgiæ in Capella Regis Sardiniæ. XVI. Normanni Siciliæ Reges quam fuerint Divinis Officiis addicti. XVII. De ritu acclamationum Regi, deque Collecta pro Rege in Liturgia. XVIII. De Sacris ſolemniis ſub aliis Siciliæ Regibus. XIX. De permiſſu agendi opera ſervilia in nonnullis diebus feſtis. XX. Ordo ſolemnis Liturgiæ in

Si-

Sicilia, præſente Prorege. XXI. Neapolitani Reges Andegavenſes, quam ſtuduerint celebrandis Officiis Divinis. XXII. Itidem Reges ex Aragonia familia. XXIII. Quo ritu ageretur ſolemnis Liturgia in Capella Palatina, regnantibus Aragoniis. XXIV. Et quinam fuerit ordo ſedendi, ac decantandi ſolemniter Veſperas. XXV. Rurſus is Ordo explicatur. XXVI. Proregum tempore, quinam mores viguerint. XXVII. Ritus, qui modo obſervantur in Capella Palatina. XXVIII. De Regia menſa in magnis ſolemnibus. XXIX. De benedictione Regiæ menſæ. XXX. Cæremoniæ olim uſitatæ in menſa Regum Neapolitanorum. 134

CAPUT VIII.

De Coronatione Regum.

Ordo coronandi Imperatores Orientis. II. De triplici Coronatione Imperatorum Occidentis. III. Ordo hujus Coronationis. IV. Et Imperatricis. V. De Coronatione Regum Galliæ. VI. Ritus hujus ſacræ cæremoniæ. VII. Ritus coronandi Galliæ Reginam. VIII. De proclamatione Regum Hiſpaniæ. IX. Et Regum Luſitaniæ. X. Ordo coronandi Reges Poloniæ. XI. Angliæ. XII. Sueciæ. XIII. Daniæ XIV. Boruſſiæ. XV. Et Imperatorem Moſchorum. XVI. De Coronatione Regum Siciliæ. XVII. De eorum Regio titulo. XVIII. Rurſus de eorum benedictione. XIX. De Coronatione Regum Neapolitanorum. XX. De eadem, regnantibus Andegavenſibus. XXI. Quæ fuerint Regia inſignia Regum Neapolitanorum. XXII. De uſu Dalmaticæ, & lectione Evangelii in Miſſa. XXIII. De Coronatione Alphonſi II. Neapolitani Regis. XXIV. Ordo hujus Coronationis. XXV. De proclamatione Regum qui ſucceſſere. XXVI. Ordo Coronationis Caroli Borbonii Regis utriuſque Siciliæ. 167

CAPUT IX.

De Baptismo Regum.

In Palatiis Principum Baptiſmus ſolemni ritu adminiſtrari poteſt. II. Ordo adminiſtrandi ſolemnis Baptiſmi in Aula Imperatorum Germanorum. III. De uſu miſcendi aquam Jordanis Fonti Baptiſmali. IV. Ordo ſolemnis Baptiſmi in Aula Regum Galliæ. V. De uſu Cerei & Chriſmalis in Baptiſmo. VI. Ritus, quo Rex Chriſtianiſſimus aliquem ſuſcipit e ſacro fonte. VII. Ordo ſolemnis Baptiſmi in Aula Regum Hiſpaniæ. VIII. Et in Aula Regum Luſitaniæ. IX. Ritus Aulæ Luſitanæ offerendi Deo natum Infantem cum aliis cæremoniis. X. De Baptiſmo in Aula Regum Siciliæ. XI. De feſtis in Regum natalibus. XII. Ordo ſolemnis Baptiſmi in Aula Neapolitana, regnante Carolo Borbonio. XIII. De titulo, quo donabantur primogeniti noſtrorum Regum ſub Normannis. XIV. Et ſub Suevis, aliiſque Siciliæ Regibus. XV. De eodem titulo ſub Andegavenſibus Neapolitanis Regibus. XVI. Et ſub Aragoniis, Auſtriaciſque Regibus. 198

CA

CAPUT X.

De Nuptiis Regum.

Regum Conjugia celebrari ſolent in Capella Palatina. II. Ordo benedicendi Nuptias in Aula Imperatorum Germanorum. III. Et in Aula Regum Galliæ. IV. Vel ſi matrimonia fuerint alibi per Procuratorem celebrata. V. Expenduntur nonnulli ritus nuptiales Aulæ Gallicanæ. VI. De Conjugiis in Aula Regum Hiſpaniæ, VII. Et in Aula Regum Luſitaniæ. VIII. De iiſdem in Aula Regum Neapolitanorum. IX. Ordo celebrandi Nuptias, regnantibus Aragoniis. X. Rurſus is Ordo deſcribitur ſub iiſdem Regibus. XI. Et ritus benedictionis Nuptiarum in ſolemni Liturgia. XII. De feliciſſimis Conjugiis Caroli Borbonii, & Mariæ Amaliæ de Saxonia: Ferdinandi IV. & Mariæ Carolinæ Auſtriacæ Regum utriuſque Siciliæ, 215

CAPUT XI.

De Ritu conferendi Ordines Equestres.

Ritus inaugurandi Equites Velleris aurei in Hiſpania. II. Et agendi feſtum diem S. Andreæ Apoſtoli tutelaris Ordinis. III. De Ordine Equeſtri ſub patrocinio SS. Conceptionis nuper a Carolo Borbonio Hiſpaniæ Rege inſtituto. IV. Ritus cooptandi Equites in hunc Ordinem. V. Ritus creandi Equites Spiritus Sancti in Gallia. VI. Et ejus ſolemnia celebrandi. VII. De Ordine Equeſtri Periſcelidis in Anglia. VIII. Et Aquilæ Nigræ in Boruſſia. IX. Ritus armandi Milites olim apud Neapolitanos Reges uſitatus. X. Societates Equeſtres olim a Neapolitanis Regibus conſcriptæ. XI. Statuta Equeſtris Ordinis Spiritus Sancti, Ludovico Tarentino Neapolitanorum Rege auctore. XII. Equites huic Societati adſcripti. XIII. Ritus creandi Socios dell' Armellino *ſub Aragoniis Neapolitanis Regibus. XIV. Ritus inaugurandi ſeptem Supremos Proceres Neapolitani Regni. XV. De Regali Ordine S. Januarii inſtituto a Carolo Borbonio. XVI. Ordo creandi Equites S. Januarii. XVII. Et Officiales ejuſdem Societatis. XVIII. Et agendi feſtum diem S. Januarii. XIX. De Ordine Conſtantiniano. XX. Ritus hujuſmodi Equites initiandi,* 239

CAPUT XII.

De ritu præstandi Sacramenta.

De juramentis, quæ olim Epiſcopi in Gallia præſtabant. II. Ritus hujus cæremoniæ deſcribitur. III. De quibuſdam aliis ſacramentis, quæ in Aula Regum Galliæ præſtantur. IV. Ritus jurandi a Galliæ Regibus inita fœdera. V. De præſtando hominio, & juranda fidelitate Principi Aſturicenſium in Hiſpania. VI. Ordo hujus cæremoniæ narratur. VII. De ſacramento edendo a Clericis Aulæ Hiſpanæ. VIII. Et quo Reges Hiſpaniæ ſe obligant fœderibus cuſtodiendis. IX. Ritus jurandæ fidelitatis Regi Luſitaniæ. X. Et Regi Sardiniæ. XI. De hujuſmodi ſacramentis in Sicilia. XII. Ritus ea edendi. XIII. De iiſdem in Neapolitano Regno. XIV. Ordo juratæ fideli-

ta-

tatis Carolo Borbonio Regi. XV. De ritu, quo olim Barones fidelitatem Regi jurabant. XVI. Formula hodierna hujus juramenti. 258

C A P U T XIII.

De sacris quibusdam aliis cæremoniis Palatinis.

De Roſa aurea a Romano Pontifice benedicta. II. Ritus, quo ea Summis Principibus datur. III. De Enſe & Pileo pariter a Romano Pontifice benedictis. IV. His donati fuere nonnulli Neapolitani Principes ſtirpis Aragoniæ. V. Ordo hujus cæremoniæ deſcribitur. VI. De eadem rurſus. VII. De Cardinalatus inſignibus. VIII. De uſu mittendi ad abſentes Cardinalatus inſignia. IX. Ordo hujus cæremoniæ in Gallia. X. Et in Hiſpania. XI. Et in Luſitania. XII. Et in Aula Neapolitana regnante Carolo Borbonio. XIII. Referuntur Pontificis de hac re Litteræ. XIV. Et ipſa cæremonia enarratur. 276

C A P U T XIV.

De Regum funere.

Ordo Regii funeris in Aula Imperatorum Germanorum. II. Quo olim ritu ſepelirentur Reges Galliæ. III. Ordo Regii funeris in Aula Regum Galliæ. IV. Quas partes in hac re habeat Magnus Eleemoſynarius. V. Ordo Regii funeris in Aula Regum Hiſpaniæ. VI. Et in Aula Regum Luſitaniæ. VII. De eadem re apud Luſitanos. VIII. De Regiis funeribus in Anglia, Svecia, Polonia, Moſcovia, Boruſſia. IX. De Regum exequiis in Sicilia. X. Et in Neapolitano Regno. XI. Imperantibus Auſtriacis. XII. Et regnante Carolo Borbonio 294

Capellani Majores Regni Neapolitani. 310

Conſtitutio Benedicti XIV. de juriſdictione & facultatibus Capellani Majoris Regni Neapolitani. 319

Breve ejuſdem Pontificis ad Carolum Emanuelem Regem Sardiniæ de de juribus Magni Eleemoſynarii. 332

CA-

Digitized by Google

Die 4 *menſis Januarii* 1772.

Reimprimatur, regiis juribus, legibus, moribuſque Regni ſemper ſalvis.

Vargas Macciucca.

Carulli.

Digitized by Google

CAPUT I.

DE CAPELLA PALATINA.

An Principes Ethnici. II. *Et an Judæi habuerint domeſtica Oratoria.* III. *Hæc quam antiqua, & uſitata apud Chriſtianos in Oriente.* IV. *Et in Occidente.* V. *De Oratorio Palatino Imperatorum Orientis.* VI. *Et Imperatricum.* VII. *Et Regum Francorum primæ ſtirpis.* VIII. *Capellæ vocabulum unde deductum.* IX. *De Capella Regum Galliæ.* X. *Hiſpaniæ.* XI. *Angliæ.* XII. *Luſitaniæ.* XIII. *Ducum Brigantinorum.* XIV. *Ducum Sabaudiæ.* XV. *De Capella Palatina Panormitana ſub Normannis.* XVI. *Svevis.* XVII. *Aragoniis, & Auſtriacis Siciliæ Regibus.* XVIII. *De Capella Palatina Neapolitana, regnantibus Andegavenſibus.* XIX. *Aragoniis.* XX. *Et Auſtriacis Neapolitanis Regibus.*

CHriſtianorum plurima inſtituta cum Judæis, Ethniciſque communia fuerunt, quin id vitio dari poſſit; ut enim optime ajebat Hieronymus contra Vigilantium exprobrantem cereorum uſum tamquam ab Ethnicis deſumptum: illud fiebat idolis, & idcirco deteſtandum; hoc fit Martyribus, & idcirco recipiendum. In harum rerum numero recenſent nonnulli domeſtica Oratoria, queis ſimilia Ethnici habuere, ubi eorum Manes, & Dii, & Heroes colebantur: Lararia dicta, quod Diis Laribus; Sacraria, quod rebus ſacris eſſent conſecrata. Hæc nedum in privatorum domibus, ſed & in Imperatoriis Ædibus extitiſſe, teſtatur Lampridius ſcribens de Alexandro Severo, hunc matutinis horis rem divinam feciſſe in Larario ſuo, ubi Deorum, & Heroum effigies ſervabantur, quibus etiam addidit Abrahami, & Chriſti ſimulacra. Svetonius memorat Auguſti Imperatoris Sacrarium: & enarrans Liviæ cum Tiberio diſſidium, refert illam deſumpſiſſe codicillos quoſdam e Sacrario Auguſti. Sacrarii autem nomine, etſi aliqui opinantur Secretarium denotari, ubi res ſecretæ recondebantur: tamen videtur aliis,

idem plane fuiſſe Sacrarium cum Larario, locum nempe ædium a profanis uſibus ſejunctum, ſacris rebus dicatum, ubi imagines Deorum, & ſacra omnia ſervabantur. Sunt qui, præter domeſtica Oratoria, domeſticos quoque Sacerdotes iiſdem Imperatoribus adſcribunt, quos Palatinos Sacerdotes, antiqui Scriptores dixere: & Flamines Auguſtales, Trajanales, Flaviales, autumant dictos, quod in Aula apud hoſce Imperatores ſacris operarentur. Sacerdotem etiam Palatualem, qui Palatuæ Deæ, cujus tutelæ commiſſum erat Palatium, ſacrificabat, arbitrantur ſacrum fuiſſe Aulæ miniſtrum. Verum enimvero Palatini Sacerdotes dicebantur, non ab Ædibus Imperatoriis, ſed ab ea Urbis regione, quæ mons Palatinus dicta eſt, ubi & Templum erat Apollinis Palatini: Flamines autem Augnſtales, Trajanales, Flaviales, non qui in horum ædibus ſacra faciebant; ſed qui his Imperatoribus, ceu Diis, fœdiſſima adulatione immolabant. Ad regionem quoque Palatinam ſpectat Dea Palatua, ſacrificium Palatual, Sacerdos Palatualis: cujus quidem meminit Varro libro ſexto de lingua Latina, quo tempore, nondum Cæſaris domus, Palatium dici cœperat; cum ab Auguſti imperio, qui primus in Palatinam Urbis regionem migravit, domus Imperatoris vocari cœpit Palatium. Non ita proinde conſtat, in Aula Cæſarum aliquos fuiſſe a ſacris domeſticis, quemadmodum conſtat ibidem Lararia extitiſſe.

II. Neque id de Judeorum Regibus compertum eſt: quamvis libro quarto Regum, ubi Salamonis familia deſcribitur, inter cæteros Aulæ miniſtros enumerentur Sadoc, & Abiathar Sacerdotes, Zabul filius Nathan Sacerdos, & amicus Regis; qui e domeſticorum cœtu fuiſſe videntur, uti Ahia Scriba, Joſaphat Hiſtoriographus, Ahiſar Præpoſitus domus, aliique. At nullibi Scriptura indicat Sacerdotes, qui in Aula Regum ſacra facerent, quod minime ſilentio præteriiſſet: ibi vero Abiathar Sacerdos dicitur, quod eo munere olim fungeretur, in cujus locum, Salomonis juſſu, Sadoc fuerat ſubrogatus. Uterque non in Aula, ſed in Templo ſacris operabatur. Quoad Zabul attinet, hunc non Sacerdotem, ſed filium Mathan Sacerdotis, legendum eſſe plurimi cenſent: aliis vero placet, Sacerdotis nomine juxta verſionem Septuaginta, nonniſi Principem deſignari. Obſervat tamen ad hanc rem Turturetus lib. de Sacello Hiſpano cap. 2. Reges quidem Judæorum non habuiſſe in Aula domeſticum Templum, cum in Republica Judaica nonniſi unicum eſſet Templum a Salomone conſtructum, neque fas eſſet alio in loco, Deo immolare: attamen Regiam domum Templo propinquam fuiſſe, ut inde Regibus facile eſſet iter ad Templum. Cæterum loco Oratoriorum Judæis fuere Proſeuchæ, & Synagogæ, ubi extra Templum, ad preces conveniebant. Hanc vicinitatem Templi, & Aulæ comprobat locus, ubi necem ſubiit Athalia, nempe extra ſepta Templi, & in porta equorum Regiæ domus. Denique cum Salomon, peracta dedicatione Templi, Sacerdotes & Levitas in quaſdam claſſes diſtributos, ſtatuiſſet in orbem ſacro miniſterio vacare; ſi qui in Aula debuiſſent ſacris operari, eo loci innuiſſet.

III. Apud Chriſtianos domeſtici Oratorii originem adeo antiquam facit Gatticus in egregio libro de his Oratoriis nuper edito, ut ad Apoſtolorum referat ætatem, quum domi ſæpe peracta ſunt ſacra Myſteria: & Lupus ſcribens in canones Trullanos, ad perſequutionum tempora, quum mos erat Chriſtianis, domi ſuæ Euchariſtiam aſſervare. At ſævientibus perſequutionibus, etſi certum ſit Euchariſtiam in

pri-

privatis domibus celebratam, & aſſervatam fuiſſe; attamen vix eſſe potuerunt Chriſtianis domeſtica Oratoria fixa, & ſolis rebus divinis conſecrata, ne ſe, & ſacra facile Gentilibus proderent. Hinc Tertullianus monebat uxorem, ne ſciret conjux infidelis, quid ſecreto ante omnem cibum guſtaret: & Cyprianus memorat ſervatam Euchariſtiam in arca. Cum tamen adhuc, diuque poſt pacatam Eccleſiam, perduraverit uſus celebrandæ, aſſervandæ, & ſumendæ domi Euchariſtiæ; hinc domeſtica Oratoria invaluerunt, & longe lateque in uſu recepta ſunt. Sæculo ſexto Juſtinianus Imperator Novella 58. vetuit in domeſticis Oratoriis ſacra Myſteria celebrari: permiſit tamen illorum uſum, ſolius orationis gratia, dummodo non ibi ſacra fierent, utpote quæ in Eccleſiis ſolis eſſent peragenda. Et alia Novella ſua, quæ eſt 131, noluit ad hæc Oratoria Presbyteros, Clericoſque ordinari; ſed ex iis, qui jam ordinati erant ad Eccleſias publicas, juſſit delegari aliquos, qui in domeſticis Oratoriis ſacra miniſtrarent. Verum Trullani Patres can. 31. facultatem celebrandi ſacra, & baptizandi in hiſce Oratoriis fecere; dummodo tamen adeſſet conſenſus Epiſcopi loci. Deinde Leo ſapiens Imperator Novellis 4. & 15. cuicumque Sacerdoti liberum fecit, in domeſticis Oratoriis rem divinam facere; aſſerens jam non Optimates tantum, ſed & mediocris ſortis homines Oratoria ſuis in ædibus habere. Exinde, ut teſtatur Balſamon in commentariis ad canones Trullanos, non jam Græci requirebant Epiſcopi ſui conſenſum; rati implicitum adeſſe Epiſcopi conſenſum, quod in domeſticis Oratoriis ſacra Myſteria agerentur, modo in mappis ab Epiſcopo conſecratis. Tamque apud ipſos crevit Oratoriorum numerus, ut cum exinde negligerentur Parochiales Eccleſiæ, Alexis Patriarcha Conſtitutionem ediderit, quæ extat in Jure Orientali, ne Magnates ad Oratoria ſua turbas hominum admitterent, neve Baptiſmata, & ſacra Myſteria ibi adminiſtrarentur, niſi feſtis diebus. Conjicit doctiſſimus Thomaſſinus de Beneſ. p. 1. lib. 2. cap. *96*. hanc Oratoriorum frequentiam apud Græcos derivatam, quod apud eos olim nonniſi unum eſſet altare, & in uno altari nonniſi una Miſſa eodem die celebraretur. Qua de re cum ex tanta hominum multitudine plures ſacrificio adeſſe non poſſent, excitabant ſibi Oratoria, ubi divinis rebus vacarent.

IV. Neque minus obvia occurrunt in Occidente. Gregorius Magnus in ſuis epiſtolis ſæpe memorat Oratoria, quæ ſuis in domibus Magnates conſtruxerant: & ep.43. lib.*6*. jubet Epiſcopum Syracuſanum ſacra facere in ædibus Venantii Patricii, ut cum eo rediret in gratiam. Concilium Aurelianenſe IV. ſexto ſæculo celebratum can. *26*. diſerte memorat Eccleſias in Magnatum domibus conſtructas, quæ Parochiarum loco erant, & quarum miniſterio Clerici ſerviebant. Sequentibus ſæculis, cum neglectis jam publicis Eccleſiis, domeſtica Oratoria nimium frequentarentur; ſtatuit Carolus M. in ſuis Capitularibus, ut fas non eſſet ea adire Dominicis, feſtiſque diebus; utque ne ibi ſacra Myſteria conficerentur ſine Epiſcopi auctoritate. Eo res venerat ſæculo nono, ut in Gallia, nobilis fere quiſque, ſuum apud ſe Presbyterum, Capellanumve haberet, qui ſibi & Myſteria celebraret, & Divina recitaret Officia. Hujus rei teſtis eſt Agobardus Lugdunenſis in tractatu de privilegiis & jure Sacerdotum, ubi graviter conqueritur, quod hi domeſtici Sacerdotes in humanis etiam officiis inſervirent. Eodem ſæculo Ticinenſe Concilium ægre tulit, ob nimiam domeſticorum Oratoriorum frequentiam, nobiles perſonas rarius ad Eccleſiam accedere.

Et in Germania mos erat apud nobiles viros donandi libertate quemdam e ſervis ſuis, eumque Presbyterum inſtituendi, ut in Oratorio ſuo divina miniſtraret, cujus moris meminit canon Concilii Altheimenſis relatus Cap. *Nullus* de Servis non Ordinandis. Tandem in Neapolitano Regno, domeſtici Oratorii uſum plurimum viguiſſe, indicat teſtimonium Hugonis II. Guidardii in Provinciali Synodo Beneventana anni 1374. tit. 12. cap. 8. ubi *Permittitur cuilibet privato habere Oratorium privatum in domo ſua, & ibi orare; ſicut habet communis harum Partium obſervantia; ſed multum cavere deberent ſic facientes, ne in cameris ſuis, aut locis ubi tenent, & faciunt Oratoria, quidquam inhoneſtum, aut turpe exercerent. In talibus autem Oratoriis privatorum fidelium, non debet Miſſa celebrari ſine auctoritate Epiſcopi, & propter neceſſitatem, & tunc ſine præjudicio juris Parochialis Eccleſiæ; nec in feſtis præcipuis, ſed aliis diebus, & hoc debet contineri licentia, quando conceditur a Diœceſano.*

V. Oratorii Palatini initia a Conſtantini Magni piiſſimi Imperatoris Aula, ſunt repetenda; quem habuiſſe in Palatio Eccleſiam, ubi Scripturas meditabatur, & preces Deo fundebat, ſcribit in ejus vita Euſebius lib. 4. c. 17. *In Palatio quamdam veluti Eccleſiam Dei conſtituit . . . . Præibat cunctis, qui in Eccleſiam illam erant adſcripti, & ſacros Codices in manus ſumens, oracula a Deo edita, attento animo meditabatur, poſthac ſolemnes preces cum Aulicorum cœtu recitabat.* Aderant ſacri Miniſtri in ejus Aula: nam Euſebius lib. 4. cap. 18. teſtatur, Diaconos, atque Deo conſecratos Miniſtros, vitæ gravitate, & reliquis virtutibus ornatos, totius domus cuſtodes conſtituiſſe. Addit Sozomenus lib. 1. cap. 8. Oratorium quoque portatile, religioſiſſimum Principem ad caſtra deferre ſolitum; Sacerdotes etiam, qui rem divinam facerent, quos in bellicis expeditionibus volebat comites ſibi adhærere. *In Palatio extruxit Oratorium, & Tabernaculum Eccleſiæ figuram exprimens, cum contra hoſtes prælio contenderet, ſecum circumferre conſuevit, ad eum finem, ut neque ſibi in ſolitudine vitam agenti, neque exercitui deeſſet ædes ſacra, in qua quidem deberent Deum laudibus efferre, & ſacra Myſteria percipere. Nam Sacerdotes & Diaconi, qui ſecundum Eccleſiæ inſtitutum iſta munera obirent, Tabernaculum aſſiduo ſecuti ſunt.* Subdit Principis exemplum cæteros imitatos eſſe milites, ita ut quiſque Numerus cujuſque Legionis, & Tabernaculum habuerit, & Clericos ad ſacra munia obeunda. Socrates etiam lib. 1. cap. 18. enarrat pugnaturum Conſtantinum adverſus Perſas, ſecum detuliſſe caſtrenſe Oratorium ex variis, pictiſque velis confectum, ut in locis deſertiſſimis rei divinæ vacaret. Jam tum itaque Oratorium Palatinum fuit ad inſtar Eccleſiæ compoſitum, ubi cujuslibet ordinis Clerici, & in celebrandis ſacris Myſteriis, & in perſolvendis divinis Officiis, ſolemni ritu deſervirent. Conſtantini filios ab ea tanti parentis pietate minime diſceſſiſſe, teſtatur ibidem Euſebius lib. 4. cap. 52. ſcribens, quod *non tam paternis monitis, quam ſua ſponte incitati præcepta Parentis ſui alacritate animi ſuperarunt, quippe qui Divinæ Religionis obſervantiam ſemper præ oculis haberent, & ſanctos Eccleſiæ Ritus in ipſo Palatio cum univerſis Domeſticis cuſtodirent.* Simile Oratorium habuiſſe Theodoſium juniorem colligitur ex quotidianis pietatis officiis, quibus ipſum operam dediſſe, refert Socrates lib. 1. Hiſt. cap. 22. *Palatium ſuum ſic inſtituit, ut a Monaſterio non multum diſcreparet; matutino tempore ipſe una cum Sororibus ſuis hy-*

Digitized by Google

mnos in Dei laudem alternis recitare conſueverat. Memorat Theophanes Capellam Palatii, ubi Imperator Heraclius cum conjuge ſua, corona Imperatoria redimitus eſt; ubi & nuptiæ celebratæ fuerunt. Antequam Imperatoriam Sedem conſcenderet Juſtinianus conſtruxerat in ſuo Palatio Oratorium D. Petro dicatum, cujus ipſe meminit in epiſtola ad Hormiſdam Papam, quem exoravit *quatenus Reliquiis Sanctorum Apoſtolorum, tam Nos, quam Baſilicam eorum hic in domo noſtra ſub nomine prædictorum venerabilium conſtructam illuſtrare, & illuminare large dignemini*. Hanc Baſilicam dictam fuiſſe Sancti Petri in Hormiſda, Scriptores teſtantur: atque eamdem fortaſſe cum Oratorio Palatino S. Petri, cujus meminit Anaſtaſius in vita Agathonis Papæ; ubi refert Legatos hujus Pontificis ſuſceptos fuiſſe a Princlpe *in Oraculo S. Petri intra Palatium extante*. Oraculum enim idem ſignificat ac Oratorium, ſeu locum orationi deputatum. Alind Oratorium in Palatio Mauritius Imperator D. Paulo Apoſtolo conſecravit: quod Conſtantina Auguſta, Sancti Apoſtoli Reliquiis ditari a Gregorio Papa exoptabat; ut is teſtatur lib. 3. ep. 30.

VI. Imperiales etiam fœminæ, quibus Palatia diſtincta ædificabantur, domeſtica habuerunt Oratoria. Theophanes enim refert Pulcheriam extruxiſſe Oratorium S.Stephani in Palatio, & in eo collocaſſe S.Protomartyris Reliquias. Idem narrat in Domo Marinæ celebratas nuptias Dementiæ filiæ Phocæ Imperatoris cum Priſco Patritio. Cedrenus etiam meminit Palatini Oratorii, ad an.19. & 20. Theodoſii junioris, ubi non raro coronabantur Imperatores, eorumque filii. Suum quoque Oratorium domeſticum habuit Placidia Auguſta: cujus altare ſubvertere auſus eſt Paulus Pſeudo-Patriarcha, ut injuriam irrogaret Apoſtolicæ Sedi, uti refert Anaſtaſius in vita Martini Papæ. Hoc Placidinianum Oratorium dicitur ab Anaſtaſio *Oraculum & Altare Sedis Apoſtolicæ*; quia in domo Placidiæ, Legati ſedis Apoſtolicæ recipiebantur: imo Vigilius Pontifex ſe in Placidiana domo habitaſſe ſcribit in epiſtola ad Eccleſias. Quotidiana pietatis officia, quibus vacabat mater Alexis Imperatoris indicant, eidem fuiſſe domeſticum Oratorium. De ea namque ſcribit Anna Comnena neptis, quod noctu diuque, ſtatis horis, divinis perſolvendis officiis, & Liturgiæ vacabat. Cum igitur Imperatores & Imperatrices ſibi excitarent Oratoria; hlnc plura fuerunt in Aula Conſtantinopolitana Oratoria Palatina, ſicuti plura erant Imperialia Palatia. Fuſe de his Oratoriis agit Clariſſimus Cangius in Conſtantinopoli Chriſtiana lib. 4. Inſigne præ aliis fuit, quod in magno Palatio a Theophilo Imperatore conſtructum refert Continuator Theophanis lib. 3. cap. 43. Aliud dictum *Deiparæ Phari* ædificavit illius ſucceſſor Michael prope triclinium Palatii, ubi imperialia ſponſalia aliquando celebrata narrat lib. 4. Theophanes. Baſilium Macedonem quinque Oratoria in Palatio excitaſſe, eorumque præcipuum Oratorium S. Pauli a Mauritio olim ædificatum, ſcribit in illius vita Porphyrogenitus. Qui idem commemorat Palatina Oratoria Deiparæ Virgini, S. Petro, S. Clementi, S. Michaeli ab eodem Baſilio conſecrata. Leo Sapiens conſtruxit in Aula ædem ſacram S. Annæ, ut teſtatur Continuator Theophanis lib. 3. Et Iſaacus Comnenus in Palatio extruxit Eccleſiam in honorem S. Theclæ, ut refert Anna Comnena lib. 3. Alex. Ab aliis Imperatoribus alias ſacras ædes Palatinas excitatas enarrat Cangius in laudato Opere: ex quo illud etiam conſtat, conſuetudinem celebrandi in Cappellis Imperialibus, uſque

ad Orientalis Imperii interitum perſeveraſſe. Sed de Clero Imperatorio, & de Liturgia Palatina in Oriente alibi dicendum erit.

VII. In Occidente, omnium antiquiſſima Capella Palatina occurrit in Aula Regum Francorum. Hos primæ ſtirpis Reges Oratorium in Aula habuiſſe, conjicit Clar. Thomaſſinus p. 1. lib. 2. cap. 109., ex eo quod Clodovæus plures in ſuum conſilium adhibuit Epiſcopos, Clericoſque, ut illum monuerat Remigius: & Stephanus Leodienſis in vita S. Modoaldi Trevirenſis plures è conſilio Dagoberti II. Epiſcopos nominat. Verum, quod a conſiliis eſſent Epiſcopi Regibus, non inde emergit, quod eiſdem fuerint a ſacris domeſticis. Sunt tamen alia hujus rei argumenta; ſiquidem Gregorius Turonenſis lib. 8. Hiſt. Franc. cap. 44. meminit Oratorii Guntramni Regis; & lib. 10. cap. 18. alterius Oratorii Childeberti Regis, ubi matutinis Officiis intereſſe conſueverat. Mabilonius in libro de Re Diplomatica exhibet nonnulla Placita Theodorici & Childeberti Regum, ubi mentio fit Oratorii Palatini; in quo Capella S. Martini ſervabatur. In actis S. Deſiderii Epiſcopi Cadurcenſis apud Cointium in ann. Franc. ad an. 617. legitur, illius fratrem, & prædeceſſorem Ruſticnm fuiſſe Abbatem Regii Oratorii. Nonnulli etiam memorantur Capellani Regum primæ Dynaſtiæ, quos Oratorio Palatino mancipatos fuiſſe conjicere licet. Monachus Inculiſmenſis (ut teſtis eſt Bignonius lib. 1. c. 25.) ſcribit Inculiſmanum Epiſcopatum datum a Clodovæo Aptonio Capellano ſuo. Aiglibertus Epiſcopus Cenomanenſis, qui floruit regnante Childerico, Archicapellanus dicitur in ejus actis. Cangius in Gloſſario laudat Bertharium ſub Clotario, & Riculphum ſub Dagoberto Archicapellanos. Denique Gregorius Turonenſis lib. 8. Hiſt. cap. 29. memorat Clericos Fredegundæ Reginæ: & Gregorius M. lib. 9. ep. 120. Syagrium Epiſcopum indicat addictum obſequio Brunechildis Reginæ. Præterea certum eſt, Reges Francorum primæ ſtirpis in Palatio ſuo ſervaſſe S. Martini Reliquias, quas in bellicis expeditionibus ſecum deferebant, & ad quas ſacramenta fidelitatis perſolvebantur. Id enim conſtat ex laudatis Placitis Theodorici, & Childeberti, & ex formulis Marculphi. Servabantur etiam in eorum Palatio aliæ Sanctorum Reliquiæ. Meminit namque Marculphus in quadam formula lib. 1. cap. 40. Reliquiarum, quas Rex varias in Provincias deportari faciebat, ut ad eas præſtarentur ſacramenta fidei, quæ ſibi, filioque deberentur. Et Peiratius lib. 1. de Orat. Reg. Gall. cap. 4. 5. & 6. probat in more fuiſſe apud Francorum Reges Merovingiæ ſtirpis, Sanctorum Reliquias domi ſuæ cuſtodire, eaſque deferre cum hoſtibus congreſſuros; atque ita factum a Clodovæo I., Childeberto I., Clotario I., aliiſque. Jam vero ex hac religione erga Sanctorum Reliquias, cauſa etiam emergebat habendi Oratorium, & cœtum Clericorum, qui divina Officia perſolveret. Nam ſolemne fuit Veteribus, ut ubi Sanctorum præſertim Martyrum, quieſcerent Reliquiæ, ibi ſacra peragerentur. Hinc nedum deputabantur Cuſtodes Martyrum, & Monumentorum; ſed & ordinabantur Clerici, qui ibi ſacris operarentur. Quod ipſum indicat Concilium Chalcedonenſe can. 6. vetans aliquem ordinari, niſi in Eccleſia civitatis, pagi, aut in Martyrio, aut in Monaſterio. Concilium Aurelianenſe II. can. 13. hos eoſdem vocat Martyrarios. Et a Concilio Epaonenſi can. 25. expreſſe ſtatutum eſt, non eſſe collocandas Martyrium Reliquias in Oratoriis, niſi Clerici deputarentur: *qui ſacris cineribus pſallendi frequentia famulentur*.

VIII.

VIII. A Capa illa S. Martini Turonenſis, quam in Oratorio Palatino aſſervatam, & in caſtris delatam innuimus, Oratoria dici cœperunt Capellæ: ut in Placito Childeberti apud Mabilonium, Oratorium Regis nuncupatur Capella S. Martini. Hanc hujus vocis etymologiam tradit Monachus Sangallenſis lib. 1. de vita Caroli Magni, ubi ait: *De pauperibus ſupradictis quemdam optimum dictatorem & ſcriptorem in Capellam ſuam aſſumpſit, quo nomine Francorum Reges propter Capam S. Martini, quam ad bella portabant, Sancta ſua appellare ſolebant*. Eamdem aſſignat Valafridus Strabo de Reb. Eccleſ. cap. 31. *Dicti ſunt primitus Capellani a Capa B. Martini, quam Reges Francorum ob adjutorium victoriæ in præliis ſolebant ſecum habere*. Eadem eſt ſententia Honorii in Gemma animæ cap. 128., & in ſermone de S. Martino: cui ſubſcribunt Baronius, Cangius, Thomaſſinus, Mabillonius, aliique. Neque audiendus Joannes Fileſacus ſcribens in quer. Eccl. Gallic. Græcam eſſe illius vocis originem, quæ concavitatem denotat: cum inauditam eſſe eam vocem apud Græcos, Joannes Meurſius teſtetur. Pariter rejiciendæ ſunt interpretationes Gloſſographi, qui in cap. *Concedimus*, de Conſecr. Diſt. 2. dictam putat Capellam, quod caprarum pellibus tabernacula tegerentur; & eorum, qui ejuſdem dictionis originem accerſerunt a verbo Capio. Itaque Capellæ vocabulum primo occurrit in Marculpho, qui medio ſæculo ſeptimo floruit, lib. 1. formul. cap. 38. ubi refert, Francorum Proceres juraſſe *manu poſita in Palatio ſuper Capellam Domini Martini*. Hic Capellæ vox Reliquias ipſas denotat: uti & in Charta quadam edita a Mabillonio lib. de re. Dipl. ubi Theodoricus Rex anno 680. ait: *Sua mano . . . . in Oratorio noſtro ſuper Capella domni Martini, ubi reliqua Sacramenta percurribant, hæc debirent conjurare*. At in altera Childeberti Regis anno 710. ipſum Oratorium nuncupatur Capella: *Sic ab ipſo viro Grimaldo fuit judicatum, ut ſex homines de Verno, & ſex de Latiniaco bone fideus in Oratorio ſuo, ſeu Capella S. Martini immemorata homenis debirent conjurare*. Quid vero ea fuit D. Martini Capa? Non alia ſane juxta Cangii ſententiam in Gloſſario, quam illius brevis tunica. Atqui tamen Hieronymus Bignonius in notis ad Marculphi formulas lib. 1. cap. 38. cenſet, non ullam D. Martini veſtem denotari; ſed Capſam, ſeu Capellam, aut thecam, ubi ejus recondebantur Reliquiæ. In eadem eſt ſententia Peiratius lib. 1. de Orat. Reg. Gall. cap. 1. & 2. eo ductus momento, quod qui S. Martinum laudarunt Paulinus Nolanus, Severus Sulpitius, Gregorius Turonenſis, nullam illius Capæ, ſeu tunicæ mentionem injecerint: imo ex epiſtola quadam Theodomari Abbatis Caſinenſis ad Carolum M. infert Capæ vocem, tunicam quamdam denotantem ab Italis, non a Francis derivatam. Hæc tamen non adeo valida ſunt, ut Cangii ſententiam convellant; præſertim cum Veteres Capam, non Capſam dixerint B. Martini. Quod vero hujus Capæ nulla occurrat mentio apud antiquos; cauſa eſſe potuit, ut optime advertit Gatticus cap. 2. §. 4., quod ea ætate, nondum illud veſtimenti genus Capa diceretur, quo nomine donari cœpit ſæculo ſeptimo adoleſcente. Memorarunt tamen Sulpitius, & Fortunatus, brevem, hiſpidamque Beati Martini veſtem, quæ nudis brachiis, pectus ſolum ambiebat. Quoad Theodomari epiſtolam lib. 1. Chron. Caſin. cap. 12. ibi ſermo eſt de Cappa, ſeu Cucullo Monachorum, quod veſtimenti genus, totum corpus contegentis, diverſum ſane eſt a Capa, de qua agimus. Atque

que hæc eſt illius dictionis Capellæ origo, quo nomine deinceps omnes ſacræ Ædes donatæ ſunt. Quin & ipſa ſacra ſuppellex ad rem divinam faciendam dicta eſt Capella. Hoc ſenſu Carolus M. in ſuo teſtamento apud Eginhardum, vetuit dividi Capellam ſuam: & hoc ſenſu etiam non ſemel uſurpat vocem Capellæ S. Everardus Comes in ſuo teſtamento apud Cangium in Gloſſario. Sed & Cancellaria Principis dicta eſt Capella; eo quod in Oratorio Palatino Archivium, Diplomata, & Regni monumenta aſſervarentur. Hinc in Concilio Francofordienſi an. 794. can. 3. Carolus M. poſt condonata delicta Thaſſiloni Duci Bojorum, juſſit, ut unum Diploma hujus veniæ deponeretur in ſacri Palatii Capella. Et de Anglia, teſtatur Spelmannus, Archivum Regium in Capella cuſtodiri, quæ proinde dicitur Capella Rotulorum. In Statutis Davidis II. Regis Scotiæ leguntur litteræ, quæ emanarunt de Capella Regis. Unde qui deſcribendis Regiis publiciſque inſtrumentis addicebantur, Capellani olim audiebant. Denique illud notandum eſt cum Peiratio lib. 1. cap. 8. Capellam Regis proprio & ſtricto ſenſu ſumptam, non eſſe ſacram Ædem ipſam in loco aliquo conſtructam; ſed cœtum Clericorum, qui Regis ſunt a ſacris domeſticis. Qua de re ubicumque Rex fuerit, ſive in civitate, ſive in caſtris, domi foriſque, terra marique, habet Capellam ſuam: quemadmodum ubi Rex, ibi Aula.

IX. Regnante Carolo Magno ſacrarum rerum amantiſſimo, & ejus ſtirpe, haud facile eſt dictu, quantum Capella Palatina ſplendoris, & dignitatis acceperit. Ordo Romani Officii, quem Pipinus invexerat in Galliam, quemque Carolus M. egregie promoverat, & propagaverat, ibi potiſſimum vigebat. Sangallenſis Monachus lib. 1. de eccl. cura Caroli Magni cap. 33. ipſum exhibet, ut ducem & moderatorem cantus eccleſiaſtici, lectionum, & Officiorum, quæ celebrabantur in Capella Palatii: in qua nec ullum ſinebat adſcribi Clericum, niſi qui & litteras ſciret, & cantum. Refert idem Scriptor, quibus ille ſe muniret veſtibus, cum nocturnis adeſſet Officiis, & quanta circa ipſum eſſet Clericorum frequentia. Et Eginhardus in illius vita teſtatur: *Eccleſiam mane, & veſpere, item nocturnis horis, & Sacrificii tempore, quoad eum valetudo permiſerat, impigre frequentabat*. Hinc Palatina Eccleſia, veluti omnium exemplar habebatur, ad quam ſe cœteræ omnes conformarent, & tamquam magiſtram æmularentur. Quare cum voluit Leo III. ut in Gallia recitaretur Symbolum more Romano, ſine particula *Filioque*; hortatus eſt Miſſos Caroli M. ut in Regia Capella recitaretur, cujus exemplo ſe cœteræ Eccleſiæ accomodarent. Nec una erat Francorum Regibus Capella Palatina; imo cum plura eis eſſent Palatia, plures quoque ipſi habuere Capellas: omnium vero famoſiſſima dicitur a Gauſredo in vita S. Bernardi, Capella Palatii Aquiſgranenſis; quam a Carolo M. excitatam Leo III. conſecraverat. Plura de hac ſacra Æde ſcribit Eginhardus in vita Caroli Magni: eamque pluribus Sanctorum Reliquiis ditatam conſtat ex ſermone Caroli de illius fundatione, quem refert Miræus in Cod. piar. donat. cap. 11. Ibi enim ait Imperator, ſe Pignora Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, ex variis Regnis, præcipue Græcorum, collegiſſe, atque in eam Capellam intuliſſe. Hujus inſtar, aliam inchoavit Imperator Ludovicus Pius in Theodonis-Villa, cujus meminit Continuator Reginonis ad an. 939. Neque enim minori erga Divina Officia ſtudio afficiebatur: unde eum Davidi aſſimilat Theganus,

nus , aitque plus nimio indulſiſſe Conſiliariis ſuis , quod pſalmodiæ, & lectioni totus vacaret . Et cum ad ipſum ſcriberet Agobardus de multis , quæ imperium illius fœdarent , non potuit non juſtis laudibus afficere ſtudium & aſſiduitatem ipſius ad Divina Officia frequentanda . Succeſſores Reges ſecundæ & tertiæ ſtirpis habuiſſe Capellas Palatinas , habuiſſe & Capellanos plures , qui in Aula rem divinam facerent, cui ipſi ſæpiſſime interesrant, conſtat ex Peiratio, toto libro de Orat. Regum Galliæ . Inter eos eminuere in omni pietatis genere Robertus & S. Ludovicus ; quos Divina frequentaſſe Officia , noctu diuque in Capella ſua; plures ad ſacrum miniſterium Clericos aluiſſe; præcipuas anni ſolemnitates ſumma coluiſſe religione; Oratorio etiam portatili uſos eſſe ad ſacra Myſteria conficienda , ubi iter agerent ; & alia plurima pietatis argumenta referunt Helgaldus, Nangius , Gaufridus de Bello-loco, Scriptores illorum vitæ. Teſtis eſt Peiratius lib. 1. cap.4. nulla fere a Regibus Palatia conſtructa, ubi non eſſet Oratorium ad ſacra peragenda : Robertum excitaſſe in Palatio Ædem D. Nicolao ſacram ; Ludovicum VII. in Aula Sacellum B. M. Virgini conſecraſſe; & Sanctum Ludovicum in honorem Spineæ Chriſti Coronæ , quam a Balduino Orientis Imperatore acceperat , Sanctam Capellam Pariſienſem cum Clericorum cœtu conſtruxiſſe . Nam etiam Regibus ſecundæ & tertiæ ſtirpis mos fuit Sanctorum Reliquias in Aula cuſtodiendi, ut idem tradit Peiratius lib.1. cap.6. & 7. Ita Hugo Capetus Sanctorum Maglorii, Sanſonis , & Maglovii Corpora in Capellam intulit Palatinam ; quam etiam Parochiali jure donatam voluit . Et de Roberto ejus filio ſcribit Helgaldus , quod *jucundabatur in Sanctorum Pignoribus a ſe auro & argento bene ornatis* . Refert Cangius in Gloſſario verbo *Capella* Chartam Caroli Simplicis , ubi Rex ait ſe Reliquias B. Virginis Walburgis collocaſſe in Capella Palatii Attiniaci, & duodecim ibi deputaſſe Clericos : *qui diu noctuque Divina horis competentibus frequentent Officia*. Has Reliquias deferri conſueviſſe cum in hoſtes caſtra movebantur , diſerte conſtat ex Concilio Lipitinenſi anni 742., & ex Capitularibus Caroli M. lib.7. cap. 103. ubi ſtatutum fuit , ut nullis Clericis fas eſſet in hoſtem una cum exercitu pergere , niſi iis, quibus opus erat ad ſacra munia obeunda , & ad Sanctorum Pignora portanda . Regnantibus vero tertiæ ſtirpis Regibus , celebre vexillum dictum Auriflammeum , ex ara B. Dioniſii ſumptum, ſumma religione , in hoſtes ferebatur. Iidem fere mores obtinuere in Oriente, cujus Imperatores congreſſuri cum hoſtibus , & Reliquiis Sanctorum , & Auriflammeo utebantur . Tandem Capellæ Palatinæ Regum Galliæ, nedum Sanctis Pignoribus inſtructæ erant, verum etiam ſplendidiſſima ſacra ſuppellectile . Ut enim conſtat ex repertoriis Regis Roberti apud Helgaldum, & Ludovici Groſſi apud Sugerium , & Caroli VI. apud Peiratium lib. 2. cap. 4. & 5. ibi recenſetur Calices, Cruces, Evangeliorum libri , Candelabra , thuribula, ſimulacra, & alia ſacri miniſterii inſtrumenta , magno in numero , ex auro vel argento conflata : ornamenta etiam Sacerdotalia miri operis , ſummique pretii . Atque ex his ſatis ſuperque patet, quam antiqua , & quam ſplendida fuerit Capella Palatina in Aula Regum Francorum . Et nunc temporis habent Galliæ Reges Capellam , nedum in Pariſienſi Palatio , verum in Palatio Fontisbellaquei a Franciſco I. excitatam , & in Verſalienſi a Ludovico XIV. conſtructam; quas deſcribit Martinierius in ſuo Dictionario Geographico.

B X. In

Digitized by Google

X. In Aula Hiſpana a Suevorum Regum ætate Sacellum extitiſſe Palatinum, conjicit Turturetus in libello ad hanc rem edito. Nam Concilium Lucenſe anno 567., regnante Theodmiro celebratum, dum ſuas ſingulis Epiſcopis Diœceſes attribuit, Epiſcopo Dumienſi Regiam familiam aſſignat: *Ad ſedem Dumienſem familia Regia*. Ex quo colligit ille, ita habuiſſe Hiſpanos Reges propriam Eccleſiam Aulæ, & Aulicos Sacerdotes, uti Aulæ Antiſtitem: rejicitque Garciæ Loaiſæ ſententiam, qui nomine familiæ Regiæ denotari cenſet Monachos Dumienſis Monaſterii, quod Regii erat juris. Addit, in Hiſtoria gentis Hiſpanæ par. 2. cap. 4., juſſu Alphonſi Sapientis conſcripta, Regiam Domum ſubditam dici Epiſcopo Dumienſi, hocque idem aſſerere Lucam Tudenſem, & Ambroſium Morales Hiſpanos Scriptores. Regnantibus deinde Gothis, nullam quidem expreſſam mentionem occurrere Capellæ, & Capellanorum Aulæ Hiſpanæ: veſtigium tamen ejus rei deprehendi in Concilio Toletano VII. cap. I. ubi memorantur Sacerdotes, qui adſtringebantur juramento, Regi ſe fidos fore. Horum nomine cenſet Turturetus Aulicos Sacerdotes indigitari. Eugenium quoque Toletanum Antiſtitem e numero fuiſſe Palatinorum Sacerdotum opinatur, quod ab Idelfonſo Toletano lib. de vir. illuſtr. cap. 14. dicatur Clericus Regiæ Eccleſiæ: *Qui cum Eccleſiæ Regiæ Clericus eſſet egregius*. Quamvis Hiſpani Scriptores nomine Eccleſiæ Regiæ, non Eccleſiam Palatinam, ſed Toletanam interpretantur; quod ampliſſima Civitas illa olim diceretur Urbs Regia. Si vera tamen narrat Julianus, vel ſi vera a majoribus accepit, fuit Gothis Hiſpaniæ Regibus Capella Palatina, ubi S. Leocadiæ Corpus tumulatum erat. Is enim ſcribit in ſuis adverſ. n. 289. *Accepi ſimul a majoribus in S. Leocadiæ Sacello Regio, Corpus ſepultum fuiſſe in Aulæ Sacello, & prope Sepulcrum Virginis, in pariete locatum thronum fuiſſe Regis Receſſuinthi, Gothorum more purpura tectum*. Sub tertia Regum Hiſpaniæ Dynaſtia, Regum nempe Legionis & Caſtellæ, non obſcuris argumentis Eccleſia Palatina aſſeritur. Ferdinandus cognomento Magnus Legionis & Caſtellæ Rex omnibus intererat nocturni diurnique Officii Horis, concinens & ipſe cum Clericis, quin & agens quandoque partes Præcentoris. Ita de eo narrat Rodericus lib. 6. de reb. Hiſp. cap. 13. ad an. 1063. *Eccleſiam veſpere, & mane, nocturniſque horis, & Sacrificii tempore frequentabat, interdum cum Clericis in Dei laudibus modulando, interdum etiam vices Cantoris explebat*. Atqui hanc Eccleſiam nonniſi Palatinam fuiſſe, illud ſuadet, quod Rex ſingulis noctibus, ſingulis quoque diebus, mane, & veſpere, Aula egredi, & ad Eccleſiam pergere, haud facilè potuiſſet? Idem dicendum eſt de Joanne Aragonum & Siciliæ Rege, quem etiam quotidie Divinis affuiſſe Officiis, teſtis eſt Marinæus Siculus lib. 21: *Quotidie rebus divinis & ſacris interfuit*. Narrat & idem Auctor, Iſabellam Caſtellæ & Aragoniæ Reginam nuſquam defuiſſe Divinis Officiis, quæ in Regia ejus Capella decantabantur; ſi quid vitioſe pronuntiaretur, ipſam emendaviſſe; Horas quoque Canonicas ipſam quotidie perſolviſſe: *Semper enim ſacris rebus, & Divinis Officiis aderat. In quibus ſi quis forte Sacerdotum ſuorum, qui ſibi rem divinam celebrabant, aut Horas Canonicas, & Pſalmos canebant, erraſſet in ſyllaba, perſentiebat, & tamquam Magiſtra diſcipulum admonebat. Quæ præter multas extraordinarias & votivas orationes, Horarium quoque, Sacerdotum more, quotidie perſolvebat*. Tandem, cum in non-

nonnullis privilegiis ab Alphonſo VI. conceſſis Antiſtiti Compoſtellano, medio fere duodecim ſæculo; atque in Lege Hiſpana ab Alphonſo IX. edita, mentio fiat Capellanorum Aulæ Hiſpanæ, jam hærendum non eſt, quin antiquis Hiſpaniæ Regibus fuerit Palatina Eccleſia. Quam vero nunc temporis habent, deſcribit Turturetus Philippi IV. Capellanus in libro de Sacello Regio cap.4. de cujus Clero,& Liturgia inferius dicendum erit. Sed præter hanc Eccleſiam Palatinam, alia ſunt in Aula Hiſpana Sacella, ubi privatim a Capellanis Aulæ, ſacra Myſteria conficiuntur, Rege præſente.

XI. Eſt etiam hoc loco commemoranda Capella Palatina Regum Angliæ, quod olim ſacrarum rerum cultu, & Clericorum frequentia plurimum effulſerit, & ad hæc uſque tempora illius ſuperſint veſtigia. Sane Alfredum Regem, qui nono imperabat ſæculo, habuiſſe in Aula ſua Capellam, indicat Willelmus Neubrigenſis lib. 2. de geſt. Regum Angliæ. Narrat enim illum horas diei cujuslibet ita tripartiri ſolitum, ut lectioni & orationi octo dicaret, totidem Regni diſponendis negotiis, totidem humanis neceſſitatibus explendis. Erat in illius Capella cereus, qui noctu ardebat interdiuque, & horas demonſtrabat ſingulas, de qua re ipſum Capellani commonebant. Librum quoque Officiorum Eccleſiæ, ſinu ſuo ſemper geſtabat, ut ad ea ſe conferret, quoties ei id eſſet otii. Aliis etiam antiquis Angliæ Regibus non defuiſſe in Aula Oratorium, ubi rei divinæ vacarent, vel ex hoc uno conjici poteſt argumento, quod illorum decem enumerat Matthæus Paris in Henrico III, in Sanctorum Albo relatos. Nec defuit Regibus ejuſdem Regni, qui ſucceſſere. Nam Willelmus ille, qui ſæculo undecimo Angliam ſubegit, ut ſcribit Malmesburienſis lib. 3. Reg. Angl. *Religionem Chriſtianam, quantum ſæcularis poterat, ita frequentabat, ut quotidie Miſſæ aſſiſteret, veſpertinos, & matutinos hymnos audiret*. Cui adjungendus eſt clariſſimus Angliæ Rex Richardus, quem primum ſemper omnium ſurgere ſolitum, & in Eccleſiam pergere, ut Divinis omnibus adeſſet Officiis, narrat Rogerius. Adjungendus quoque eſt Henricus III, quem tribus quotidie Miſſis ſolemnibus intereſſe ſolitum, præter alias, quæ ſubmiſſa voce recitabantur, ſcribit Walſinghamus ad an. 1273. Quotidiana hæc pietatis officia, non alibi facile potuiſſent Reges, noctu diuque explere, niſi in Eccleſia Palatina. Ibi itaque Divinis Officiis, & Miſſarum ſolemniis vacabant: ibi præcipuas anni feſtivitates agebant, quas ſumma religione & pompa coluiſſe in Aula ſua Anglos Reges, indicat non ſemel in Hiſtoria ſua Froiſſartus. Et a Polydoro Virgilio lib. 8. Hiſt. duæ præcipuæ memorantur in Aula Anglicana ſacræ cæremoniæ; quarum una ſpectat ad curandas ſtrumas, quod feſtis quibuſdam diebus, multiplici ritu præſtabant Angliæ Reges: altera vero fuit, annuli contra comitialem morbum benedictio, quæ in die Paraſceves agi conſuevit. Porro ad rem divinam faciendam numeroſum in Aula alebant Clerum; adeo ut non ſemel Romani Pontifices ægre tulerint tot Epiſcopos, Clericos, Monachos a ſuis avelli Eccleſiis, & Aulæ addici. Id etiam ægre tulit Petrus Bleſenſis ep. 14. ad Clericos de Capella Regis data, qua graviter eos hortatur, ut exemplo ſuo, ſe ſe ab Aulæ periculis ſubducerent: qui tamen ep. 150. mitigavit aſperius dicta in Aulicam vitam, faſſus expedire Eccleſiæ, ut Clerici aliqui in Aula verſentur, dummodo non officio ſuo deſint, non Aulæ vitiis maculentur. Cauſa etiam erat, cur minus probaretur illorum in Aula

 fre-

frequentia, quod non tam ſacris rebus, quam temporalibus negotiis tractandis incumberent: cum Reges officia fere omnia Aulæ, & Regni, Clericis committere conſueverint. E numero autem Clericorum Capellæ Regis fuit Magnus Eleemoſynarius: quo munere functus eſt Eduardus Foxius ſub Henrico VIII., & Willelmus Biel ſub Regina Eliſabetha, ut refert Peiratius lib. 1. cap. 29. ex eo Capellam Angliæ Regum inferens, ad Capellæ Regum Galliæ normam, compoſitam fuiſſe. Nunc etiam temporis in ipſa Aula Anglicana etſi miſerando ſchiſmate a Romana Eccleſia disjuncta antiqui moris veſtigia ſuperſunt. Ut enim conſtat ex Dumontio & Rouſſetio in Cæremoniali Angliæ cap. 1. §. 3. eſt in Palatio Regio Capella, cui qui præeſt, Decanus dicitur, plerumque ex Epiſcoporum numero, eique nonniſi Rex imminet. Spectat ad Decanum inferiores Capellæ Miniſtros deſignare, atque hi ſunt: Vice-Decanus, duodecim Eccleſiaſtici ad rem divinam faciendam, viginti Cantores laici, qui dicuntur Capellæ Clerici, duodecim Scholares ad rem muſicam, Cuſtos Capellæ, treſque Caduceatores, qui argenteam virgam ferunt. E numero Clericorum Capellæ ſunt, Magiſter artis muſicæ, duoque Organiſtæ. E cœtu autem Eccleſiaſticorum, unus ſpiritualem gerit curam Aulicorum; quippe qui mane quolibet preces ipſis indicit; ſi qui ægrotant, ad eos inviſendos, monendoſque accedit; ſi quid in re divina illis obſcurum, dubiumque occurrit, explanat. In ea Capella ter ſingulis diebus preces aguntur; ſingulis vero Dominicis, & feſtis duæ conciones habentur; reſque Divina celebratur cum cantu, muſiciſque inſtrumentis. His diebus Rex Ordinis Periſcelidis torquem geſtat, uti etiam in anniverſariis nativitatis, & inaugurationis ſuæ: atque ad Liturgiam nummum offert aureum, quem Byzantium vocant, quod ibi cuſus fuerit primum, porrigente oblationem Supremo Regiæ Domus Præfecto. Atque id quidem in Nativitate Domini, Paſcha, Pentecoſte, feſto omnium Sanctorum: ſiquidem in aliis nonnullis diebus feſtis aurum offertur: in Epiphania vero aurum, thus, & myrrha. In præcipuis etiam ſolemniis, atque prima cujuslibet menſis Dominica, ſolet Rex cum Aulicis ſuis Euchariſtiam ſumere. Ad conciones habendas in Palatina Capella, conſtituti ſunt quadraginta octo Capellani, quorum quatuor in orbem ſingulis menſibus, verba faciunt. Sed Quadrageſimæ tempore, (quod etſi non jejunii, attamen majoris fovendæ pietatis tempus habetur in Eccleſia Anglicana) frequentiores ſunt conciones; nempe ſingulis diebus Dominicis, feriiſque quarta & ſexta. Et primo quidem in die cinerum, Decanus Capellæ conciones exorditur; tum ſequenti feria ſexta, Decanus Eccleſiæ S. Pauli; & die Dominica, Epiſcopus aliquis concionatur. Deinde hoc ordine ſequuntur conciones, ut feria quarta a Capellano aliquo Regis; feria ſexta ab aliquo e Decanorum cœtu; Dominica autem ab Epiſcopo ſit concionandum; in die Palmarum ab Archiepiſcopo Cantuarienſi; in Paſcha a Magno Regis Eleemoſynario. Habet quippe Aula Anglicana Magnum Eleemoſynarium, cujus munus eſt ſtipem diſtribuere in magnis præſertim ſolemnibus, feria quinta Magnæ Hebdomadæ lotionem pedum vice Regis agere, & ſtipendia ſolvere veteranis Aulicis, vel eorum viduis. Denique præter hanc Eccleſiam Palatinam, habent Angliæ Principes privatum Oratorium, ubi ſacris rebus privatim vacent, ibique ſacra moderatur Theologus, quem vocant Clericum cubiculi. Is curam gerit animæ Regis, eum adjuvat in

in agendis rebus divinis, is etiam benedicit Regiam menſam. Huic alii duo ſubſunt Clerici, qui eo abſente, eaſdem partes impleant.

XII. Capellam Aulæ Luſitanæ vetuſtiſſimam eſſe tradit Antonius Caietanus Souſa Teatinus Lib. 4. Cap. 178. Hiſtoriæ Regum Portugalliæ. Nam Alphonſo I. regnante, Eccleſia S. M. de Oliveira Capellæ Regiæ dignitate ornabatur; tum etiam in Civitate Conimbricenſi, ubi aliquando Regium fuit domicilium, Eccleſiæ Sanctæ Crucis, & S. Michaelis, eadem inſignitæ ſunt prærogativa. Regibus in Santyremi Civitate degentibus Capella Regia fuit Eccleſia S. M. de Alcacova: & in Civitate Ulyſſiponenſi, Eccleſiæ S. Bartholomæi, S. Martini, e Sanctæ Mariæ de Eſcada. At Dionyſius Rex Portugalliæ Capellam in Palatio ſuo excitavit S. Michaeli Archangelo ſacram; & ibi S. Eliſabeth Regina Divinis vacabat Officiis, quæ a Capellanis plurimis perſolvebantur, uti ex ejus Actis apud Bollandum die quarta Julii. Ibi enim cap. *6.* habuiſſe dicitur Capellam nobili, & numeroſa inſtructam ſuppellectile, ubi Miſſarum ſolemnia, ubi Divina Officia a Capellanis ſuis celebrabantur, & ubi piiſſima Regina ſingulis diebus oblationem ad altare faciebat. Et cap. 10. dum ejus vivendi ratio deſcribitur defuncto coniuge, rurſus memoratur Palatina Capella; memoratur & privatum Reginæ Oratorium. Nam in privato Oratorio, Divinum recitabat Officium, una cum nonnullis Monialibus, quas ſecum habebat; tum audito Sacro, ſe conferebat ad Capellam Palatinam, ubi a Clericis, Capellaniſque Liturgia, & Divina Officia abſolvebantur; ac in diebus feſtis conciones quoque habebantur. Capellam Regum Luſitaniæ pluribus donarunt privilegiis Romani Pontifices, uti ſuo loco dicturi ſumus. Olim fuiſſe Eccleſiam S. M. de Eſcada aſſerit Souſa lib. 4. cap. 12. deinde ab Emanuele Rege, anno 1581. excitata eſt Palatina Capella D. Thomæ Apoſtolo Indiarum Protectori conſecrata, hac poſita inſcriptione: *D. O. M. Sub honore Divi Thomæ Apoſtoli: Hic Rex Emmanuel Capellam Regiam dicavit & tranſlata fuit. An. MDLXXXI. Locum profanari vetat Religio.* Eam anno 1710. perente Joanne V. piiſſimo Portugalliæ Rege, ſacrarum rerum amantiſſimo, Clemens XI. Bulla *Apoſtolacus miniſterio* conſtituit Collegiatam Eccleſiam cum inſigni Clericorum cœtu ex ſex Dignitatibus, decem & octo Canonicis, duodecim Beneficiatis, octo Manſionariis conflato; quos quidem omnes Rex tamquam Patronus nominaret, Capellanus maior inſtitueret. Tum anno 1716. ab eodem Pontifice Capella Regia aucta eſt dignitate Cathedralis, & Patriarchalis Eccleſiæ ſub titulo S. M. in Cœlum aſſumptæ, diviſa Provincia, & Diœceſi Ulyſſiponenſi in partes duas Orientalem, & Occidentalem; quarum prima veteri ſubeſſet Archiepiſcopo, alteram Magnus Capellanus, idemque Patriarcha adminiſtraret. Sed ex Clementis XII. Conſtitutione anno 1737. Patriarchæ Ulyſſiponenſi conjuncta eſt perpetuo dignitas Cardinalitia. Canonicis quoque Capellæ Regiæ ſeu Patriarchalis Eccleſiæ, qui Principales dicuntur, privilegia plurima collata ſunt, tum a Romano Pontifice, tum a Rege, cujus decreto die 24. Decembris anno 1716. parem honoris, & dignitatis locum cum cæteris Epiſcopis Regni acceperunt. Aliis deinde Conſtitutionibus Pontifex idem majora beneficia in eam Eccleſiam effudit, quartam inſuper partem proventuum Epiſcopatuum Luſitaniæ eidem Eccleſiæ addixit, Rege petente. Quibus omnibus novum robur addidere Innocentius XIII. Bulla *Rationi congruit* anno 1721. & Cle-

Clemens XII. Bulla *Religioſa Chriſtianorum Principum* anno 1738. Tum a Religioſiſſimo Principe conſcriptus eſt inſignis, ac numeroſus Clerus in Presbyteros, Protonotarios, Suddiaconos, Acolythos, Canonicos, Beneficiatos, alioſque Ordines diſtinctus ad ſacrum ejuſdem Eccleſiæ miniſterium. Tandem, quod ex ea diviſione Diœceſis, & Civitatis Ulyſſiponenſis in partes duas, plura ſequerentur incommoda, Conſtitutione Benedicti XIV. anno 1740. incipiente his verbis *Salvatoris noſtris*, ea ſublata, conſtituta eſt una, eademque Eccleſia Cathedralis, & Patriarchalis totius Civitatis, & Diœceſis Ulyſſiponenſis, Capella ſcilicet Palatina, ita ut antiquæ Cathedrali ſervaretur dignitas Collegiatæ Eccleſiæ, ſub titulo S. Mariæ. Nunc itaque in Aula Regum Luſitaniæ Capella Regia eſt ſimul Cathedralis, & Patriarchalis Eccleſia, ob Miniſtrorum copiam, & dignitatem, ſacræ ſuppellectilis magnificentiam, ſacri miniſterii cultum, ac ſplendorem, obque jura, & privilegia plurima, quibus fulget, præſtantiſſima: idque debetur eximiæ pietati, ſummoque erga res ſacras ſtudio Joannis V. Regis, quem proinde merito Benedictus XIV. anno 1749. donavit titulo *Regis Fideliſſimi*.

XIII. Ex his paret Regum Luſitaniæ Capellam inſigniorem aſſecutam eſſe dignitatem, ſplendoremque, cum Brigantini Duces ad imperium pervenerunt. Horum namque ſumma ſemper fuit erga res ſacras religio, ut proinde nobiliſſimam habuerint in Palatio Ducali Civitatis Vecæ (*Villa-Viçoſa*) Capellam S. Hieronymo dicatam, privilegiis pluribus a Romanis Pontificibus cumulatam. Ut enim refert idem Antonius Cajetanus Souſa lib. *6.* Hiſt. Luſit. Paulus III. Romanus Pontifex anno 1534. Theodoro I. Duci Brigantino poteſtatem fecit habendi in Capella ſua Clericos plures, qui Divina Officia ritu Romanæ Eccleſiæ perſolverent; eiſque Julius III. anno 1552., & Gregorius XIII. anno 1575. Sacerdotia plurima contulere, quæ Præbendarum loco eſſent. Oratorium domeſticum Brigantinis Ducibus conceſſit Pius V. & facultatem miniſtrandi ibi Baptiſmi eorum filiis. A Gregorii XIII. Pontifice, Brevi dato, die 20. Decembris, anno 1576. ſacræ illæ pro expiandis deſunctis Indulgentiæ, quas Romæ in Eccleſia S. Gregorii lucrantur Fideles, communicatæ ſunt Capellæ Palatinæ Ducum Brigantinorum, ita ut Sacrum ibi in Ara Principe (quam idcirco privilegiatam nuncupant) celebratum pro deſuncti expiatione, hunc abſolveret ſatisfactionis neceſſitate. Alio inſuper Brevi ejuſdem Pontificis die 22. Aprilis, anno 1581. Clericorum illius Capellæ Collegio addita eſt Decani Dignitas, quem Princeps præſentaret Archiepiſcopo Eboræ, is vero inſtitueret, quique reſidentiæ vinculo adſtringeretur; Divinis præeſſet Officiis, & curaret Statuta ſervari a Principe lata. Tum quoque idem Pontiſex ſignato Brevi, die 8. Auguſti, anno 1581. Theſaurarium, ſecundam a Decano Dignitatem in eadem Capella conſtituit; litteras quoque dedit in ſorma Brevis, die 30. Auguſti, anno 1581. ut quotidianæ diſtributiones iis denegatæ Clericis, qui Divinis perſolvendis Officiis deſuiſſent, Capellæ ſartis tectis concederentur. Denique privilegio ejuſdem Pontificis ſas erat in ea Capella Divina omnia Officia ſolemni ritu celebrari, Euchariſtiam aſſervari, eademque ſtatis quibuſdam diebus publicæ adorationi exponi. Succeſſores deinde Pontifices nova, & inſignia in Capellam, Capellanoſque Brigantinorum Ducum beneficia adjunxere. Nam ex Bre-

vi

vi Sixti V. die 10. Januarii, anno 1590. Clericis prædictæ Capellæ permittuntur quotidianæ diſtributiones, ſi alibi eis commorandum eſſet, ut Principi famularentur. Quod privilegium eiſdem firmavit, extenditque Clemens VIII. die 13. Auguſti, anno 1592. Quin etiam ab eodem Clemente VIII. Pontifice, die 18. Septembris, anno 1601. poteſtas Duci Brigantino facta eſt, ut ſibi adjungeret Clericos quamvis reſidentiæ legibus adſtrictos ad civilia, & ſæcularia munia exercenda, dummodo ne in criminalibus negotiis jus redderent. Hucuſque tamen Capellæ, & Capellanis Brigantinorum Principum imminebat Archiepiſcopus Eboræ, tamquam Diœceſanus; at Clemens VIII. Breve edidit anno 1601. die 18. Septembris, quo Decanum, Capellanos, alioſque Clericos Capellæ S. Hieronymi in Civitate Vecæ immunes, exemptoſque declaravit ab Ordinarii juriſdictione, ita ut nec viſitari nec cenſuris innodari ab eo poſſent; neque vel ratione contractus, aut delicti, aut Beneficii ullo modo ei ſubeſſent, ubicumque verſarentur; ſed ſoli Apoſtolicæ Sedi immediate ſubjicerentur. Hujus privilegii executio demandata eſt Decio Carafæ Archiepiſcopo Damaſceno, Pontificio in Luſitania Miniſtro, deinde Cardinali, & Archiepiſcopo Neapolitano: & Souſa lib. *6*. Hiſt. Luſit. pag. 502. plura profert exempla vindicatæ a Pontificiis Miniſtris exemptionis illorum Capellanorum ab Ordinaria auctoritate. Præterea eodem Clemente VIII. annuente, litteris datis die 10. Martii, anno 1604. Divina Officia Majoris Hebdomadæ in ea Capella noctu celebrari; & ex litteris Urbani VIII. die 20. Februarii, an. *1636*. Sanctiſſimam Euchariſtiam aſſervari fas erat. Denique Brigantino Duci a Clemente VIII. Brevi emanato die 11. Decembris, anno 1591. poteſtas facta eſt eligendi ſibi Confeſſarium, quem maluiſſet ex adprobatis ad audiendas Confeſſiones, qui crimina, & cenſuras, quarum abſolutio eſſet Apoſtolicæ Sedi reſervata, etiam in Bullis Pontificiis, relaxaret; & lacticiniorum uſum permitteret iis diebus, quibus illorum eſus fuerat interdictus. Ex his itaque Romanorum Pontificum privilegiis facile colligitur, quanta dignitate excelluerit Capella Brigantinorum Principum; cui Decanus, Theſaurarius, Capellani ſexdecim, aliique plures Clerici, & Cantores quotidiana Divinorum Officiorum celebratione inſerviebant. Illud etiam ex his colligitur, ſummam ſemper fuiſſe Brigantinorum Principum religionem, pietatemque in ſacris domeſticis rebus colendis, augendiſque: quo nomine a Clariſſimo Souſa lib. *6*. Hiſt. Luſit. præſertim laudantur Brigantini Duces Jacobus IV. & Joannes I. utpote qui Capellam, Capellanoſque ſuos opibus, privilegiis, ſplendidiſſima ſacra ſuppellectile cumularunt, & ſacris cæremoniis, Diviſque Officiis rite, ac magnifice in Capella ſua agendis ſummo ſtudio incubuerunt.

XIV. Olim Duces Comiteſque habuiſſe in Comitatu ſuo Capellam, & cœtum Clericorum, notat Altaſerra de Ducibus lib. 3. cap. 8. Omnium vero præclariſſima fuit Capella Divionenſis Ducum Burgundiæ, quam anno 1172. fundavit Hugo III. Dux Burgundiæ, uti ex præcepto fundationis conſtat edito ab Auberto Miræo. Meminit hujus Capellæ, & Canonicorum ei deſervientium Innocentius III. in Cap. *Cum Capella*, de Privilegiis. Atque ibi originem duxit ampliſſimus Ordo Equeſtris velleris aurei; ibi etiam quotannis habebantur Comitia ſocietatis, & S. Andreæ Apoſtoli tutelaris ſolemnia agebantur. Nunc vero temporis, inſignis eſt Ducum Sabaudiæ Capella, quam

in

in Aula ſua habuiſſe, antequam Sardiniæ Regno potirentur, colligitur ex Franciſco Ranchino in Europæ deſcriptione inter Geographica Opera Davity. Scribit enim, Sabaudiæ Ducibus ſuam eſſe Capellam, iiſdem donatam privilegiis, quibus Capellæ Regiæ fruuntur, & ex Magno Eleemoſynario, quatuor inferioribus Eleemoſynariis, pluribuſque Capellanis, Clericis, & Cantoribus conflatam. Sane ſub Philiberto Sabaudiæ Duce, Gaſpar Caprius, electus Aſtenſis Epiſcopus anno 1550., egerat Eleemoſynarium & Cancellarium magni Ordinis Sabaudiæ, uti teſtatur Ughellius. Qui idem in Epiſcopis Nicienſibus recenſet Joannem Baptiſtam Provanam, creatum anno 1548. Nicienſem Præſulem, ex Magno Eleemoſynario Ducis Sabaudiæ, & Canonico Taurinenſi. Et Joannes Franciſcus de Sales Epiſcopus Chalcedonenſis, S. Franciſci Saleſii frater, ſucceſſorque in Sede Genevenſi, fuit Eleemoſynarius, & Magnus dicti Ordinis Cancellarius, apud Carolum Emanuelem Ducem, uti referunt Sammarthani to. 2. Galliæ Chriſtianæ. Verum paucis abhinc annis, plurimum ornamenti & ſplendoris acceſſit Capellæ Ducum Sabaudiæ, qui & Sardiniæ Reges, ineunte hoc ſæculo, dici cœperunt. Palatinam quippe Capellam auxit Victorius Amedeus anno 1729., favente Benedicto XIII. Parochiali dignitate, quæ Aulam, Aulicoſque complecteretur: mox eamdem, anno 1745, pluribus cumulavit privilegiis ſuo loco adducendis, glorioſiſſimus Pontifex Benedictus XIV., quem ſummi honoris cauſa nominamus. Clerus Capellæ Regum Sardiniæ conſtat ex Magno Eleemoſynario, qui ſacris rebus in Aula præeſt, ut alibi dicendum erit; quatuor inferioribus Eleemoſynariis, quorum unus vicarias partes agit Magni Eleemoſynarii; eorum ſinguli, alternis vicibus, ſpatio trium menſium in Aula miniſtrant, nempe Regias benedicunt dapes, ſtipem erogant, Regem adeuntem Eccleſias adſpergunt ſacris aquis: ſex Capellanis, qui Sacrum faciunt in Capella: tribus aliis Capellanis, qui curæ animarum incumbunt, unde Vice-Parochi dicuntur: tribus Capellanis Honorariis: duobus Clericis, & altero ſuper numerum. Habet præterea Rex in villaribus & ruſticanis Domibus Regiis ad delicias & voluptatem extructis Capellas plures; præſertim vero in Palatio Veneriæ, cui contigua eſt inſignis Eccleſia, eaque eſt Aulæ, & Aulicorum Parochia: quæ omnes, & illarum Clerici, & Vice-Parochi, tamquam membra ſunt urbanæ Palatinæ Capellæ. In earum quoque numero eſt recenſenda Eccleſia Supergæ, tribus millibus paſſuum a Taurino diſſita, quam ad tumulanda Sabaudorum Principum corpora inceperat Victorius Amedæus, perfecit vero anno 1731. Carolus Emanuel glorioſiſſimus Princeps. Ibi Divina perſolvuntur Officia a duodecim Presbyterorum Collegio, qui inter Capellanos Regios Honorarios adſcribuntur, & nonniſi Magno Eleemoſynario, uti etiam alii ejuſdem Eccleſiæ Clerici, ſubjecti ſunt.

XV. Jam vero adeunda nobis eſt Aula Regum Siciliæ primæ ſtirpis, ſeu Nortmannorum; ubi Palatina occurrit Eccleſia, vetuſtate ævi, operis excellentia, ſacrarum rerum cultu, Canonicorum cœtu, miniſtrorum copia, Parochiali dignitate, Regum beneficiis, Sanctorum denique Reliquiis, omnium præſtantiſſima. Neque enim in iis, quæ ad pietatem, & ad rem divinam ſpectant, Siciliæ Reges ullis umquam Regibus conceſſere. Sane apud Nortmannos Duces, qui pulſis Longobardis & Sarracenis eximia virtute Apuliam, Siciliamque occuparunt, receptum fuiſſe morem habendi Capellas ſuas, ſuadent mo-

monumenta illa, in quibus eorum Capellani memorantur, quæ nos alibi proferemus. In illorum numero Robertus Guiſcardus, ejectis anno 1071. Panormo Sarracenis, recepta Urbe, reſtitutis ſacris rebus, conſtructis mœnibus, in arce ipſa Palatina, ubi ſuum erat domicilium, Sacellum muſivo & vermiculato opere ædificavit, quod Hieruſalem dicebatur. De qua re Fazellus Rer. Sicul. Decad. 2. lib. 7. cap. 1. ſcribit: *Igitur in priſtinum Chriſtianitatis ſtatum cum ſumma celebritate omnia redicre. Templa, Fana, ac Ædes Chriſto & Divis excitata, ſupplicationes Deo decretæ publice, privatimque, gratulationes cum effuſa lætitia factæ . . . . His rite patratis, urbem Robertus & Rogerius firmis mœnibus ac præſidiis, duplici arce, altera ad mare, a quo adhuc cognomen habet, altera ad Occideutem, Ædeque ſacra muſivo ac vermiculato opere ab Hieruſalem cognominata, erectis, mirifice exornarunt.* Verum Palatinæ illius nobiliſſimæ Eccleſiæ, quæ ad hæc uſque tempora extat in Aula Panormitana, auctor fuit Rogerius Primus Siciliæ Rex, poſt compoſita Regni negotia, poſt res plurimas feliciter geſtas, Regiſque dignitatem ſibi aſſertam & vindicatam. Hunc clariſſimum & piiſſimum Principem, inter alia plurima Templa, quæ Deo & Divis conſecraverat, excitaſſe in Palatio ſuo miræ ſtructuræ Eccleſiam D. Petro Apoſtolo ſacram, narrat his verbis Fazellus Rer. Sicul. Decad. 1. lib. 8. cap. un. deſcribens Aulam Panormitanam: *Arcem ipſam ingredientibus Sacellum muſivo a Roberto Guiſcardo ſtructum, Hieruſalem nuncupatum, a fronte occurrebat. Quod deformatum mea ætate ad profanos mutatum eſt uſus. Sed & ad dexteram hodie in veſtibulo, Templum eſt D. Petro Apoſtolorum Principi ſacrum a Rogerio Siciliæ Rege a fundamentis erectum: prout Petrus Archiepiſcopus Panormitanus & Canonici, eorum diplomate dato Panormi an. ſal. 1132., ejuſdem regni anno ſecundo, teſtantur, & ipſius Rogerii Regis priviligio dato Panormi menſe Martio an. ſal. 1143. & ſui Regni 12. conſtat.* In eo diplomate Rogerius, poſt enumerata divina erga ſe beneficia, ſe eam ædificaſſe Eccleſiam, opibus, & privilegiis pluribus donaſſe dicit, quibus nemini fas eſſet obſiſtere: *Aſpirante itaque nobis ſeptiformi Salvatoris gratia, cujus miſericordia, noſtra proſperantur in melius, in honorem B. Virginis Mariæ, omniumque Sanctorum, & titulo B. Petri Apoſtolorum Principis intra noſtrum Regale Palatium, quod eſt in Urbe Panormi, Eccleſiam ſumma cum devotione fabricari fecimus.* Id Sacellum ſua pulchritudine, & rerum pretioſiſſimarum apparatu cæteris, quæ in Italia nunc uſque extant, ſeu veteribus, ſeu novis longe præſtare, jure merito aſſerit Fazellus, ſingulas illius partes deſcribens. At vero nedum operis magnificentia cæteris Capellis Palatinis Principum præfertur; ſed etiam ſacrarum rerum dignitate. Nam primo Eccleſiam hanc Palatinam, in gratiam Rogerii Regis, Petrus Archiepiſcopus Panormitanus, anno 1132., Parochialem conſtituit Eccleſiam Regii Palatii. Refert diploma Roccus Pirrus tom. 2. Siciliæ ſacræ, noviſſimæ editionis, in notitia hujus Eccleſiæ: *Rex benigniſſime, veſtris poſtulationibus devotis annuentes Capellam veſtram in honorem S. Petri Apoſtolorum Principis infra Caſtellum ſuperius Panormitanum fundatam exaltare, & Parochiali dignitate irrefragabiliter munire decernimus; præſertim cum jam dicta Capella tam Canonicali honore, quam etiam reliquis beneficiis per veſtram majeſtatis munificentiam decorata realiter reſplendeat. Nos igitur voluntati veſtræ ſinceræ providentes, Canonicorum noſtrorum, & Capituli commu-*

 ni

ni conſenſu, concedimus, & præſentis privilegii auctoritate firmamus, ſupranominatæ Capellæ veſtræ, Eccleſiam S. Andreæ, quæ ſita eſt juxta murum Panormi cum cœmeterio ſufficienti, habendam illi, ac poſſidendam, & ejuſdem Capellæ Canonicis per hujus traditionis paginam, jure perpetuo. Adjicimus quoque ei in Parochiam totum Caſtellum Panormitanum cum univerſo Regali Palatio, ac omnibus in ea degentibus Capellanis, Clericis omnibus Capellæ, & ſervientibus Capellæ domeſticis ſuis. Solemnis hujus Eccleſiæ dedicatio peracta fuit anno 1140. die 18. Aprilis decimo anno Regis Rogerii, pluribuſque Indulgentiis cumulata: cujus rei diploma ſubſcriptum a Latinis Græciſque Sacerdotibus, qui rei ſacræ interfuere, narrat Pirrus. Eodem anno pingues reditus a Rogerio conceſſi ſunt Capellæ ſuæ: & in conceſſionis tabulis memoratur Capella Alviræ Reginæ, ejus conjugis; unde patet, Reginam quoque Clericos ſuos habuiſſe ad rem divinam faciendam. Sed & numeroſum inſignemque Clerum piiſſimus Rex adſcripſit Palatinæ Eccleſiæ, qui divino incumberet miniſterio. Ut enim refert Pirrus: *In prima fundatione conſtituti ſunt, Magiſter, ſeu Capellanus Major, duæ Dignitates, Cantor, & Theſaurarius, duodecim Canonici, tres Perſonatus, Subcantor, Magiſter ſcholarum, & Terminator, & duodecim Sacerdotes, quos Chorodatos vocamus, duo Sacriſtæ, & quatuor Clerici.* Denique, ut Divinis perſolvendis Officiis in Palatina Capella accuratius fieret ſatis, curavit Rogerius Horologium ibi conſtitui, quo deſignarentur horæ ſingulæ, ad agenda Divina Officia ſtatutæ. Id indicat vetus inſcriptio in ea Capella, quam referunt Pirrus, & Fazellus: *Hoc opus Horologii præcepit fieri Dominus & Magnificus Rex Rogerius an. Incarn. Domin.* MCXLII. *menſe Martio Ind.* 5. *anno Regni ejus* XIII. *feliciter*. Tum Græcis & Saracenis litteris additur: *O ſpectaculum novum. Fortis Dominus Rogerius Rex, ex Deo ſceptrum tenens, luxum frænat fluentis ſubſtantiæ, cognitionem diſtribuens a peccato immunem horarum temporis.* Jam vero nil addi potuiſſe videtur, ad illius Eccleſiæ Palatinæ dignitatem, & ornamentum. Atqui tamen ſucceſſores Normanni Reges novis eam beneficiis cumularunt. Præ cæteris Willelmus I. Rogerii filius, de quo ſcribit Romualdus Guarna Archiepiſcopus Salernitanus, auctor coævus, & qui in Aula aderat, in Chronico: *Divino Officio extitit multum intentus, & perſonas eſt eccleſiaſticas multum veneratus. Capellam S. Petri, quæ erat in Palatio, mirabilis muſibii fecit pictura depingi, ac ejus parietes pretioſi marmoris varietate veſtivit, & eam ornamentis aureis, & argenteis, & veſtimentis pretioſis ditavit plurimum, & ornavit. Clericos in ea multos, & præbendas inſtituit, & Divinum in illa Officium decenter, & tractatim, & cum Dei reverentia & timore celebrari diſpoſuit.* Videas quam in ipſo ſui exordio Capella Palatina noſtrorum Regum privilegiis, opibus, ornamentis, & Divino miniſterio effulſerit.

XVI. Suevi Reges Normannis ſucceſſere, qui cum Romano Imperio ſimul præeſſent, Capellæ Imperialis dignitatem eidem Eccleſiæ contulerunt. Ab iiſdem novo donata ſunt robore privilegia omnia a Normanis Regibus Palatinæ Capellæ conceſſa, uti ab Henrico anno 1195, & a Friderico II. anno 1225, Imperatoribus ac Regibus Siciliæ factum eſſe, Pirrus teſtatur. Et ab Henrico ſtatutum eſt, ut inibi ſingulis annis, defunctorum Regum primæ ſtirpis Rogerii, Willelmi I, & Willelmi II dies anniverſarii celebrarentur. Verum turbulenta & ærumnoſa horum Principum tempora; frequentia inſuper illo-

illorum in Apuliam, Germaniam, Palæſtinam, & varias Italiæ regiones itinera, ac expeditiones, impedimento fuiſſe videntur, quominus novis honoribus, & ornamentis Capellam Palatinam augerent. In eam rem propenſiſſimum fuiſſe Manfredum Regem, etſi turbis graviſſimis commotum imperium adminiſtraret, indicat datum ab eo diploma anno 1256, Foggiæ, die 4. Aprilis, quo immunes voluit Capellanos ſuos ab iis exactionibus, quæ collectarum nomine a cæteris ſolvebantur. Exſtat hoc diploma to. 2. Siciliæ ſacræ, noviſſimæ editionis: *Eccleſiam Capellæ ſacri Palatii noſtri Panormitani volentes amplius honorare; quod Prædeceſſorum noſtrorum, & noſtra reputetur Camera ſpritualis: Capitulum, & Clericos omnes ipſius Capellæ, tam illos, qui reſidentiam faciunt, Domino ſerviendo, quam alios de gremio ipſius Eccleſiæ, qui noſtram ſequendo Curiam, deputati ſunt Capellæ noſtræ ſervitiis, a collectis, & exactionibus gratioſe eximimus, & volumus eſſe immunes*. Capella Palatina in hiſce Mamfredi litteris *Camera ſpiritualis* Regum nuncupatur; ex eo fortaſſe, quod ad inſtar Cameræ, ubi theſaurus Regius ſervabatur, ſpiritualium rerum copiam Regibus ſuppeditaret. Camera enim dicta eſt conclavis ad Regios theſauros aſſervandos deſignatus; quo ſenſu in Capitularibus Caroli M. tit. 21. cap. 14. *Penſam argenti, quam ex Camera noſtra accepit;* & in Teſtamento Caroli M. apud Eginhardum: *Quidquid in Camera atque veſtiario ejus eo die fuiſſet inventum:* unde & fiſcus Imperatoris, aut Regis, Camera dicebatur; qua notione paſſim occurrit hæc vox apud Scriptores medii ævi. Qua de re, cum Sacramenta, & alias ſpirituales opes in Capella Palatina Reges perciperent; hinc non immerito ea dici potuit illorum Camera ſpiritualis. Vel potius eo ſenſu Camera appellatur, quod Regis propria eſſet, illique ſubjecta. Nam olim Cameræ dictæ ſunt Provinciæ, Urbes, Eccleſiæ, quæ immediate Principi ſuberant, & fiſci propriæ erant. Hoc ſenſu Matthæus Paris anno 1242. de Urbe Santonenſi dicit: *Quia ab antiquo jure ſpecialis proprietas Regis Angliæ eſſe dignoſcitur & Camera:* & in vita Benedicti XII. apud Boſquetum Cameracenſis civitas dicitur Camera Imperii. Sed & in Chronico Caſaurienſis lib. 4. de Lothario Imperatore legitur: *Cum cognoviſſet, quod ipſa Abbatia* (Caſaurienſis) *ab antiquo fuiſſet Imperialis Camera, promiſit ſe cum D. Auguſta venire ad Monaſterium, & ei reſtituere omnia jura ſua:* rurſumque alio in loco de Willelmo Rege Siciliæ: *Mandavit, ut dimitteret quietam Abbatiam S. Clementis, Cameram ſuam propriam, beneficio cumulatam ſui genitoris*. Ita Rigordus anno 1185. Monaſterium S. Dionyſii *propriam Cameram* Regis Franciæ vocat: & ita quoque Petrus de Vineis lib.5. ep.82. lib.6. ep.9. Goldaſtus to. 1. Conſtit. Imper. pag. 265. Petrus Diaconus lib. 4. Chronici Caſinenſis, aliique paſſim hanc vocem uſurpant. Itaque Cameram ſuam appellat Mamfredus Palatinam Eccleſiam, quod propria eſſet Regis Eccleſia. Hujus Eccleſiæ Clerici aliqui, quum Regi alio migrandum erat, Aulam, & caſtra ſequebantur, ut ſacra miniſtrarent. Hinc duplex erat Regibus Capella, una quidem in Palatio fixa, cui Clerici plurimi deſerviebant; altera portatilis & caſtrenſis, cui etiam a pluribus Clericis ſacrum miniſterium exhibebatur; ſicuti jam de Conſtantino diximus habuiſſe Oratorium Palatinum, & Oratorium Caſtrenſe; Clericos itidem, qui in Palatio, & qui in caſtris facerent rem divinam. Denique in Mamfredi litteris Palatium noſtrorum Regum dicitur Sacrum: quod ex antiquiſ-

tiquiſſimo more, noſtris Principibus ſolemne fuit. Nam Palatia Longobardorum Principum Beneventi, & Salerni, paſſim inſcribuntur Sacra, & Sacratiſſima, in pluribus illorum privilegiis, quæ exhibet Ughellius.

XVII. Mamfredo in Beneventano prælio ſuperato, & extincto, Carolus Andegavenſis, favente Clemente IV, imperio potitus eſt: qui etſi Neapoli ſtatuiſſet Regium domicilium; attamen Capellam Palatinam Panormitanam ſuis etiam complexus eſt beneficiis. Nam dato Neapoli diplomate, anno 1270, die 19. Octobris, alteroque Panormi, anno ſequenti, rata habuit, confirmavitque privilegia, & jura omnia a prædeceſſoribus Regibus illi Eccleſiæ conceſſa. Mox occupata ab Aragoniis Sicilia ultra Pharum, excuſſoque Andegavenſium jugo, famoſa clade Veſperarum Sicularum; qui deinceps Aragones Principes illic imperarunt, nedum vetera jura Capellæ Regiæ Palatinæ illeſa ſervarunt, ſed & nova addiderunt. Præ cæteris Rex Martinus anno 1361, die 25 Junii, petente Bernardo de Figuera Magiſtro Capellano, rata habuit privilegia omnia, & donationes, quibus prædeceſſores Reges Eccleſiam S. Petri de Palatio cumulaverant; quam inſuper ampliſſimis ditavit proventibus. Atque ita, tot, tantiſque, a Siciliæ Regibus, beneficiis acceptis, diu multumque excelluit Palatina Eccleſia, Divini cultus aſſiduitate, Miniſtrorum numero & dignitate, opibus & privilegiis: quo uſque extincta Aragonum Regum progenie, illius Regni imperium ad Auſtriacos pervenit Hiſpaniæ Principes. Eo ſiquidem temporis, tum ob Regum abſentiam ab Aula Panormitana, tum ob ſeditionem Claramontanorum, tum ob injuria temporum, tantam ſubiit calamitatem, ut nulli jam ei eſſent annui reditus, nullæ Canonicorum præbendæ, non ibi Divina perſolverentur Officia, pauci ſupereſſent Canonici, nomine potius quam officio, utpote qui nonniſi quater in anno ad ſacra facienda accederent, ac denique unus eſſet Capellanus, qui Palatinis adminiſtraret Sacramenta. Hæc erat illius Eccleſiæ facies anno 1582, cum Franciſcus de Puteo Viſitatorem egit Regni, auctoritate Regis: hos enim Viſitatores ſtatuunt Siciliæ Reges, ut olim Miſſi Dominici a Francorum Regibus in Provincias ablegabantur, qui una cum Epiſcopis conſulerent rei eccleſiaſticæ. Ille vero mente revolvens Eccleſiam hanc Palatinam obligationis vinculo, tituloque oneroſo, ob beneficia a Deo accepta, & ad expiationem manium defunctorum Regum, a Normannis conſtructam, & ditatam; auctor fuit Philippo II. Hiſpaniarum Regi, & Marco Antonio Columnæ Proregi, ut eam ad priſtinum revocaret ſtatum, deſignatiſque Miniſtris ad ſacra munia obeunda, congruis etiam præbendis eiſdem conſtitutis, Eccleſiam Palatinam ſplendori priſtino reſtitueret. Quare anno 1584. mandato Regis, Proregiſque cura, ſtatuti ſunt ſacri Miniſtri, qui in ea Eccleſia inſervirent, ſtatuti & eorum annui proventus ex fructibus & ſpolio Eccleſiarum ſuis Paſtoribus viduatarum. Eodem anno Gregorius XIII. privilegiatum altare, & Indulgentias plures eidem Eccleſiæ conceſſit: quam deinde ſucceſſores Hiſpaniæ Reges novis pluribuſque beneficiis cumularunt. Ea leguntur to. 2. Siciliæ ſacræ, in notitia hujus Eccleſiæ, quam a Rocco Pirro elucubratam, aliis auctam monumentis edidit rerum Sicularum peritiſſimus Canonicus Mongitore. Ibi & leguuntur litteræ Victorii Amedei Ducis Sabaudiæ datæ anno 1714. ad ejuſdem Palatinæ Capellæ dignitatem fovendam. Is enim cum Siciliæ Regno potitus eſt an-

anno 1713, eam frequentare conſuevit, ibique plurima pietatis protulit argumenta. Anno 1634. confirmatum ei fuerat jus Parochiale, quod a primæva inſtitutione illi inerat, a Cardinali Jannettino Doria Archiepiſcopo Panormitano: cujus rei tabulas refert Marcus Serius in Bulla Clementis VIII. pro Parochiis Panormitanis; ſimul advertens jus illud extra Palatii limites minime porrigi. Eſt itaque Capella Palatina Panormitana, Eccleſia Parochialis, Ædes Regias complectens: numeroſum & inſignem habet Clerum, de quo dicemus Capite ſequenti. Habet & plures Eccleſias ſuffraganeas, quarum index legitur citato to. 2. Siciliæ ſacræ. Habet plurimas & inſignes Chriſti Domini, Apoſtolorum, pluriumque Sanctorum Reliquias, quas magna ex parte e Palæſtina advectas veriſimile eſt. Nam frequentiſſima fuere Normannorum & Siculorum in Palæſtinam itinera ad rem Chriſtianam adjuvandam. Willelmus II. illuc quadraginta triremes ad Saladinum ab obſidione Tyri amovendum miſit, ut narrat Fazellus dec. 2. lib. 7. cap. 5. Henricus Imperator & Rex Siciliæ pariter validiſſimam claſſem, Aſiam verſus navigare juſſit, ad Joppen, aliaque oppida Chriſtianis vindicanda. Et Fridericus ſucceſſor, Gregorii IX. minis excitatus, Brunduſio ſolvens anno 1228. in Syriam venit, ubi Hieroſolymam & alia oppida ſuæ ditioni ſubjecit. Sed longum eſſet ſingulas in Paleſtinam expeditiones recenſere. Præterea non ſemel Siciliæ Reges mutua conjugia cum Hieroſolymorum Regibus inivere. Ex his itaque crebris Siculorum in Paleſtinam navigationibus, facile fuit, in Capellam Palatinam, tot & tantas, uti ex illarum longo indice to. 2. Siciliæ ſacræ colligitur, ſacras Reliquias adſportari. Ac videas morem apud Orientales Imperatores, & Francorum Reges uſitatum, aſſervandi in Oratorio ſuo Palatino ſacras Reliquias Sanctorum, etiam in Aula Regum Siciliæ viguiſſe.

XVII. Redeundum nobis eſt ad Andegavenſes Principes, qui Neapoli Regiam ſedem collocarunt. Hi ſane, nedum ſua erga Divinum cultum religione, qua plurimum valuere; non exemplis tantum prædeceſſorum Siciliæ Regum primæ & ſecundæ ſtirpis; ſed & exemplo Regum Francorum, quibus ſanguine conjuncti erant, hunc ſervarunt morem habendi in Aula ſua Oratorii. Id quidem Carolus Andegavenſis a S. Ludovici Galliarum Regis fratris ſui Aula, ubi & inſigne exſtabat Oratorium, & numeroſus alebatur Clerus, & Divinum miniſterium egregie peragebatur, in Neapolitanam transſudiſſe Aulam, uti & alia plurima Francorum inſtituta, veroſimilimum eſt. Fuit itaque Andegavenſibus Regibus Palatina Capella, fuere & Capellani plurimi ad rem divinam, ut alibi dicemus: idque indicant litteræ quædam Roberti Regis, a Wadingo in Annalibus FF. Minorum ad annum 1338. prolatæ. Ibi enim mentio fit cujuſdam Oratorii a Regiis Ædibus non longe diſſiti, ſub titulo S. Mariæ ad Crucem, quod Robertus Rex anno 1328. Capellæ Palatinæ adgregavit. Quo in loco deinde a Sancia Regina piiſſima, Roberti conjuge, conſtructum eſt Clariſſarum Cænobium ſub invocatione S. Mariæ de Cruce. Roberti Diploma ita ſe habet: *Univerſis præſentes litteras inſpecturis, tam præſentibus, quam futuris. In Majeſtatis æternæ laudem & gloriam, & præcelſum Divinitatis Myſterium dignanter offerimus, & pro ſumma reverentia Virginis, quam debemus, præcipuæ devotionis inſtinctu ad ipſam Virginemglorioſam, cujus merito & dignatione filii vivimus, & noſtris populis feliciter præſidemus, novum Oratorium, ſive locum S. Mariæ ad Crucem*

cem ſitum intra mœnia, prope pontem, loco, qui dicitur . . . . Miraculorum, cujus ſigna potentia ſunt evidenter, & notoria, & manifeſta, ut eo potius creſcat in illo cœptæ jam populi devotionis affectus, quo ſucceſſive fiunt favores noſtri culminis . . . . cum oblationibus, fructibus, obventionibus, reditibus, & proventibus ejus omnibus, ſiqui ſunt, & utcumque in antea fuerint, Capellæ Regiæ Domus noſtræ, in perpetuum ex nunc in antea de certa noſtra ſcientia . . . . tenore præſentium concedimus. Ita quod Oratorium ipſum, ſeu locus quomodocumque fieri, vel ædificari contingeret, per omnia, tamquam unum de ſpecialibus membris dictæ Capellæ Regiæ habeatur de cætero, ac etiam cenſeatur, declarantes tenore præſentium, ac etiam decernentes, quod Capellani & Clerici prædictæ Capellæ Regiæ, nobis, vel hæredibus, & ſucceſſoribus noſtris in Neapolitana Civitate morantibus, & nunc in antea, ſingulis annis, in eodem Oratorio, ſive loco, quolibet feſto ipſius Virginis glorioſæ ad Divinum Officium celebrandum, tam in Miſſa, quam Veſperis ſolemniter teneantur, quodque fructus, reditus, oblationes, ac proventus omnes, & ſinguli prædicti Oratorii, ſive loci, percepti jam, & ſicut antea percipi ſucceſſive contingat, conferantur, & diſtribuantur, inter Magiſtrum prædictæ Capellæ, alioſque Capellanos & Clericos ejus, pro rata, & portione debita, unumquemque ipſorum rationabiliter contingente, ſicut de oblationibus & obventionibus aliis jam dictæ Capellæ noſtræ eſt nunc uſque ſervatum, & in antea nos, ac ipſi hæredes & ſucceſſores noſtri providemus obſervandum. In cujus rei fidem perpetuamque memoriam, præſentes noſtras litteras fieri, & pendenti ſigillo Majeſtatis noſtræ munimus. Datum Neapoli per manus . . . . Juris Civilis Profeſſoris Vicemgerentis Protonotarii Regni Siciliæ. Anno Domini MCCCXXVIII, die prima Junii, undecimæ Indictionis, Regnorum noſtrorum anno vigeſimo. Erat itaque in Regiis Ædibus Capella, cui plurimi Capellani & Clerici deſerviebant; erat & Magiſter Capellæ, qui cæteris præminebat. Huic Capellæ adgregabantur aliæ Eccleſiæ, ita ut illius eſſent veluti membra: & ad eas Capellani Palatini quandoque accedebant, ut Divina perſolverent Officia. Habebat Capella Domus Regiæ ſuos proventus, qui inter Magiſtrum Capellæ, cæteroſque Clericos diſtribuebantur. At vero præter Eccleſiam Palatinam erat Roberto Regi piiſſimo Oratorium privatum, ubi noctu diuque Divina perſolvebantur Officia, quibus ipſe ſæpiſſime intererat, a Franciſcanis Cœnobitis, quibus erat addictiſſimus. Rem narrat Wadingus in Annalibus ad annum 1343. poſtquam retuliſſet, cogitaſſe Robertum Regem de abdicando imperio, & Minorum Inſtituto ſuſcipiendo; plura tamen obſtitiſſe, quominus voti compos fieret: *Ut vero*, pergit, *aliquo modo ſuo potiretur deſiderio, intra Palatium Sacellum amplum in interiori receſſu conſtituit, in quo duodecim Minoritæ Divinum perſolvebant penſum, cum quibus ille ſæpiſſime conveniebat, & nocte media ad Matutinum ſurgebat, Minoritico habitu indutus. Aliquoties cum conſorte Sancia acceſſit ad magnificum S. Claræ Monaſterium ab ipſis conſtructum, & ille Fratribus in ſuo refectorio habitu Minorum indutus, illa Monialibus in earumdem triclinio & veſte inſervierit . . . . Octiduo ante mortem, quod ante octennium voluit, ſed non potuit, habitum Minorum ſuſcepit ex manibus Miniſtri Terræ Laboris, & coram eo in infirmitate decumbens ſolemnem emiſit profeſſionem.* Egregia ſane hæc ſunt pietatis argumenta: & merito de Roberto Neapolitanorum Rege dici poſſet, quod

de

de Theodoſio juniore a Socrate dictum retulimus ; Palatium nempe ſuum ſic inſtituiſſe, ut a Monaſterio non multum diſcreparet. Neque Religioſos dumtaxat viros ſuis in Ædibus alebat ; ſed & Moniales, quæ Joannam neptem ſanctè & piè inſtituerent . Ita refert Triſtanus Caracciolus in vita Joannæ I. quam inter Scriptores Italicarum rerum edidit Muratorius : *Aderant & Moniales , quas Sanctimoniales nunc vocamus ; eas ad hoc Rex, impetrata a Pontificibus venia, e clauſtris evocaverat, ut eſſent, quæ Divinis Officiis , Chriſtianiſque cæremoniis caſte pureque neptem inſtruerent* . Tanto optimi Principis ſtudio erga res ſacras, tantaque Sanciæ conjugis in Deum pietate, fieri non potuit, quin in Aula Neapolitana Divinus Cultus plurimum efloreſceret , & Eccleſiaſtica omnia Officia religioſiſſime tractarentur . Ad eam rem aſſervabatur etiam in Oratorio Palatino Divina Euchariſtia , uti colligitur ex epiſtola quadam Sanciæ Reginæ , anno 1331. ſcripta Miniſtro Generali Ordinis Minorum , cæteriſque fratribus Franciſcanæ familiæ Perpiniani congregatis ad Comitia celebranda . Cum enim in his Comitiis ageretur de Franciſcanæ vitæ ſeveritate lenienda, Sancia Franciſcani Inſtituti amantiſſima, cujus filiam, matrem, ſervamque ſe paſſim inſcribebat, graviſſimam conſcripſit epiſtolam, ne quidquam veteri ſeveritati derogaretur. Exhibet haſce litteras Wadingus ad annum 1331. ibique inter alia ſic dicitur : *Cum ego ſim peccatrix , & inſufficiens , & illiterata , & loqui litteraliter neſciam, niſi ex gratia Dei & conſuetudine , & nihil confidam de me , die Jovis* XVIII. *Aprilis , intravi Capellam parvam juxta Cameram meam in Caſtro novo de Neapoli, ubi bene per tres candelas ante diem, clauſa porta, ſola cum corpore Chriſti, quod erat ſuper Altari, recommendavi me ſibi, & poſtea incœpi ſcribere , ſicut Dominus ipſe miniſtravit mihi, ſine alicujus conſilio humano vel terreno* . Divina igitur Euchariſtia aſſervabatur in Capella Palatina , regnantibus Andegavenſibus , eaque Regio cubiculo erat proxima : perſolvebantur & ibi Divina Officia, quibus Reges ipſi ſæpiſſime aderant. Ita quoque rem ſe habuiſſe , imperantibus cæteris Regibus ejuſdem ſtirpis , colligitur tum ex litteris Joannæ II. datis anno 1422. Gentili de Sancto Angelo de Faſanella Magiſtro Regalis Capellæ ſuæ , quibus conſtituit, ut Capellani octo Divinis celebrandis Officiis in Capella Palatina vacarent, tum ex aliis monumentis ſequenti Capite proferendis.

XIX. Aragonios itidem Reges, qui in Neapolitano Regno imperarunt , habuiſſe in Aula ſua Capellam , & cœtum Clericorum , qui Divina agerent Officia, diſertiſſime teſtantur litteræ datæ ab Alphonſo I. anno 1445. die 29. Junii, Prælatis, & Magiſtratibus Regni, ut Dominicum de Xachis Aragonem , Majoremque ſuum Capellanum , Oratorio Palatino præficeret . Eas exhibet Chioccarellus to. 2. MSS. *Ut temporibus noſtris, & ſub felici noſtro regimine Divinus Cultus in noſtra Regali Capella reſplendeat, & bonorum Retributor omnium , debitis orationum ſuffragiis honoretur ; Venerabilem in Chriſto Patrem Fratrem Dominicum de Xachis de Aragonia, Majorem Capellanum noſtrum in Magiſtrum prædictæ Regalis Capellæ noſtræ ordinavimus ; ac quamplures Capellanos , tam in dicta noſtra Regali Capella commorantes , quam alibi fecimus, & per noſtras litteras ſtatuimus , ut dicti Capellani ad requiſitionem dicti Magiſtri Capellæ noſtræ ſervire in eadem noſtra Regali Capella, & vacare in celebratione Miſſarum, & Divinorum Officiorum poſſint temporibus opportunis*. Inde patet , in Capella Palatina Aragonum

num noſtrorum Regum, Sacra Myſteria, & Divina Officia, ſumma religione, celebrari conſueviſſe. Ut vero nil deeſſet, quod ad ſacrarum rerum in Aula celebrationem, & Divini Cultus ſplendorem augendum ſpectaret; ſplendidiſſima ſacra ſupellectile Rex Alphonſus Capellam ſuam adornavit. Pontanus enim, qui diu in Aragonum Regum Aula egit epiſtolarum Magiſtrum, in libro de Apparatu cap. 4. ſcribit Alphouſum Regem ornaſſe & Regiam, in qua habitabat, & Templum, ubi ſacra faciebat, vario & nobiliſſimo ornamentorum genere. Rurſumque in lib. de Magnific. cap. 13. laudat Alphonſi magnificentiam in agendis ſacris ſolemniis, atque in omni ſacrarum rerum inſtrumento: *Suis temporibus Rex Alphonſus vicit omnes ætatis illius Reges, tum in iis comparandis, atque exhibendis, quæ ad Sacrificiorum apparatum, & Sacerdotum ſpectarent ornatum, tum in Deorum ac Dearum ſtatuis, quas plurimas, & in iis duodecim Apoſtolorum ex argento conflatas habuit; nihil ætas illa, aut ſacris ſolemnibus, aut publicis ludis ab eo editis vidit magnificentius*. Atque ex inſigni hac, & pretioſiſſima ſupellectile, quæ Sacerdotalia indumenta, ſacra vaſa ad rem divinam faciendam, ſimulacra Sanctorum magno in numero, magnique pretii complectebatur, conjicere licet, quam regnantibus Aragoniis effulſerit Capella Palatina. Neque in Aula ſolum, ſed & in caſtris etiam Alphonſo Regi fuit Capella; fuere & Capellani ad divinum miniſterium peragendum. Cujus rei teſtis eſt Panormita lib. 3. de reb. geſt. Alph. n. 50. *Erat Rex in vico Juliano rem divinam ſolemniter & devotiſſime de more rituque agens rei divinæ cultum, gloriæ, ac vitæ præponens, non prius, quam peractis ſacrificiis, capere arma contra hoſtes juſſit*. Qui idem lib. 2. n. 25. narrat Alphonſum Regem ſtatim ab accepta victoria in Samnio, jejunum, defatigatum, armatum, ſacræ rei celebrationem imperaſſe: unde patet ſacros Miniſtros, aramque portatilem ad caſtra deferre conſueviſſe. Succeſſores Reges iiſdem exemplis adhæſere: ſiquidem conſtat ex Diariis manuſcriptis Joannis Brocharti Præfecti cœremoniarum ſub Alexandro VI. inferius exhibendis, in Capella Palatina Alphonſi II. Regis rem divinam celebratam fuiſſe ſolemni ritu, cum cantu, muſiciſque inſtrumentis. Et ibi ad Liturgiæ ſolemnis celebrationem, una cum Rege, interfuiſſe tres Cardinales Legatos Romani Pontificis Agrienſem, de Aragonia, & Monteregalenſem. Ibi etiam nuptiæ inter Sanciam Alphonſi II. filiam, & Joffredum Borgiam Papæ conſanguineum, benedictione Eccleſiæ conciliatæ fuerunt. Ibi quoque Joffredus Borgia Magnus Protonotarius Regni, & Virginius Urſinus Magnus Comeſtabulus, Officii ſui inſignia accepere.

XX. Porro noſtrorum Regum Eccleſia Palatina in Arce Nova, ubi Andegavenſium, & Aragonum Regum fuit domicilium, ſita erat. Arcem illam excitavit Carolus Andegavenſis anno 1283. quam novis deinde munivit propugnaculis Alphonſus I. Ibi Eccleſia eſt operis Gothici, Deiparæ in Cœlum aſſumptæ, D. Sebaſtiano, & D. Barbaræ conſecrata: eaque eſt Parochia complectens Arcem ipſam, Regias Ædes, & Stationem Navium ac Triremium. Selectiſſimis ornatur picturis, quas inter eminent Caroli Andegavenſis, & filiorum ejus, in Abſide Eccleſiæ, effigies depictæ. Prope erat Regum domicilium, quocum Eccleſia conjugitur ſcala in orbem aſcendente. Hanc olim fuiſſe Regum Capellam Palatinam, patet ex Diariis Joannis Brocharti, ubi hæc ipſa Eccleſia indigitatur. Scribit enim, peracta cœremonia benedi-

dictionis nuptiarum Sanciæ filiæ Alphonſi II., & Joffredi Borgiæ in Capella Palatina, Regem, Legatum, & conjuges, cum univerſo comitatu Aulico aſcendiſſe per eam ſcalam ad Regias Ædes: *Deſcendit deinde Legatus, & Rex de thalamo, & ſponſam inter ſe recipientes; ſponſo, & aliis, ordine ſuperius dicto, incedentibus, aſcenderunt Caſtrum per lumacham prope Altare conſtitutam, ubi Legatus permanſit illa die*. In his Regiis Ædibus Cœleſtinus V. Santiſſimus Pontifex, anno 1294., hoſpitio exceptus eſt a Carolo II. Rege: ibi plures in Cardinalium Ordinem adſcivit, atque in eorum numero Willelmum Pongo Bergomatem Regis Cancellarium: ibi tamdem, inaudito exemplo, abdicavit ſe ſupremo Eccleſiæ Epiſcopatu. Hunc proinde Pontificem pluries in Capella Regis ſacris operatum fuiſſe veroſimillimum eſt. In his etiam Regiis Ædibus, S. Franciſcus Paulanus Ferdinandum I. Regem graviter admonuit, ne nimiis exactionibus ſubditos premeret; in cujus facti memoriam extat Sacellum. Sed præter hanc Eccleſiam Regio domicilio conjunctam, alteram habuere Neapolitani Reges Eccleſiam veluti Palatinam, Ædibus ſuis proximam, ſub titulo S. Mariæ Coronatæ. Eo in loco Carolus II. Andegavenſis Ædes conſtruxerat Magiſtratibus ad jus dicendum: at cum anno 1331. die 21. Maii, quæ ſacra erat Pentecoſtes, ibi a Cardinale Bracarenſi Clementis VII. Legato, Joanna I. & Ludovicus Tarentinus ejus conjux inuncti fuerint Reges; in hujus celebritatis memoriam, Joanna eas Ædes in Eccleſiam Spineæ Chriſti Coronæ dicatam, cujus fruſtulum ibi aſſervabatur, & eximiis Giotti picturis adornatam, opibus etiam plurimis ditatam, commutavit. Meminit hujus Eccleſiæ Franciſcus Petrarca in epiſtola quadam dicens: *Si terram exeas, Capellam Regis intrare non omiſeris, in qua conterraneus olim meus Giottus Pictor noſtri ævi princeps, magna reliquit manus & ingenii monumenta*. Meminit & Pontanus lib. de Conviv. cap. 1. ubi refert Neapolitanos Reges conſueviſſe quotannis in hiſce Ædibus ſplendidum convivium exhibere. Atque in hac Eccleſia frequenter Regum noſtrorum Coronationes & Conjugia, uti dicendum erit, celebrari conſueverunt. Nunc vero temporis ſpectat ea Eccleſia ad Carthuſianos Monachos, quorum vice plures Sacerdotes, & nonnulli Clerici in ea miniſtrant. Ibi in Paraſceve fruſtulum Spineæ Chriſti Coronæ publicæ adorationi exponitur. Altera inſuper fuit Capella Palatina Andegavenſium in Caſtro Lucullano, ſeu Arce Ovi ſita ubi inſignem Spiritus Sancti Societatem Equeſtrem conſcripſit Ludovicus Tarentinus; ubi & quotannis Socii conveniebant, ad agenda Comitia & ſolemnia Societatis. Sed de hac re alibi. Quoad Eccleſiam in Arce Nova poſitam, hanc, regnantibus Auſtriacis, Clemens VII. nonnullis privilegiis ornavit. Nam Bulla edita anno 1526. die 21. Novembris, adprobavit Confratriam quamdam ei Eccleſiæ addictam: Clericos ejuſdem Eccleſiæ auxit facultate adminiſtrandi Sacramenta Confratibus etiam extra Arcem degentibus, eoſdemque vita functos deducendi conſueto ritu, etſi extra Arcem, ad ſepulturam: Arcem, Arciſque Eccleſiam, generali Interdicti ſententia, minime adſtringi declaravit: fideles, quolibet Sabbato, religionis cauſa erga Deiparam, adeuntes Eccleſiam, centum dierum Indulgentia, & Plenaria in feſto S. Sebaſtiani, cumulavit. Rurſum ab eodem Pontifice die 23. Decembris, eodem anno, inſtante Ludovico Icart Arcis Præfecto, confirmata ſunt privilegia hæc omnia: illud etiam additum, ut cuilibet Sodali fas eſſet, uſque ad numero ducen-

 tos,

tos, quemlibet Presbyterum ex utroque Clero a Confeſſionibus habere, & ab eo abſolvi etiam quoad crimina, quorum abſolutio eſſet reſervata: Epiſcopis vero Conſentino, Surrentino, & Stabienſi delegata eſt cura hujus Pontificiæ conceſſionis vindicandæ. Extant hæ Pontificis litteræ e publico Tabulario deſumptæ tom. 2. MSS. Chioccarelli, ubi etiam leguntur litteræ Ugonis Moncadæ Proregis, ut Pontificiam conceſſionem cuſtodirent univerſi. Hucuſque igitur illa Eccleſia fuerat Palatina Regibus, & Proregibus. At anno 1540. jubente Petro Toleto Regni ſupremo Moderatore, conſtructæ ſunt extra Arcem Ædes ad Proregum domicilium; quas deinde Palatium vetuſtum dixere: ibique Palatina fuit Capella, eo loci, ubi ad noſtra uſque tempora degebant Scribæ Regii Ærarii. Hanc magnifice ſplendideque adornavit Joannes Zunica Preteperſienſium Princeps, & anno 1579. Neapolitani Regni Prorex; litteras inſuper obtinuit a Gregorio XIII. datas anno 1581. die 15. Martii, quibus in Proreges, ejuſque conſanguineos, & domeſticos, eam adeuntes Capellam, ſingulis Quadrageſimæ diebus, Indulgentias Stationarias tranſtulit eaſdem, quas ii conſequuntur, qui ad Urbis Baſilicas diebus Stationum accedunt. Refert hoc Pontificium Diploma Parrinus in Theatro Proreg. Neapol. tom. 1. pag. 327. Verum, anno *1602.* novæ eæque ampliſſimæ, & nobiliſſimæ Ædes Regiæ, opera Dominici Fontanæ Architecturæ peritiſſimi, jubente Ferdinando de Caſtro Lemoſenſium Comite, qui Regnum moderabatur, conſtrui cœperunt; in iiſque novis Ædibus Regiis, novam excitarunt Palatinam Eccleſiam Proreges, qui ſucceſſere: eamque a Medinenſium Duce inchoatam, perfecit anno *1646.* Rodricus Ponz de Leon Dux de Arcos: picturis denique & marmoratis ornavit anno *1656.* Garſias de Haro Caſtrilienſium Comes. Itaque ex inveterato more nunquam intermiſſo, Regibus, & Proregibus in id operam ſuam conferentibus, habuit Aula Neapolitana Capellam ſuam: & eam quidem præclariſſimam, ſive Regum ſpectes pietatem, ſive Divini cultus frequentiam, ſive Miniſtrorum copiam, ſive ſacrorum ornamentorum elegantiam, ſive denique alia quæcumque Capellæ Regiæ dignitatem extollunt. Nunc vero temporis longe præclariorem, quod Carolus Borbonius & Maria Amalia; tum Ferdinandus IV. & Maria Carolina Austriaca, omnium retro Principum glorioſiſſimi, Regnum adminiſtrent. Quemadmodum enim ex illorum imperio ſuaviſſimo, & ſapientiſſimo, Neapolitanæ Aulæ, & Reipublicæ; ita ex illorum pietate, ac religione, Capellæ Palatinæ, & Divino Cultui, plurimum acceſſit, acceditque in diem ſplendoris, dignitatis, & ornamenti.

CA-

C A P U T II.

DE CLERO PALATINO.

Capellani unde dicti. II. *De Clero Imperatorum Orientis.* III. *De Clero Palatino Regum Francorum primæ ſtirpis.* IV. *Et ſecundæ ſtirpis.* V. *Et tertiæ ſtirpis.* VI. *De Capellanis ſeu Eleemoſynariis Regum Galliæ.* VII. *De Capellanis Regum Hiſpaniæ.* VIII. *De Clero Palatino Normannorum Siciliæ Regum.* IX. *Et Svevorum.* X. *Et Aragonum.* XI. *Et Auſtriacorum.* XII. *De Clero Palatino Regum Neapolitanorum Andegavenſium.* XIII. *Cui plures docti viri adiungebatur.* XIV. *De numero, & ſtipendio Capellanorum ſub Andegavenſibus.* XV. *De eodem Clero regnantibus Aragoniis.* XVI. *Et ſub Auſtriacis* XVII. *De eorum numero, & officio.* XVIII. *De Confeſſario Regis.* XIX. *De Eleemoſynario.* XX. *De Concionatore Aulico.*

Clerici, qui in Oratoriis Palatinis Principum, ſacris rebus vacabant, Capellani dicti ſunt; quod Capam S. Martini in Palatio cuſtodirent, & in Caſtris deferrent. Hanc illius vocis originem tradunt Valafridus Strabo lib. de Reb. Eccleſ. cap. 31., Honorius in Gemma animæ cap. 128. Durandus in Rationali lib. 2. cap. 10. quibus conſentiunt Auctores recentiores. Atque ab hujuſmodi ſacrarum Reliquiarum cura, quæ eis incumbebat, Cuſtodes quoque nomine Capellanorum nuncupati fuere. Anaſtaſius enim in vita Leonis I. ait: *Hic conſtituit ſuper ſepulcra Apoſtolorum Cuſtodes, qui dicuntur Capellani ex Clero Romano:* ideſt, qui ex officio ſibi injuncto Apoſtolorum Corpora cuſtodirent. Qui iidem Martyrarii, & Cuſtodes Martyrum dicebantur. In nonnullis tamen Anaſtaſii editionibus illi appellantur Cubicularii: verum idem fuiſſe munus Cubiculariorum & Cuſtodum, oſtendit in Gloſſario doctiſſimus Cangius. Idque totum firmatur ex Hincmaro in libello de Ordine Palatii cap. 16. ubi Capellanum vocat Cuſtodem Palatii: non quod illi commiſſa eſſet Palatii cuſtodia, quo munere laici fungebantur; ſed quia Cuſtos eſſet Palatinæ Capellæ, & ſacrarum Reliquiarum, quæ ibi aſſervabantur. Neque tamen hoc unum erat Capellanorum officium: ſiquidem & Divina perſolvebant Officia in Oratorio Palatino; & in Aula, & in Caſtris Divinum miniſterium peragebant. Utrumque hoc illorum munus indicant Synodus Liptinenſis anno 742. cap. 2. & Carolus M. lib. 5. Capitul. 2. ubi ſtatuunt, ut non alii pergerent ad bella Clerici, quam qui deſignati eſſent *propter Divinum miniſterium, Miſſarum ſcilicet ſolemnia adimplenda, & Sanctorum Patrocinia portanda.* Verum enimvero præter ſacrarum Reliquiarum cuſtodiam, & Divinarum rerum celebrationem, Capellani ſæpiſſime temporalia negotia in Aula adminiſtrarunt. Nam agebant ſæpiſſime Principum Cancellarios, Notarios, Conſiliarios, Legatos, ſupremos quoque Regni moderatores. Quinimo olim Cancellarii dicebantur Capellani, quod plerumque Capellanis id mu-

muneris committeretur: & quod Cancellaria olim dicta fuerit Capella, quia mos erat aſſervandi in Capella, Regia diplomata, & monumenta. Hoc ſenſu Monachus Sangallenſis lib. 1. de Carolo M. cap. 4. refert hunc Imperatorem adſciviſſe in Capellam ſuam Clericum quemdam, qui optime noverat dictare, ac ſcribere. Hinc etiam innumera leguntur privilegia a veteribus Regibus conceſſa, quibus Capellani ſubſcribunt. Ita legitur apud Pirrum in notitia Panormitanæ Eccleſiæ, conceſſio eidem a Rogerio Duce, filio Roberti Guiſcardi facta anno 1086., & ſignata *per manum Raynaldi Capellani mei*. Similia exempla paſſim apud Veteres occurrunt. Clerici igitur Palatini, quos Capellanos dixere, ſacra, & temporalia implebant ſæpiſſime: & hinc non exiguus erat illorum in Aula numerus, nec exigua dignitas, & auctoritas.

II. Ita quidem res ſe habuit in Aula Conſtantini Imperatoris, cui plures adhæſiſſe Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos ad ſacra obeunda, jam diximus ex Euſebii, Sozomeni, & Socratis teſtimonio. At vero illorum opera piiſſimus Imperator non ad ſacra dumtaxat munia utebatur. Nam Euſebius in illius vita lib. 4. cap. 18. eum ſcribit ſacros Miniſtros omnibus ornatos virtutibus conſtituiſſe totius Domus Cuſtodes. Et cap. 56. refert in bellicis expeditionibus, Epiſcoporum nedum preces, ſed & conſilia imploraſſe: *Conſtantinus militares Ordines eduxit, & de expeditione cum Epiſcopis, quos ſecum habebat, communicabat, exiſtimans oportere ex his aliquos ad pietatis officia maxime idoneos perpetuo ſibi adeſſe. Illi vero libenter quidem ſe ſecuturos, nec veſtigium ab eo diſceſſuros, ſed una militiam obituros, & apud Deum ſupplicibus votis ſe pugnaturos excipiebant. Hac ille voluntatum & ſtudiorum profeſſione vehementer delectatus, totius expeditionis quaſi veſtigia eis expreſſit*. Conſtantini exemplo, qui ſucceſſere Imperatores, adhæſere. Frequens enim apud Græcos Scriptores mentio occurrit Clericorum, qui Divinis perſolvendis Officiis in Palatio vacabant: & Palladius memorat Presbyterum Palatii oppreſſum in tumultu contra S. Joannem Chryſoſtomum excitato. Hi Clerici ante Leonis Armenii tempora, extra Palatium degebant, in Ædibus quiſque ſuis; & tertia noctis vigilia ad Palatium conveniebant, ut Matutina Officia decantarent. Verum cum contigiſſet, ut illis permiſti ſicarii in Imperatoris necem conjurati, Aulam noctu ingreſſi, Leonem in Oratorio Palatino hymnum præcinentem interfecerint; impetu primum facto in Phonaſcum, ſeu Cleri Magiſtrum, qui Imperatori ſimilis erat facie, ſtatura, & capitis tegumento: ea cauſa fuit conſtituendi in Aula ipſa domicilium Cleri Imperatorii, & quidem non longe ab Imperatoris cubiculo. Rem narrant Cedrenus & Zonaras in Leone Armenio. Nec exiguus erat illorum in Aula numerus, ut ex Codino conſtat in libro de Officiis Eccleſiæ, & Aulæ Conſtantinopolitanæ. Præcipui tamen fuere, Protopſaltes, quem dicit Exarchum Cleri Imperatorii: Domeſticus, quem dicit Exarchum Cleri Imperatricis: Protopapas, qui ſæpe unus erat in Eccleſia, & in Aula: Magiſter Canonarchas, ita dictus a decantandis quibuſdam hymnis: Lampadarius, cujus erat Imperatori lampadem præferre; Archidiaconus denique, quem non habebat Eccleſia, ſed Aula. Ab eo Clero præcipui feſti dies magna cum pompa in Palatio celebrabantur; quandoque etiam in magna Eccleſia, ſi ad eam ſe contuliſſet Imperator. Ad Protopapam ſpectabat Imperatorem ſingulis menſibus inungere, ejuſ-

Digitized by Google

ejuſdem menſam in magnis ſolemnibus benedicere; & aquam in Epiphania conſecrare, ſi non adeſſet Patriarcha. Archidiacono quoque, aliiſque primoribus Cleri Imperatorii ſua erant officia propria, quæ apud Codinum legi poſſunt. Qui idem cap. *6.* & 7. indigitat illorum indumenta, nempe camiſiam, ſeu tunicam lineam cæteris veſtibus ſuperinjectam; ita tamen ut Protopſaltes & Domeſticus candidis uterentur camiſiis; Lampadarius, Magiſter, & Cantores purpureas veſtes induerent. Illud etiam ex Codino colligitur, Imperatricem ſcilicet ſuum habuiſſe Clerum, cujus princeps dicebatur Domeſticus. Jam vero nedum in Aula Clerus Imperatorius ſacra peragebat, ſed etiam in caſtris. Nam illorum munus erat, deferre ad caſtra ſacras Reliquias, & Imagines; quod Græcis ſolemne fuiſſe tradit Lupus in Diſſertatione de antiqua Diſciplina Chriſtianæ militiæ. Inter eas præcipua fuit Imago Chriſti ad Abagarum miſſa, quam Philippicum Mauritii Imperatoris Ducem adverſus Perſas, & Heraclium adverſus Chroſroen detuliſſe referunt Cedrenus & Theophanes. Vel celebrem quamdam Beatæ Mariæ Virginis Imaginem deferebant, quam quotannis ſumma religione in Palatio expoſitam in Magna Hebdomada, narrat Codinus cap. 12. Hanc contra Balduinum Flandriæ Comitem detulit Alexius Imperator, ut refert Nicetas: & ad eamdem veluti ad aſylum confugit Anna Imperatrix Andronici vidua, cum a Joanne Cantacuzeno timuit in ordinem redigi, ut ipſemet ſcribit Cantacuzenus. Præterea Clerus Imperatorius, ante prælium ineundum, ſolemni ritu vexilla conſecrabat: cujus rei teſtis eſt Leo Imperator in Tacticis, ſeu libro de re militari cap. 13. & *19.* Hunc vero Clerum magnæ dignitatis & auctoritatis in Aula fuiſſe, non obſcuris colligitur argumentis. Archidiaconus enim Palatii, etſi principem inter eos locum minime occuparet, attamen ſeligebatur ex ampliſſimo ordine Exocatacœlorum, ſeu quorumdam Diaconorum, qui una cum Patriarchis ſedebant in Synodis, & eorum unus Chartophylax dictus, primus erat poſt Patriarcham Clericus. Proinde ſelectiſſimi Clerici adſciſcebantur in Clerum Imperatorium. Idque diſerte teſtatur Nicephorus Gregoras in ſua Hiſtoria ſcribens, ſolitos fuiſſe Imperatores adgregare Clero Palatii ſui doctos & pios viros, quos deinde Eccleſiis præficerent. Nam frequentiſſime e Clero Imperatorio creatos Patriarchas, & Epiſcopos, obſervat Thomaſſinus p. 1. lib. 2. cap. 111. de Beneficiis. Iidem apud Imperatores plurimum valebant gratia & auctoritate. Hinc Photius, ut gratiam ſibi conciliaret Baſilii Imperatoris, adhibuit operam Theophanis Clerici Palatini, poſtea Cæſarienſis Epiſcopi, uti narrat Nicetas in vita Ignatii. Nec minore polluit auctoritate apud Leonem Armenum Protopſaltes Palatii, utpote qui illum incitavit, teſte Zonara, contra ſacrarum Imaginum cultum. Et Nicephorus lib. 5. cap. *6.* memorat tres Clericos Palatinos, qui Michaele Paleologo imperante, una cum Beco Patriarcha omnia Imperii negotia adminiſtrarunt. Ex his perſpicuum eſt, Clerum Imperatorium in Oriente in magno honore, ac exiſtimatione fuiſſe.

III. Jam ex iis, quæ dicta ſunt de Oratorio Palatino Regum Francorum primæ ſtirpis, & de Capa S. Martini eo loci aſſervata, conſequens eſt, plures illis Regibus in Aula adhæſiſſe Clericos ad ſacra ſacienda. In illorum numero recenſendi ſunt Aptonius e Capellano Clodovæi I. Epiſcopus Inculiſmenſis; Fortunatus e Clerico Radegundis Reginæ, Epiſcopus Pictavienſis, & alii plures, quos e Palatio Dago-

berti

berti II. ad regendas Eccleſias prodiiſſe, ſcribit in vita S. Modoaldi Epiſcopi Trevirenſis apud Surium, die 12. Maii, Stephanus Leodienſis. Clericos Fredegundæ Reginæ memorat Gregorius Turonenſis lib. 8. Hiſt. cap. 29. & lib. 7. cap. 7. Ac veriſimile eſt, Syagrium Epiſcopum Auguſtodunenſem fuiſſe a ſacris domeſticis Brunechildis Reginæ. Nam Gregorius M. lib. 7. ep. 115. huic ſcribens, dicit, ſe curam convocandæ Synodi commiſiſſe Syagrio, *quem veſtrum proprium novimus*. Hujuſmodi Regum & Reginarum Clerici, qui deinde Capellani dicti ſunt, potuere tum ſacra Oratorii, tum profana Aulæ munia obire. Sane piiſſima Bathildis Regina utebatur S. Geneſii poſtea Lugdunenſis Antiſtitis opera ad plurima pietatis officia; uti legitur in illius vita apud Surium, die 26. Januarii. Ex his videas, illius ſtirpis Reges conſueviſſe ſibi præclariſſimos Clericos in Aulam adſciſcere, quos deinde Eccleſiis præficiebant. Idque adeo familiare erat, ut cum Clotarius II. reſtituit electionum a Clero & populo faciendarum libertatem, attamen ſibi reſervaverit jus nominandi aliquem ex Palatinis. Ita refert Petrus de Marca lib. 8. cap. 5. de Concord. Sacerd. & Imperii.

IV. Verum ſub ſecunda Regum Francorum ſtirpe longe major fuit Cleri Palatini numerus, dignitas, & auctoritas. Adgregabantur Capellæ Regiæ Clerici e quolibet ordine; & alii quidem Regis, alii Reginæ obſequio addicti erant. Unde inter Hincmari epiſtolas legitur una inſcripta: *Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, & cæteris Clericis, in Palatio Domno noſtro Regi, & Domnæ Reginæ, ac illorum fidelibus, Eccleſiaſtico miniſterio conſulentibus*. Et hinc Concilium Moguntinum anno 813. can. 22. in tres claſſes diſtinxit univerſos Clericos; alios nempe ſub Epiſcopi cura degentes; alios Abbatibus ſubjectos; alios *in ſervitio Domini Regis* conſtitutos. Quoniam vero ex hac Clericorum in Aula frequentia, fieri facile poterat, ut improbi illuc confugerent, vel qui a ſacris Ordinibus dejecti eſſent, illic miniſtrarent; hinc Concilia Meldenſe anno 845. can. 58. & Aquiſgranenſe II. anno 836. lib. 2. cap. 2. a Regibus exoptarunt, ne ulli in Capellam Regiam admitterentur ſine ſui Epiſcopi approbatione; ſicque & Capellæ Regiæ dignitati, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ conſulebatur. Neque ex ſolis Clericis conflatus erat Clerus Palatinus: imo etiam ex plurimis Monachis. Ut enim obſervat Thomaſſinus p. 1. lib. 2. cap. 111. de Benef. cum Monaſteria præſtantiſſimis pietate & doctrina viris adfluerent, adigebantur quodammodo Reges, ut illorum aliquos in Aulam accerſerent. Hincmarus & Ludovicus e Monaſterio Sandionyſiano, Benedictus Abbas Ananiæ, Adelardus & Vala Abbates Corbeienſes, diu verſati ſunt in Palatio Ludovici Pii, & Caroli Calvi. Idipſum tradit Peiratius lib. 1. cap. 10. de Orat. Reg. Gall. ubi inter Monachos Palatinos recenſet S. Anſbertum ſub Theodorico, Alcuinum ſub Carolo Magno, Hilduinum & Amalarium ſub Ludovico Pio, Anſegiſum ſub Lothario Ludovici filio. Addit, Regibus tertiæ ſtirpis etiam plures Monachos adhæſiſſe; ut colligitur ex Bullis Nicolai III., Clementis V., & Clementis VI., quibus Confeſſario Regis ſit poteſtas permittendi eſum carnium Monachis Aulicis. Jam vero perſpicuum ſit, Clerum Palatinum ſub ſecunda ſtirpe viris undequaque doctiſſimis claruiſſe. Hujuſmodi fuere ſub Carlo Magno Alcuinus ejus magiſter, Adelardus, Angilbertur, Eginhardus; & ſub Ludovico Pio Hilduinus, Heliſacharus, Rabanus Maurus; & ſub Carolo Calvo Æneas, Pariſien-

ſienſis poſtea Epiſcopus, aliique. Horum quippe nomina ob editos libros prelariſſima habentur. Quin etiam viris pietate præſtantiſſimis Clerus Palatinus adfluebat. Nam in Aula aliquandiu verſati ſunt ſanctiſſimi Epiſcopi plures, uti S. Vedaſtus ſub Clodovæo; S. Germanus ſub Childeberto; S. Medardus ſub Clotario; S. Modaldus ſub Dagoberto; S. Ludgerus ſub Carolo Magno: & alii plures, quos laudat Peiratius lib. 1. cap. 26. & 27. Atqui tamen nedum doctrina, nedum pietate effulgebant Clerici Palatini, ſed etiam generis nobilitate. Hoc nomine Peiratius lib. 1. c. 30. laudat Sanctum Romanum Clericum Clotarii II., SS. Vandogeſilum, Audoenum, Anſbertum Clericos Regis Dagoberti; Nithardum, Hincmarum, Fulconem Remenſes Antiſtites, & Ebroinum Epiſcopum Pictavienſem, Clericos Ludovici Pii & Caroli Calvi, ex ampliſſimo genere procreatos. Imo Regiæ ſtirpis Clerici, ut Arnulphus Epiſcopus Metenſis, Modoaldus Trevirenſis, Fulradus, Drogo cooptati ſunt in Clerum Palatinum. Cum igitur tot tantiſque titulis emineret, hinc habebatur uti primum, & præcipuum in tota Gallia Clericorum Collegium. Obſervat Peiratius lib. 1. cap. 24. ex antiquis nonnullorum Regum monumentis, olim Capellanos Regum ſubſignaſſe horum Diplomata, quod non exigui honoris eſt argumentum, Archiepiſcopos inter Epiſcopoſque. Hinc quos voluiſſent Reges magno honore proſequi, hos declarabant ſuos Capellanos. Ita Pipinus, cum ſuperatis Longobardis, adiit Caſſinenſe Monaſterium, honoris cauſa Monachos conſtituit ſuos Capellanos, uti legitur lib. 4. cap. 113. Chronici Caſſinenſis. Pariter Carolus M. eodem honoris titulo ornavit illius Monaſterii Abbatem, uti legitur ibidem lib. 4. cap. 109. Verum non ſolis honorum titulis clarebat Capellanorum dignitas, cum ampliſſima Regni & Aulæ officia iiſdem committerentur. Frequentiſſime enim fuere a Conſilio Principis, ita ut Adelardus in libro de Ordine Palatii aſſerat, Gonſilium Principis conflatum eſſe ex Clericis laiciſque. Fuſe de Clericis Conſiliariis Principum agit Thomaſſinus de Benef. p. 3. lib. 3. cap. 24. Frequentiſſime etiam agebant in Aula Cancellarios, Notarios, epiſtolarum Magiſtros, quæ munia a Caroli M. ævo uſque ad ſæculum decimumquintum, non in Gallia ſolum, ſed ubique fere, ut tradit Thomaſſinus, Clerici ut plurimum adminiſtrabant. Hinc in vita Hadriani I. apud Anaſtaſium, donatio facta a Carolo M. Romanæ Sedi, dicitur exarata *per Ætherium religioſiſſimum ac prudentiſſimum Capellanum & Notarium ſuum*. Et paſim leguntur antiqua Regum Diplomata a Capellanis Clericiſve ſubſcripta. Nec raro Clericis Aulicis ampliſſimæ Legationes demandabantur. Id probat Peiratius lib. 1. cap. 57. adductis exemplis Rodigandi, & Fulradi, quos Pipinus Legatos ablegavit ad Romanum Pontificem, quocum agerent de Longobardico bello: & Alcuini, qui Legatum egit apud Leonem III. & Offam Anglorum Regem; Amalarii, & Valæ, quos Carolus M. & Ludovicus Pius Romam miſere, ut Romanam Liturgiam in Galliam transferrent. Fuſe Thomaſſinus p. 2. lib. 3. cap. 37. tradit quam crebras, quam graves Regni Legationes obierint Clerici. Legatis adjungendi ſunt Miſſi Dominici, quos in varias Provincias ablegabant Francorum Reges, ut una cum Epiſcopis conſulerent, ne quid diſciplina Eccleſiaſtica detrimenti caperet: hi enim non raro e Clero ipſo Palatino ſeligebantur. Tandem plurimum facit ad hujus Cleri dignitatem, quod ex eo cœtu omnes fere Epiſcopi crearentur. Idque

Idque adeo uſitatum erat Francorum Regibus, ut cum Carolus Calvus in Concilio Tullenſi Eccleſiam Senonenſem contuliſſet Ganeloni Clerico Capellæ ſuæ, dixit, ſe id feciſſe *juxta conſuetudinem prædeceſſorum meorum Regum*. Hunc morem a primis Galliæ Regibus derivatum ad ſua uſque tempora probat Peiratius lib. 1. cap. 34. & 35. ita ut Clerus Palatinus ad inſtar fuerit Seminarii, e quo innumeri, & præclariſſimi ad regendas Eccleſias educerentur Epiſcopi: etſi quandoque Epiſcopi Galliæ, præſertim Hincmarus Remenſis, in has frequentiſſimas Palatinorum promotiones inſurgebant, quod convellerent electionum libertatem, & aliquando indignos obtruderent tanto miniſterio.

V. Sub tertia Regum Francorum ſtirpe, neque tanta fuit Clericorum in Aula copia, neque dignitas tanta. Quamvis enim Roberto Regi piiſſimo Clerici ſupra centum, ut ſcribit Helgaldus, in Capella miniſtraverint; attamen ſucceſſoribus Regibus longe inferiores numero in Aula adhæſere. Ex his vero adhuc nonnulli occurrunt, qui dignitate vel doctrina præſtarent. Nam Helgaldus in vita Roberti Regis recenſet inter illius Capellanos Theodonem Regis conſanguineum. Et Peiratius lib. 1. cap. 5. teſtatur Diplomata quædam Henrici I. & Philippi I. ſubſignata legi ab Epiſcopis, Capellaniſque. Is idem cenſet, Sugerium Abbatem Sandionyſianum, qui ſupremum egit Regni moderatorem, & Ludovi Groſſi vitam litteris conſignavit, e Capella prodiiſſe Ludovici VI. & VII. utpote quia ab his Regibus, titulo fidelis ac familiaris donabatur. Rigordus Scriptor rerum a Philippo II. geſtarum, & Guillelmus Carnotenſis Capellanus S. Ludovici, & Scriptor illius vitæ. Pariter Carolum V. & VI. nonnullos doctos viros in ſuam Capellam adſciviſſe, teſtatur Peiratius, qui ipſe Eleemoſynarium egit in Aula Henrici IV. & Ludovici XIII. Regum Francorum. Verum nonniſi Franciſco I. imperante, Capella Regum Galliæ, non modo priſtino reſtituta eſt ſplendori, ſed etiam novis honoribus aucta, & in eo honorificentiæ gradu collocata, quo nunc temporis effulget. Ille enim (præter Magnum Eleemoſynarium, de quo alibi dicendum eſt) duo Capellæ Regiæ addidit ampliſſima officia, anno 1523. nempe primi Eleemoſynarii, & Magiſtri Oratorii. Primus Eleemoſynarius vicarias agit partes Magni Eleemoſynarii eo abſente, hinc illius Vicarius natus dicitur a nonnullis. Hinc etiam illius officium magno in honore habetur, & plerumque Epiſcopis, non ſemel Cardinalibus committi conſuevit. Magiſter Oratorii tertium a Magno & Primo Eleemoſynariis locum obtinet magnæ quoque dignitatis, quam præclariſſimi Epiſcopi, vel Cardinales occuparunt. Præeſt Oratorio Regis conflato ex uno Capellano ordinario: octo Capellanis in orbem deſervientibus: octo Clericis Oratorii in orbem pariter deſervientibus: duobus Vecturariis dictis *Sommiers* a ferendis ſaumis ſeu ſarcinis. Capellanorum munus eſt, ſingulis diebus Sacrum facere ſubmiſſa voce, Rege præſente: ſi illi deſint, id muneris ſpectat ad Capellanum ordinarium. Clericis vero Oratorii incumbit cura præparandi quidquid ſpectat ad Sacrum coram Rege celebrandum, ſedem & pulvinaria Regi apponendi, ſacramque ſuppellectilem cuſtodiendi. Illorum unus ſummo mane adeſt in ſalutatorio Regis cubiculo, ut illic ab Eleemoſynario audiat qua hora, quo in loco Rex accedat ad Sacrum audiendum. Vecturariis denique imminet cura adſportandi omne inſtru-

men-

mentum ad eum locum, quo Rex ſe confert ad rem divinam faciendam. Sunt & alii Capellani ad Sacrum peragendum coram Aulicis, quos *S. Rocci* vocant, quod graſſante lue, Aulici hos ſibi Clericos conſtitui a Rege petiiſſent. Hi etiam dicuntur Eleemoſynarii *du commun*, vel *de la maiſon*, quia nonnullas largitiones diſtribuunt; illi tamen minime ſunt de Capella Regis. In hac vero inſignem honoris gradum occupant octo Elemoſynarii dicti *ſervans*, aut *de quartier* quia per orbem Regi adhærent, & miniſtrant in rebus divinis. Horum originem repetit Peiratius lib. 1. cap. 76. a Caroli VIII. ævo: Nam prædeceſſoribus Regibus unus fuit Eleemoſynarius, & unus itidem Sub-Eleemoſynarius, ſeu Clericus eleemoſynæ: cumque Carolo VIII. imperante, ille Magnus Eleemoſynarius dici cœperit, hinc aliis Clericis antiquum Eleemoſynarii titulum communicarunt. Horum plures in Aula ſua habuiſſe leguntur Ludovicus XII, Franciſcus I, Henricus II, Carolus IX. Verum ab Henrico IV, & ſucceſſoribus Regibus, nonniſi octo ad id muneris adſciſci in more fuit.

VI. Ad hos itaque ſpectat, abſentibus Magno & Primo Eleemoſynariis, omnia illorum munia obire, ſive in Capella Palatina, ſive in alia Eccleſia, quo Rex accedat, ſive in Liturgia, ſive in Coronatione Regis, ſive in aliis omnibus ſacris cæremoniis. Quamobrem, ſurgente de lecto Rege, adeſſe debet Eleemoſynariorum unus, qui ſuppoſito illius genibus pulvinari, flectens & ipſe genua prope Regem, recitet preces matutinas; tum audito, qua hora, quo in loco ſit Sacrum faciendum, id Clerico Oratorii ſignificat, ut omnia præſto ſint. In Eccleſia, is etiam adhæret Regi a dextris, illius ſervat pileum, & chirothecas, eidem porrigit libellum precum, vel Pſalmos alternatim cum Rege recitat, & ad Miſſæ finem, eumdem adſpergit aqua benedicta. Is etiam ad Regis prandium, cœnamque, benedictionem, & gratiarum actionem pronuntiat; aliiſque apud Regem officiis fungitur, uti perſpicuum fiet ex iis, quæ dicemus de Liturgia, & ſacris cæremoniis Palatinis. In diebus ſolemnibus Rocchetto & Mantelletta induti adſunt rei divinæ, & uti refert Dumontius in Cærem. Galliæ lib.3. cap.1. §. *6.* & titulo ornantur Conſiliariorum Regis. Ob hæc vero præſtantiſſima illorum apud Regem munia, habentur veluti Clerici de latere Regis, ut ajunt: & hinc cum in Henrici IV funere, ſibi deberi poſt Epiſcopos primum locum, Regio cadaveri propinquiorem contenderent Abbates præ Eleemoſynariis; ſententia Cardinalis Perronii Magni Eleemoſynarii, locum poſt Epiſcopos honoratiorem Eleemoſynariis ordinariis adjudicatum fuiſſe teſtatur Peiratius lib. 1. cap. 76. Alii ſunt, qui honoris cauſa Eleemoſynarii Regis dicuntur, ſed qui ſolo fruuntur titulo, nullam vero operam in Aula præſtant. Olim de Capella Regis fuit cœtus Clericorum dictus *Chapelle de plein chant*, qui ſingulis diebus Divina Officia perſolverent, quibus præerat Magiſter, ſeu *Maiſtre de Chapelle de plein chant*, hocque officium etiam Franciſcus I. conſtituerat. Verum ſub Henrico III. id inſtitutum deſiit. Non ita tamen de Muſicorum cœtu, *Chapelle de Muſique*, quem etiam Franciſcus I. Capellæ Regis, anno 1543, adgregraverat, cui qui præeſt, Magiſter Cantorum, ſeu *Maiſtre de la Chapelle de Muſique* appellatur. Huic ſubſunt duo Sub-Magiſtri, ſex pueri, ſeu Scholares artis Muſicæ, duo iſtorum Præceptores, aliique plures uſque ad numero quinquaginta Pſaltrii & Cantores. Cæterum longe ante Franciſci tempora, viguit

res muſica in Aula Regum Francorum . Viguit enim in Aula Clodo-
væi, utpote qui Citharœdum ſibi ad hanc rem mitti curavit a Theo-
dorico Rege Gothorum , uti conſtat ex epiſtola quadam Theodorici
ad illum data apud Caſſiodorum lib. 1. var. ep. 41. Et in vita S.
Ansberti apud Surium , menſe Februario , legitur , quod is in Aula
muſicis inſtrumentis pie delectabatur. Viguit in Aula Pipini , & Ca-
roli Magni : & a Stephano Papa invectam ſcribit Strabo lib. de ex-
ord. rer. Eccleſ. cap. 25. *Cantilenæ perfectiorem ſcientiam , quam pe-
ne jam tota Francia diligit .* Et Carolus M. ab Adriano Papa petiit ,
obtinuitque Cantores , qui Galliæ Eccleſias Romano cantu inſtitue-
rent. Merito proinde Peiratius affirmat lib 1. cap. 23. a Capella Re-
gis ad cæteras Galliæ Eccleſias rem muſicam profluxiſſe. Hanc itaque
in Aula obſoletam Franciſcus I. reſtituit . Jam vero ex his omnibus
habeas, Capellam Regum Galliæ hos complecti ſub Magni Eleemoſy-
narii auctoritate, Primum Eleemoſynarium, Magiſtrum Oratorii, Con-
feſſarium Regis , octo Eleemoſynarios , Confeſſarium , quem vocant
du commun , octo Concionatores, Capellanum ordinarium , octo Ca-
pellanos, octo Clericos Oratorii , Vecturarios duos , Magiſtrum Can-
torum , duos Sub-Magiſtros, ſex adoleſcentulos , Præceptores duos, &
plures Pſaltrios & Cantores . Quoad privilegia Capellanorum Regum
Galliæ, hæc alibi expendemus .

VII. Pergimus ad Aulam Hiſpanam, cujus Capellani quanto olim
ſtudio, quanto delectu eſſent conſtituendi , indicat Lex Hiſpana juſſu
Alphonſi IX. edita, lib. 3. tit. 9. p. 2 , ſtatuens , neminem ad eum
gradum cooptandum, qui non doctrina, prudentia, pietate , fide , &
rerum eccleſiaſticarum notitia polleret: *El Capellam deve ſer mui let-
trado, e de buen ſeſſo, e leal, e de buena vida , e ſabedor de uſo de
Igleſia .* Quibus eximiis animi dotibus, cum nil addi poſſe videatur ,
ad ſummas quaſque Eccleſiæ dignitates aſſequendas, non obſcuro con-
ficitur argumento , jam tum Capellanorum Ordinem magno in hono-
re, atque exiſtimatione fuiſſe. Sane idipſum ſuadent diſertiſſime, præ-
clara illa munia, quæ Lex Hiſpana Capellanis adſcribit. Addit enim,
illum non mediocri litterarum ſcientia ornatum eſſe oportere, qua va-
leat in iis , quæ ad Scripturarum & ſpiritualium rerum cognitionem
ſpectant , Regem inſtruere : *E lettrado es meneſter ſea para que
entienda bien las horas, e las eſcrituras , e las ſaga entender al Rei ,
e le ſpea dar conſejo de ſu anima , quando ſe le confeſſare .* Poſtre-
mis hiſce verbis illud etiam innuitur , Capellanum Regi miniſtraſſe
non in Divinis tantum recitandis Officiis , aut Scripturarum ſenſibus
aperiendis, verum etiam in ſacris Confeſſionibus excipiendis. Hinc &
ſecreti tenacem , fidumque , quod arcana noſceret Regis , illum eſſe
oportebat: *E otro ſi debe ſer de buen ſeſſo , e leal , porque entinende
bien como le debe tener poridad de lo que dixere en ſu confeſſion.*
Nec fruſtra cautum id Hiſpana Lege , quod in Aula Jacobi I. Regis
Aragonum contigiſſe narrat Mariana lib. 13. de reb. Hiſp. cap. 6.
Nam Gerundenſis Epiſcopus Regis Confeſſarius , Thereſiam Reginam
non ſervatæ a Rege conjugalis fidei, quod ſacra Confeſſione noverat,
conſciam reddidit ; quare violati arcani pœnas graviſſimas luit . Ne-
que ſatis erat, ſi doctrina , ſi prudentia , ſi fidelitate Capellanus pol-
leret: adjungenda enim erat his omnibus ea morum innocentia , quæ
Sacerdotem decet ſacra Myſteria conficientem , & quæ , ut ait Lex
Hiſpana, Regi , Aulicisque exemplo eſſe poſſit . Tandem rituum ec-
cle-

cleſiaſticorum peritum Capellanum, Lex eadem eſſe jubet; quod ejus muneris ſit, & Divina Officia apud Regem perſolvere, & ut ab aliis, qua decet religione, perſolvantur, incumbere. Sive igitur legem de cooptandis Capellanis, ſive illorum officia ſpectes, fieri non potuit, quominus ſelectiſſimi Clerici ad id muneris accerſerentur, idemque in ampliſſimo honoris gradu haberentur. Obſervat vero Turturetus de Sacell. Hiſp. cap. 5. Lege quidem Hiſpanica ad cooptandos Sacellanos nil de generis nobilitate decerni; attamen Gregorium Lupum ejuſdem Legis Gloſſographum diſertis verbis aſſerere, debere Aulæ Regiæ Sacellanum inter nobiles viros recenſeri: & Hiſpaniæ Reges, etſi quandoque ad hunc honoris gradum aliquos aſſumant inſigniores virtute, quam genere, conſueviſſe tamen primariæ nobilitatis viros in Clerum ſuum cooptare. Idem Turturetus teſtis eſt, non olim dumtaxat, ſed ſua quoque ætate, Capellanos Aulicos magno in honore haberi. Cujus rei non unum eſt argumentum, quod nempe ſedeant in Capella, præſente Rege, e Magnatum regione, & capita operiunt, induti veſtes lineas, quæ ſuperpelliceæ vocantur: quod in publicis ſupplicationibus, in quibus Rex adeſt (nam ſi abeſſet, neque ipſi adeſſent) medii incedunt inter Regios Senatores: quod inter Canonicos ampliſſimæ Eccleſiæ Toletanæ ſedeant, ſi Rex eam adierit Eccleſiam, ad ſacra facienda; quod non temere eligantur; ſed Magnus Capellanus referat ad Regem, vel Senatus Aragonicus, aut Italicus, cum de creandis harum regionum Capellanis agitur: neque ullus ex illegitimo conjugio, aut ex atavis Judæis, vel Hæreticis poteſt in hunc Clerum cooptari. Sed uberiora ſunt illorum dignitatis argumenta: ſiquidem certum eſt, Hiſpanos Reges conſueviſſe graviſſimis viris hunc honorem conferre, eiſdem ſæpe Legationes, aut alia Aulæ officia committere, & ampliſſimis Eccleſiis eoſdem præficere. Illorum aliquot memorat Turturetus, nempe Joannem de Tordeſillas Capellanum Henrici I, & Joannis II, eorumque apud Romanum Pontificem Legatum, & Segobienſem Epiſcopum: Rodericum Sancium Capellanum Henrici IV, ejuſque Oratorem apud Paulum II. Pontificem, tum Ærarii Pontificii ſupremum Præfectum, & Epiſcopum Palentinum, plurimum librorum auctorem: Didacum Henricum a Caſtello Capellanum ejuſdem Regis, Conſiliarium, & Hiſtoriographum: Clementem Cajetanum Caroli V. Capellanum, & Philippo filio a ſecretis in ſupremo Italicarum rerum Senatu: Lucium Marinæum Siculum Capellanum Ferdinandi, & Caroli V. & Hiſtoriographum: Cæſarem Marullum e Capellano Philippi II. Archiepiſcopum Panormitanum: Ariam Montanum virum doctiſſimum, Philippi II. Capellanum: Joannem Baptiſtam Azevedum ejuſdem Regis Capellanum, Indiarum Patriarcham, Epiſcopum Valliſoletanum, Supremum Fidei Quæſitorem, & Caſtellæ Præſidem. Sed omnium præclariſſimus pietate, doctrina, dignitate in Capella Caroli V. & Ferdinandi Catholici miniſtravit Joannes Petrus Caraſa Neapolitanus, Archiepiſcopus Teatinus, & Teatinæ Familiæ una cum S. Cajetano Thienæo Inſtitutor, deinde Cardinalis & Archiepiſcopus Neapolitanus, tandem ſupremus Eccleſiæ Pontifex Paulus IV. Neque ſilentio prætereundi ſunt Hieronymus Cardinalis Seripandus, & Archiepiſcopus Salernitanus, & Marcus Antonius Columna ejuſdem Eccleſiæ Antiſtes, e Capellanis Philippi II: itidem Fabritius Antinorus Capellanus Philippi III. Archiepiſcopus Acheruntinus. Nam frequenter Capellanis collata Sacerdotia teſtatur Turtu-

 re-

retus : & ex Pirro in notitiis Eccleſiarum Siculienſium , atque Ughel-lio in Epiſcopis Regni Neapolitani compertum eſt , regnantibus Auſtriacis , innumeros fere e Capellanis Aulæ Hiſpanæ creatos Epiſcopos, Abbateſque . Quoad Capellanorum diſtinctionem ſpectat , tradit Turturetus, alios dici Capellanos *de Honor* , ſeu *de Banco* , alios Capellanos *de Altar*, ſeu Cantores. Horum primi magno in honore habentur, uti dictum eſt; & in Capella Palatina, quoties Rex ſacris rebus adeſt ſolemni pompa , ſedent in ſcamno e regione Magnatum : rem divinam faciunt in privatis Aulæ Sacrariis , ubi Rex vel Regina adſint , vel qui ſunt de cognatione Regia : benedicunt Regiam menſam : Regis itinera , & expeditiones ſequuntur quotquot deſtinati fuerint a Magno Capellano: comitantur Regia funera , & proximum locum Regio cadaveri occupant : miniſtrant Prælatis , qui in magnis ſolemnibus, Sacris operantur coram Rege , aut in Capella Palatina , aut in aliis Eccleſiis. Hinc patet, hos Capellanos, etſi Honorarii dicantur , tamen non ex illorum eſſe numero , qui honoris cauſa tantum, hoc titulo donantur; ſiquidem reipſa operam ſuam in Aula præſtant , ac vere ſunt Regis familiares , & domeſtici . Cappellani vero *de Altar*, ſeu Cantores nuncupantur, qui in Capella Palatina, Divina Officia perſolvunt. Denique præter Capellanos hoſce, ſpectant ad Capellam Regis, Præfectus Regiis cortinis, Receptor Capellæ, Juridicus; Concionatores, Muſici, & Pſaltrii plures.

VIII. Quæ hactenus diximus de Clero Palatino in Oriente , in Gallia, in Hiſpania; iis conſona ſunt, quæ de noſtrorum Regum Aulicis Clericis dicturi ſumus. Enimvero Normannis Principibus ex antiquo more Capellanos plures, & honoratiſſimo apud eos loco, adhæſiſſe, ſuadent privilegia plurima ab illis conceſſa , quibus inter Epiſcopos, Proceresſque , Capellani ſubſcribunt . Taſſonus in libro de Antefato exhibet donationem S. Brunoni factam a Comite Rogerio , ubi Fulco nominatur Comitis Capellanus : & Pirrus in notitia Eccleſiæ Pactenſis profert diploma ab eodem Comite datum anno 1094. in gratiam Liparitani Cænobii, quod exaratum dicitur *in præſentia Goffridi Militenſis Epiſcopi , & Fulconis Medici & Capellani , qui hanc chartam manu propria ſcripſit*. Proinde Fulco triplici munere apud Rogerium fungebatur, Capellani nempe, Scribæ, & Medici: quod ea tempeſtate viri ampliſſimi rei medicæ operam dabant; hinc & Romualdus Guarna Archiepiſcopus Salernitanus, & Berardinus Caracciolus Archiepiſcopus Neapolitanus, medendi artem noviſſe leguntur. Aliud ejuſdem Comitis privilegium in favorem Monaſterii S. Luciæ de Montaneis ſubſcribitur a Guillelmo , & Guanna illius Capellanis . Pariter diplomati fundationis Monaſterii Ciſtercienſis S. M. Roccamatoris prope Meſſanam a Bartholomæo Comite Paternionis conſtructi anno 1193. ſubſcribunt tres Presbyteri Capellani Domini Comitis. Monachos etiam Capellanorum cœtui adgregatos, indicant duo diplomata Hugonis Meſſanenſis Epiſcopi, data anno 1131, imperante Rogerio, apud Pirrum in notitia Meſſanenſis Eccleſiæ , quibus ſubſcribit : *Ego R. Monachus Capellanus Domini Regis* . Etiam Græcis Magnatibus familiare erat ea tempeſtate Capellanos ſibi a Monachis accerſere , uti teſtatur Balſamon in comm. ad can. 4. Conc. Conſtant. addens non inde violari canones, quod non cupiditati, ſed charitati illi famularentur ; quamobrem a Patriarcha Luca factam Monacho Sacerdoti poteſtatem , ut perpetuo verſaretur cum Logotheta Curſus (idem fuit ac Cancella-

rius) & ſcribæ officio apud illum fungeretur : majorem vero adeſſe rationem Regibus , ut Clericos aut Monachos ſibi adjungant ad miniſteria, quæ ſerviunt publicæ utilitati . Hæc Balſamon de Græcorum moribus, queis ſimiles apud Normannos obtinuere . Nam Capellani non raro fungebantur officio Cancellarii , Notarii , & Scribæ , uti evincunt privilegia plurima a Capellanis conſcripta . Hujuſmodi eſt diploma quoddam Rogerii Ducis anno 1086. in gratiam Panormitanæ Eccleſiæ apud Pirrum , exaratum *per manum Raynaldi Capellani mei* : & diploma aliud Rogerii Regis anno 1139. in gratiam Monaſterii S. Philippi de Agyrio ſcriptum *per manum Gualterii noſtri Capellani* . Quibus omnibus perſpicuum ſit , plures in Normannorum Comitatu adſuiſſe Capellanos , hoſque tanto in honore , ut Epiſcopos inter & Proceres ſubſignarent illorum diplomata ; vel ea ipſimet exararent , quod Cancellarii munere præſtantiſſimo fungerentur . Nil mirum proinde , ſi quandoque Capellanis ſuis munus Magni Cancellarii Regni , Normanni Reges conceſſere . Ita Robertus de Urbe Capellanus Comitis Rogerii anno 1093 , fuit & Magnus Regni Cancellarius , ut teſtis eſt Pirrus in Chronologia Regum Siciliæ . Cui adjungendi ſunt Richardus Palmeri Anglus , genere & virtute præclariſſimus , electus Antiſtes Syracuſanus , Cancellarius , & Conſiliarius Willelmi II , & Orator apud Henricum Anglorum Regem : Bartholomæus Ophamilius Anglus ſummo loco natus , Willelmi II. familiaris & Vice-cangellarius , Oratorque apud Imperatorem Byzantinum , & Epiſcopus Agrigentinus : Stephanus dictus Cancellarius ab eo munere , quo functus eſt ſub Willelmo II. cujus erat familiaris , Archiepiſcopus Panormitanus . Hi ampliſſimi viri , de quibus plura habet Pirrus in notitia Eccleſiarum Sicilienſium , e Clero Palatino Regum Normannorum prodiere . Uti etiam Robaldus Archiepiſcopus Amalphitanus e Lapellano Willelmi Regis ; & Sergius Freccia Archiepiſcopus Sipontinus , fuerat a ſecretis Regis Rogerii , quos memorat Ughellius . Neque ſilentio prætereundum eſt , Clericos Palatinos quandoque vicario nomine imperium adminiſtraſſe . Ita ſub Willelmo I. Henricus Ariſtippus Archidiaconus Catanenſis , & Richardus electus Syracuſanus : & ſub Willelmo II. Romualdus Guarna Archiepiſcopus Salernitanus , vir doctiſſimus , ſcriptor rerum a Normannis geſtarum , magnæque apud Margaritam Reginam , & Willelmum II. filium auctoritatis . Aderant quoque in Aula Clerici plurimi , qui Sacra facerent in Eccleſia Palatina . Diximus enim , a Rogerio Rege in prima Eccleſiæ Palatinæ fundatione conſtitutos magiſtrum Capellæ , ſeu Magnum Capellanum , Cantorem , Theſaurarium , duodecim Canonicos , Subcantorem , Magiſtrum Scholarum , Terminatorem , duodecim Sacerdotes Chorodatos dictos , (ſeu Choriſtas , Chorales , Chorarios) duos Sacriſtas , Clericos quatuor . Et de Willelmo II. refert in Chronico Romualdus Guarna , adornaſſe illum Palatinam Eccleſiam , & Divinum Cultum ſummopere foviſſe : *Clericos in ea multos , & præbendas inſtituit , & Divinum in illa Officium decenter , & tractatim , & cum Dei reverentia & timore celebrari diſpoſuit* . Teſtis eſt Pirrus in notitia Regiæ Capellæ S. Petri , regnante Willelmo II. Canonicos dictos fuiſſe Regis Familiares . Sane in illorum numero fuit Gualterius ille Anglus , cui ſcripſit Petrus Bleſenſis , & qui Præceptorem , Cancellarium , Conſiliarium egit Willelmi II. tum Panormitanam ſedem conſcendit , de quo redibit ſermo , cum de Magno agemus Capellano . Tandem inter Palatinos Clericos Normannorum

rum

rum Regum merito recenſendus eſt Petrus Bleſenſis Archidiaconus Bathonienſis in Anglia, utpote qui Willelmum II. puerum inſtituit litteris & pietate, ut ipſemet teſtatur in litteris ad Gualterium datis: ob cujus e Sicilia diſceſſum, Willelmus *abjectis libris ad otium ſe contulit Palatinum*, ut ipſe ſcribit ep. *66.* & 90. Qui idem librum edidit *de Inſtitutione Epiſcopi*, ut Siculos Antiſtites, quod neglectis Eccleſiis ſuis in Aula verſabantur, ad meliorem frugem revocaret. Sed hæc ſatis de Cleri Palatini ſub Normannis Principibus numero, officio, & dignitate.

IX. Sub Svevis Regibus, iiſdemque Imperatoribus, Clero Palatino non potuit is dignitatis & honoris locus denegari, quem jamdiu obtinebat apud Germanos Imperatores. Compertum enim eſt, Germanis Imperatoribus plures adhæſiſſe Capellanorum nomine Clericos, genere & virtute ornatiſſimos, eo præſertim, quod vigentibus inveſtituris, Sacerdotia ampliſſima conſequerentur. Id diſerte teſtantur Willelmus Tyrius lib. 1. Hiſt. cap. 13. & Auctor vitæ S. Ottonis Epiſcopi Bambergenſis, Apoſtoli Pomeranorum, apud Surium die 2. Julii, his verbis: *Multi nobiles, & præſtantes viri, cognati & filii Principum, Imperatoris aulam ſequebantur, Capellanorum ei miniſterium exhibentes, ſpe alicujus Epiſcopatus obtinendi*. In horum numero fuere S. Otto Capellanus Henrici IV, S. Anno Archiepiſcopus Colonienſis e Capellano Henrici V, Willigiſus e Capellano & Conſiliario Ottonis II. Archiepiſcopus Moguntinus, aliique plures. Augebatur Capellanorum dignitas, quod plerumque ii agerent Imperatorum Cancellarios, ita ut Archicapellanus eſſet ſimul Archicancellarius, inferioreſque Capellani eſſent Cancellarii. Hinc ab Henrici VI. Imperatoris, & Siciliæ Regis Capella prodiit Gualterius de Palena, ſive de Paleariis, Epiſcopus primum Trojæ in Apulia, deinde Panormitanus, conſanguineus Imperatoris, ejuſque in Regno Siciliæ Magnus Cancellarius; cui Innocentius III Friderici II pueri tutelam delegavit. Plura de eo Pirrus in notit. Eccl. Panor. & Catanenſis. E Capella etiam Svevorum Principum prodiit Philippus Matera Coſentinus, Conſiliarius, & Cancellarius Friderici II Imperatoris, variiſque functus legationibus, tandem Epiſcopus Marturanenſis, uti teſtatur Ughellius in Epiſcopis Marturanenſibus. Ibi donationem exhibet factam Richerio Epiſcopo Melphienſi anno 1220. cui Philippus de Matera *Scriniarius* ſubſcribit: hoc enim donabantur nomine, qui publica ſcripturarum ſcrinia curabant, epiſtolas ſcribebant, inſtrumenta conficiebant, præſertim in Eccleſia Romana, cujus plures erant ſcriniarii. Sed & Magnum Siciliæ Cancellarium egiſſe Philippum evincunt alia monumenta ab Ughellio relata. Alium Friderici II Imperatoris Capellanum, Rogerium nempe Porcaſtellum memorat Fazellus Decad. 2. lib. 8. cap. 2. cujus opera concitatum in ſe Pontificem emollire, ejuſque gratiam ſibi conciliare ſtuduit Imperator. Ita enim Fazellus: *Cum tandem Fridericus per Berardum Panormitanum Archiepiſcopum, Florentinum, & Rheginum Epiſcopos, & Thaddeum Sueſſanum magnæ Regiæ Curiæ Judicem, & Rogerium Porcaſtellum Capellanum fruſtra Pontifici omnia ejus acta & improbanti & execranti reconciliari ſtudet, contemptis omnibus diris, ac religione ipſa neglecta, obvios intra Romanæ Urbis portas utriuſque ordinis cruce ſignatos in crucem adegit, diſcerpſitque, ac jam opprimendi etiam ipſius Pontificis conſilio, Romam proxime caſtra admovit*. Adhærebant quippe Regibus in expeditioni-
bus

bus Capellani, quorum pietate & ſapientia non raro ad pacem conciliandam utebantur. Hinc cum Mamfredus immunes voluit a ſolvendis vectigalibus Clericos Capellæ ſuæ, eos quoque complexus eſt, qui caſtra ſequerentur: *Capitulum & Clericos omnes ipſius Capellæ, tam illos, qui reſidentiam faciunt, Domino ſerviendo, quam alios de gremio ipſius Eccleſiæ, qui noſtram ſequendo Curiam deputati ſunt Capellæ noſtræ ſervitiis, a collectis & exactionibus gratioſe eximimus, & volumus eſſe immunes*. Ut proinde unum idemque haberetur Cleri Palatini Collegium, e quo alii in Capella Palatina, alii in caſtris ſacrum miniſterium exhiberent. Cœtum hunç Clericorum Svevos Reges plurimum feciſſe indicant privilegia multa ab Henrico, Friderico, Manfredo conceſſa; quæ tom. 2. Siciliæ ſacræ legi poſſunt, in notitia Regiæ, & Imperialis Capellæ S. Petri: ibi & litteræ quædam leguntur Friderici Imperatoris, ex quibus colligitur, Palatinos Clericos e claro genere eligi conſueviſſe.

X. Brevi eo tempore, quo Carolus Andegavenſis imperium tenuit Siciliæ ultra Pharum, duo occurrunt Capellani Regii, iidemque Magni Siciliæ Cancellarii, Joannes Maſnelius Cantor Cappellæ Panormitanæ, de quo alibi dicturi ſumus, & Magiſter Guillelmus de Forumvilla, Decanus ejuſdem Capellæ, & anno 1274. Regni Siciliæ Vicecancellarius. At longum eſſet recenſere Aragonum Siciliæ Regum Capellanos, qui virtute & dignitate excelluerunt. Horum plurimi e Cœnobiis acceſſebantur, quod ibi potiſſimum pietatis & doctrinæ ornamenta ſplenderent, quæ Capellani, Confeſſarii, Eleemoſynarii, Præceptores ſummorum Principum in Aulam primum, tum in Eccleſias, quibus non raro præficiebantur, transfunderent. Cephaleditanus Epiſcopus Juncta Capellanum egerat Petri Siciliæ Regis, & eo quidem honoris titulo gloriabatur, uti conſtat ex quadam illius Charta anni 1285. apud Pirrum in notit. Eccleſ. Cephaled. *Nos Juncta permiſſione divina Cephaludenſis Epiſcopus, ac ejuſdem Regis Capellanus, & familiaris*. In illum graviter exarſit Honorius IV, quod Jacobum Petri filium, una cum Philippo Squillacenſi, & Tancredo Neocaſtrenſi Epiſcopis, Regem inunxerint. Jacobus de Narnia ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopus, fuerat etiam a ſacris Friderici II Regis: illique in Epiſcopatu ſucceſſit Rogerius de Sancto Joanne, & ipſe Friderici II. & Petri II Capellanus. Gregorius, qui anno 1353. Mazarienſem ſedem conſcendit, fuerat a ſacris & a conſiliis Friderici II. Regis; & illius ſucceſſor Franciſcus de Catania, eodem functus eſt munere in Aula Ludovici Regis: a quo una cum Jacobo de Lamia Præfecto Domus Regiæ, & Roberto de Bonone Patrono Regiæ Curiæ deſignatus eſt ad pacis fœdera inter Siciliæ Regulos concilianda. Eo e vivis ſublato, Fr. Rogerius Ordinis Minorum Capellanus Ludovici III Mazarienſi Eccleſiæ præficitur. Catanenſi Sacerdotio claruit Fr. Simeon de Puteo Ordinis Prædicatorum e Capella & Conſilio Friderici III, quem Gregorius XI. conſtituerat ſupremum in Regno Siciliæ Vindicem Fidei, uti refert Pirrus in notitia Catanenſis Eccleſiæ. Ibidem memoratur Henricus Regius Capellanus, & Aprocriſiarius Pontificius in Sicilia, cui ad Melphitanum Epiſcopatum evecto, Urbanus VI Simeonem Catanenſem Antiſtitem in eo Apocriſiarii munere ſubrogavit. Apud eumdem Fridericum Regem, functus eſt Capellani, atque Elemoſynarii munere Fr. Nicolaus Papalla Ordinis Minorum, deinde Melitenſis Epiſcopus, cujus mentionem faciunt Wadingus ad annum 1372, & Pir-

Pirrus in notitia Eccleſiæ Melitenſis. Capellani itaque Regum frequentiſſime ad Epiſcopales ſedes promovebantur; cum enim nonniſi graviſſimi & religioſiſſimi viri in eum gradum cooptarentur, fieri non potuit, quin iiſdem Eccleſiæ Cathedrales regendæ ſæpe committerentur. Hac etiam de cauſa e Canonicorum Palatinæ Capellæ Collegio non raro creabantur Antiſtites: uti Philippus Sanchius, & Ogerius de Verxolo e Cantoribus illius Capellæ, Antiſtites Syracuſani: & Franciſcus de Vitale e Cantore pariter Regiæ Capellæ, Epiſcopus Mazarienſis, cui Fridericus III, anno 1370, omnimodam poteſtatem conceſſit in civilibus & criminalibus negotiis, quoad Clericos omnes Regiæ Capellæ: & Bernardus de Figuera, Martini Regis Eleemoſynarius, Capellanus, Cantor Eccleſiæ Palatinæ, tum Epiſcopus Pactenſis; ad cujus preces Rex Martinus & Maria conjux omnia privilegia a prædeceſſoribus Regibus conceſſa Clero Palatino confirmarunt, & nova addiderunt.

XI. Tranſlato deinde Siciliæ imperio ad Hiſpaniæ Reges, deſiiſſe Cleri Capellæ Regiæ ſplendorem, dignitatem & numerum ad annum uſque 1586, quo temporis Philippus II. Rex Hiſpaniæ reſtituit Capellæ Palatinæ Canonicos, Clericos, miniſtroſque, iiſque annuos conſtituit proventus ex ſpoliis Beneficiariorum, jam alibi diximus. Tum a Philippo III anno 1612, Philippo IV anno 1639, Carolo II anno 1668, & Victorio Amedeo anno 1714. aucti ſunt proventus Cleri Palatini ex fructibus vacantium Eccleſiarum, & ex penſione perpetua a Catanenſibus Epiſcopis ſolvenda, percipiendi. Capella itaque Palatina Panormitana habet triginta octo Miniſtros, Cantorem nempe, qui primum occupat dignitatis locum, omnibus præeſt, geritque curam animarum per Capellanum ad id muneris deſignatum: duodecim Canonicos, quatuor majores, quatuor minores, totidemque inferiores, optione inter eos ſervata: Perſonatus duos, Subcantorem nempe & Magiſtrum ſcholæ: octo Chorodatos, ſeu Choro addictos: ſex Diaconos, totidem Clericos, Sacriſtas duos, Muſicos triginta. Hi omnes Judici Regiæ Monarchiæ ſubjiciuntur, & exempti ſunt a collectis, ſpoliiſque, quæ in Sicilia, Regi, cujus patronatus ſunt omnia Regni Sacerdotia, debentur. Canonicis Palatinis conceſſit Urbanus VIII anno 1633 Mozzettam & Rocchettum, ad inſtar Canonicorum Metropolitanæ Eccleſiæ, quibus eadem inſignia Paulus V anno 1609. permiſerat. Cum hiſce Canonicis in pari honoris ac dignitatis loco habentur Palatini, quos Pirrus ſimiles facit Capellanis de honore Aulæ Hiſpanæ. Chorodatos vero comparat Capellanis de cantu in Aula Hiſpana, quia Divinis perſolvendis Officiis addicti ſunt; hique utuntur Almutio nigri coloris, quo antea Canonici utebantur. Ad hæc Beneficia omnia, primum Reges, deinde Proreges præſentare conſueverunt; præſentatos vero primum Archiepiſcopus Panormitanus, deinde Major Capellanus inſtituebat. At Philippi II. Hiſpaniarum Regis juſſu anno 1591. ſtatutum eſt, ut Proregi nonniſi Theſaurarium, Sacriſtas, Organiſtam, Muſicos fas eſſet conſtituere: quoad vero illorum inſtitutionem, ea ab anno 1582. ſpectat ad Archiepiſcopum Panormitanum. Tandem in Cleri Palatini cœtum, imperantibus Auſtriacis, viri ornatiſſimi adſciti ſunt. Nam Roccus Pirrus Abbas Netinus, & Silveſter Maurolicus, rerum Sicularum ſcriptores graviſſimi, de quibus videndus Mongitore in Bibliotheca Sicula, e Clero Palatino fuere. E quo etiam prodiit Ludovicus Idelphonſus de los Cameros, olim a ſacris cæremoniis Proregis Ducis Alcalenſium, tum Cantor Eccleſiæ Palatinæ, Inquiſitor in Regno Siciliæ, Judex Regiæ

Digitized by Google

giæ Monarchiæ, Epiſcopus Pactenſis, deinde Monteregalenſis, tandem Valentinus. Cæterum præter hos Clericos, ſunt & alii Capellani Regii, qui honoris cauſa eo fruuntur titulo, ſed nullum ex hibent miniſterium in Capella Palatina, eiſque imminet Judex Regiæ Monarchiæ.

XII. In Aula Neapolitanorum Regum Andegavenſium, inſignis Clericorum numerus verſabatur, ad Aulæ Regnique munia gerenda, ad Legationes obeundas, ad Regum filios erudiendos, ad ſacra facienda. Ex his omnibus, etſi diverſum diſtinctumque agerent miniſterium, Clerus Palatinus coaleſcebat, eo præſertim, quia ſæpiſſime iidem erant a ſacris, & a temporalibus negotiis adminiſtrandis. Ita Regum Confeſſarius, & Regalis Capellæ Magiſter in Conſilium Principis adſciti erant; ita quoque ſedebant in Conſilio Regum Capellani quamplures. Qua de re ſpectant ad Andegavenſium Regum Capellam, Clerumque Palatinum, qui, illis imperantibus, Cancellarios egerunt. Utroque munere Cancellarii, & Conſiliarii functi ſunt: Guillelmus de Godonio Gallus apud Carolum Calabriæ Ducem, antequam anno 1297. Salernitanæ Eccleſiæ præficeretur: Petrus Epiſcopus Caputaquenſis, anno 1286. e vivis ſublatus: Petrus Epiſcopus Litterenſis, & ſupremus Moderator Neapolitani Gymnaſii ſub Carolo II. Raymundus de Mauſaco Ordinis Minorum, Epiſcopus Teatinus, apud Carolum Calabriæ Ducem Roberti Regis filium & Vicarium. Clericis quoque Magni Cancellarii munus, quod unum eſt e ſeptem præcipuis Regni officiis, non raro committebatur. Nam in Chronico Cavenſis Monaſterii, quod publici juris fecit Ughellus, duo occurrunt Monachi Guiczardus & Maynerius, medio fere decimo quarto ſæculo, Regum Conſiliarii & Magni Cancellarii. Quo etiam munere claruere, Roberto Rege imperante, Ingilramnus Stella e Capellano & Conſiliario Regis, Archiepiſcopus Capuanus, Neapolitanæ Academiæ ſupremus Præfectus: regnante Ladislao, Frater Petrus de Pennis, Dominicanæ Familiæ, Scalenſis Antiſtes: & in Aula Joannæ I. Philippus Epiſcopus Cabillonenſis. Cancellariis adjungendi ſunt Protonotarii, cujuſmodi floruere in Aula Joannæ I Rogerius Archiepiſcopus Barenſis: & Landulphus Caracciolus e Franciſcano Inſtituto Amalphitanus Antiſtes, quem Joanna Legatum in Siciliam miſit, ut pacem cum Joanne Randatti Duce, Ludovici Regis patruo, Regnique moderatore conciliaret; & rebus bene geſtis, conſtituit Regni Logothetam, Protonotariumque. Nam Andegavenſibus Regibus familiare fuit, Clericis ſuis Legationes committere. Harum plures obiit Matthæus Philamarinus ſub Carolo II. & Roberto Regibus, quorum fuit Conſiliarius & familiaris, Cuſtos Regii ſigilli, Neapolitani Gymnaſii Præſes, & electus Archiepiſcopus Neapolitanus. Philippum Minutulum, Canonicum Neapolitanum, familiarem Clericum Caroli II. apud Piſanos Legationem obiiſſe, antequam Neapolitano Sacerdotio donaretur, teſtis eſt Chioccarellus. Nicolaum Tranenſem Præſulem, Legatum ablegavit Carolus I. ad nuptias conciliandas inter Carolum II. filium & Mariam filiam Regis Pannoniæ: Joannem Capuanum, & Gyſium Brunduſinum Archiepiſcopos, Ludovicus Tarentinus, & Joanna conjux apud Romanum Pontificem Oratores miſerunt: & Joanna II Manfredum Acheruntinum Pontificem, miſit Oratorem ad Concilium Conſtantienſe. Quandoque a Cœnobiis Legati ſeligebantur: ſiquidem Annales Fratrum Minorum memorant Antonium a Taſſia, quem Joanna Regina ad Ferdinandum Aragoniæ Regem

miſit, ob nuptias cnm Joanne filio ineundas; & Antonium Valentinum Oratorem Roberti Regis ad Pontificem. Et Toppius laudat Joannem Grillo Monachum Carthuſianum, virum doctiſſimum, Conſiliarium, & Legatum Joannæ I. ad Urbanum VI. Pontificem. Exploratum, perſuaſumque fuit Regibus, graviſſima quæque Reipublicæ negotia, ampliſſimos honores, Clericorum, & Cœnobitarum peritiæ, probitati, ac fidei tuto committi poſſe. Hinc eorundem opera perſæpe utebantur ad inſtituendam Regiam ſobolem litteris & pietate. In horum numero fuit Berthuldus Urſinus Prior S. Nicolai Barenſis, Conſiliarius Roberti Regis, deinde Neapolitanus Antiſtes, cui demandata eſt inſtitutio Caroli Calabriæ Ducis. Hinc etiam iidem Principes adgregabant Conſilio Regio Clericos ſuos, Capellanoſque. Hujuſmodi leguntur in Italia ſacra Ughelli, Stephanus Epiſcopus Lucerinus: & Bartholomeus Epiſcopus Vigilienſis, Capellani & Conſiliarii Caroli Regis: Simon Epiſcopus Draconariæ, & Andreas de Alaneo Epiſcopus Minorenſis, Capellani & Conſiliarii Regis Roberti: Bartholomæus de Papazurris, Ordinis Prædicatorum, Teatinus Antiſtes Capellanus & Conſiliarius Joannæ I. & Ludovici Tarentini: Gentilis de Monte Capellanus Joannæ II. & Epiſcopus Molfettæ. Et alii plurimi Clerici, aut Epiſcopi, quos longum eſſet recenſere, Conſilio Regum Andegavenſium interſuere. Nec ab eo arcebantur Cœnobitæ: nam Wadingus ad annum 1321. laudat Franciſcum Aſculanum Regis Conſiliarium; & ad annum 1329. teſtatur Robertum Regem in rebus arduis uſum eſſe opera Antonii Valentini; Joannam I. adhibuiſſe Veſiandum Ronlandum deinde Capuanum Pontificem, ad Regni negotia difficillima. Ab eodem Wadingo ad annum 1287. memoratur Fr. Petrus e Capellano Reginæ Mariæ, Archiepiſcopus Spalatenſis. Et Turturetus cap. 4. e MSS. Petri Vincentii refert Odonem de Sala Epiſcopum Piſanum, a Roberto Rege; & Epiſcopum Trojanum a Ladislao, in Capellanorum numerum cooptatos. Idem auctor eſt cap. 4. n. 30. Carolum Andegavenſem, dum Romæ degeret, plures e Pontificio famulitio donaſſe titulo ſui Conſiliarii & Capellani; præſertim Benedictum Cajetanum, qui poſtea ſub Bonifacii VIII. nomine Pontificatum tenuit. Ex his vero omnibus compertum eſt, ſæpe ex Epiſcopis Capellanos Regum, ſæpe etiam e Capellanis Regum Epiſcopos adlectos fuiſſe, hos ſediſſe in Conſilio Principis, hos præcipua Aulæ munia geſſiſſe.

XIII. Quæ quidem cum ſint præſtantiſſima, haud tamen omnia ſunt, quæ de Capellanis Andegavenſium Regum dici poſſunt; cum & in illum cœtum viri doctiſſimi fuerint adſcripti. Hujus ordinis primus occurrit Blaſius de Morcone, celeberrimus illius ævi Juriſconſultus, ſcriptor commentariorum in Leges Longobardicas, & Conſtitutiones Regni, Judex Magnæ Curiæ Vicariæ, quem Robertus Rex, anno 1338. e Præpoſito S. Mariæ de Atino, conſtituit ſuum Conſiliarium, familiarem, & Capellanum, uti teſtatur Toppius in Bibliotheca Neapolitana. Huic addendus eſt Franciſcus Petrarca, Poeta excellentiſſimus, quem Joanna I. anno 1344. in ſuum Capellanum adſcivit, uti ſcribit Summontius in Hiſtoria Neapolitana. Raphael Maffeus, Ordinis Prædicatorum, vir doctiſſimus, fuit a ſacris Caroli III. & ut Regem a ſchiſmate revocaret, librum edidit de vera Urbani VI. electione, etſi infelici eventu, uti narrat Mongitore in Bibliotheca Sicula: Fratrem Dominicum de Stellopardis e Prædicatorum Ordine, magni nominis Theologum, & Concionatorem, Inquiſitorem in Neapolitano

Re-

Regno, & Clementis VII. Pſeudo-Pontificis oppugnatorem, Caroli III. & Ladislai Capellanum, laudant Fontana in Theatro Dominicano, & Toppius in Bibliotheca Neapolitana. Iidem memorant Fratrem Leonardum de Neapoli ex eodem Ordine, virum graviſſimum, in utraque Sicilia Fidei Vindicem, Caroli III. Capellanum, & Conſiliarium. Tandem a Joanna I. inter Capellanos ſuos adſcriptus eſt Petrus de Aquila, Franciſcanus, qui Inquiſitorem egerat Florentiæ, vir ampliſſimus, uti teſtatur Wadingus ad annum 1344. ubi exhibet Joannæ litteras hujuſcemodi: *Si per ſæpe Princeps in familiaritatis, & obſecutionis officium, ad aliorum teſtimonium, ſibi jungit ignotos, decet eum per amplius illos aſſumere, quos experientia certa, propriaque ſcientia dignos novit. Cum igitur profundæ dona ſcientiæ, diſcretorum actus morum laudabiles, & alia gratioſa virtutum merita Religioſi viri Fr. Petri de Aquila Ord. Min. ſacræ paginæ profeſſoris, nobis, devotionis & fidei ſinceritate præclareant, ipſum in Capellanum & familiarem noſtrum providimus, & duximus retinendum; volentes, & jubentes expreſſe, quod illis de cætero privilegiis, favoribus, honoribus, prærogativis, & gratiis potiatur, & gaudeat, quibus Capellani, & familiares noſtri cæteri potiuntur. In cujus rei teſtimonium præſentes litteras fieri, & pendenti ſigillo noſtro, quo utimur, juſſimus communiri. Datum Neapoli anno Domini* MCCCXLIV. *die* XII. *Januarii* XII. *Indictione*. In hiſce litteris, nedum indigitatur quanto delectu Capellani crearentur, verum etiam innuuntur plurima privilegia, pluresque prærogativæ, quibus illi fruerentur, uti ſuo loco, dicendum erit.

XIV. Verum tamen eſt, in Andegavenſium Regum Capella octo Clericos Divina Officia perſolviſſe, uti ex litteris Bonifacii VIII. ad Carolum II. apud Chioccarellum. Hunc Clericorum numerum conſtituit Joanna II. litteris datis anno 1422., Gentili de Sancto Angelo de Faſanella Magiſtro Regalis Capellæ, apud Chioccarellum, quibus ait: *Revolventes, ac intendentes, quod in noſtra Regali Capella honorifice, & decenter Divina Officia celebrentur, & quod celebratores habeant, unde victum percipiant condecentem, ſervireque propterea, & vacare poſſint in dicta noſtra Regali Capella, circa celebrationem Divinorum Officiorum prædictorum, ſcire te volumus, quod noviter deliberavimus, quod in noſtra Regali Capella retinere debeas Capellanos octo inter Cantores, & Phenoriſtas; & quod tu una cum dictis octo Capellanis habeatis pro veſtro victu uncias centum de carolenis argenti ponderis generalis per annum, videlicet tu tamquam Magiſter Reginalis Capellæ pro perſona tua uncias viginti; & quilibet dictorum octo Capellanorum uncias decem per annum*. Ad hos vero annuos proventus tot ſtatuit Beneficia juriſpatronatus Regii, quot eam ſummam conficiant. Fortaſſe Amanuenſium errore irrepſit *Phenoriſtas*, cum legendum ſit *Paraphoniſtas*. Hi autem fuere præcantatores, ſeu qui præcinebant Antiphonas, quorum mentio fit in Ordine Romano de ſchola Cantorum, & apud Monachum Sangallenſem lib. 1. c. 8. exhibentem in Capella Caroli M. Paraphoniſtam, qui cantum moderabatur. Ad rem noſtram quod attinet, numerus ille Clericorum in Capella Palatina Divina Officia perſolventium, tunc primum conſtitutus videtur, quemadmodum & certa illorum ſtipendia. Attamen longe antea, nimirum Roberto regnante, plures Capellani Clericique ſacro miniſterio in Capella Regis vacabant, & ſtipendia percipiebant. Nam conſtat ex Regeſtis Roberti Regis anni 1317. ſoluta fuiſſe ſtipendia

Palatinis Clericis: *pro gagiis & expenſis eorum, & famulorum ſuorum ad rationem de uncia una, tarenis novem, pro quolibet dictorum Capellanorum & de uncia una, tarenis ſeptem, & granis decem pro quolibet dictorum Clericorum per menſem*. Conſtat etiam ex iiſdem Regeſtis pecuniam numeratam: *Magiſtro Capellæ Regalis, Eleemoſynario Regio, & aliis Capellanis, Clericis, & dimidiis Clericis, ejuſdem Capellæ Regalis pro ſtallagio equorum eorum, ad rationem de tareno uno, & granis decem, pro quolibet eorum per menſem*. Præter hæc ſtipendia, immunes fuere Clerici Palatini ex Roberti Regis beneficio, anno 1339. ab iis ſolutionibus, quæ debebantur: *ratione juris ſigilli Regii pro quibuſque litteris propriis eorum, factis, & in antea faciendis, gratiam vel juſtitiam continentibus*. Conſtat inſuper ex Regeſtis Caroli I & II olim in Regiæ Domus tabulis adnotari conſueviſſe, *N. N. receptus fuit in Capellanum, Clericum, familiarem, & de hoſpitio Domini Regis*; & a Cancellario Regni datas fuiſſe ad hanc rem litteras: *Domino Seneſcallo & omnibus aliis Officialibus de Oſpitio Domini Regis*, ut id noſcerent univerſi. Itaque in Palatinum Clerum Regum Andegavenſium confluebant Epiſcopi, Clerici, Cœnobitæ pietate & doctrina clariſſimi; & ad inſtar Cleri Palatini Regum Francorum, præſertim Carolovingiæ ſtirpis, illorum nonullis ſumma Aulæ munera, aliis Legationes ampliſſimæ demandabantur; pluribus locus erat in Conſilio Principis, quibuſdam Regiæ prolis inſtitutio erat commiſſa, denique alii ſacris rebus celebrandis operam dabant. Non ita tamen, ut non iidem ſæpiſſime utrumque miniſterium, ſacrum profanumve exhiberent.

XV. Eodem fere modo res ſe habuit ſub Aragoniis Regibus, qui ſucceſſere. Alphonſum, ejuſque poſteros conſueviſſe in Conſilium ſuum Epiſcopos, Clericoſque acceriere, ex eo patet diſertiſſime, quod conſcripto tunc primum ſupremo Senatu S. Claræ, huic ille præfecerit Antonium Borgiam Epiſcopum Valentinum, familiarem ſuum, cujus opera in adminiſtrando imperio plurimum utebatur, quique ſub Calliſti III nomine Romanam ſedem conſcendit; & huic in illo munere alii plures ſubrogati fuere Epiſcopi, Gaſpar de Diano Neapolitanus Præſul, Arnaldus de Rogerio Patriarcha Alexandrinus, Oliverius Caraſa Cardinalis & Archiepiſcopus, Joannes de Aragonia Cardinalis & Pontifex Tarentinus. Atque hi quidem in ſupremo Aragonum Regnum Conſilio principem occuparunt locum; in quo etiam alii ſederunt Clerici, uti Michael Choſal e Monacho Ciſtercienſi Epiſcopus Iſclanus, Nicolaus de Miraballis e Conſiliario Ferdinandi I. Antiſtes Amalphitanus, Bernardus & Pirrus e Caracciolorum, gente ambo Epiſcopi Conſentini, aliique. Et Summontius in hiſtoria Neapolitana refert, morienti Alphonſo I. tres adfuiſſe Epiſcopos, ejus Conſiliarios, & teſtes ſupremæ voluntatis, Joannem Majoricenſem, Joannem Soler Barcinonenſem, & Joannem Ferdinandum electum Neapolitanum. Sed & illorum Regum Confeſſarii, atque Eleemoſynarii plerumque fuerunt ab eorumdem Conſilio. His adjungendi ſunt Cancellarii, & Scribæ, quos non ſemel e Clericorum numero adlectos, & Eccleſiis deinde Epiſcopos datos reperies, uti Bartholomæus Gattula e Secretario Alphonſi I. Archiepiſcopus Rhegienſis, tum Meſſanenſis; Andreas de Cuncto e Regio Scriba Ferdinandi I. Epiſcopus primum Minorenſis, deinde Amalphitanus; Thomas Ciprianus e Cancellario & Conſiliario Alphonſi Ducis Calabriæ

Epiſco-

Epiſcopus Marſicanus, cujus meminit Toppius in Bibliotheca Neapolitana; & Thomas Rhegalanus e ſecretis Ferdinandi II. Antiſtes Amalphitanus. Adjungendi quoque ſunt e Clericorum numero Regiæ ſobolis Præceptores. Nam Alexius Celadonius peritiſſimus Græci & Latini ſermonis, inſignis Orator, & Cardinalis Beſſarionis diſcipulus, inſtituit litteris Alphonſum, & Fridericum Ferdinandi filios, antequam Gallipolitanæ primum, deinde Melphitenſi Eccleſiæ præeſſet. Et Frater Petrus Ranzanus Ordinis Prædicatorum, vir doctiſſimus, eodem officio ſunctus eſt in Aula Ferdinandi I. tum Lucerino Epiſcopatu auctus, Legatiodem obiit in Galliam primum, deinde ad Matthiam Pannoniæ Regem, ubi librum ſcripſit de rebus Hungaricis, de quo plura habet Mongitore in Bibliotheca Sicula. Nam etiam Legationibus perſæpe Clerici ſungebantur. Ita Colantonius Valignanus Epiſcopus Teatinus Oratorem egit Alphonſi Regis apud Venetos: Antonius Fanenſis ex Ordine Minorum illius Confeſſarius, apud Martinum V. Pontificem: Bartholomæus de Michaelibus Epiſcopus Nucerinus, apud Senenſium Rempublicam: Franciſcus Bertinus Epiſcopus Caputaquenſis ad Burgundiæ Ducem; & Ludovicus Flonoblet Præſul Anglonenſis ad Romanum Pontificem, nomine Ferdinandi Regis, Legationem obiere. Quamvis ab hiſce Epiſcopis, Clericiſve Palatinis tractarentur Aulæ vel Regni officia; nil tamen vetuit, quominus iidem ſacra munia in Aula, vel Capella adminiſtrarent. Sane in ea ſolemni Liturgia Palatina, quam regnante Alphonſo II. deſcribit in ſuis Diariis Joannes Brochartus, de qua alibi dicemus, Magnus Capellanus adſtabat prope Regem Solio inſidentem, Sacris vero operabatur Matthæus de Aquino Epiſcopus Gravinenſis, familiaris Regis, ad Licienſem ſedem deinde translatus. Atque ita ſæpe contigiſſe colligitur ex eo, quod cum in ſolemni Liturgia Capellæ Palatinæ, Magnus Capellanus adeſſe debuerit prope Regem, ut ſingulas Miſſæ partes coram eo recitaret; hinc Sacrum ſaciendum ſuit ab aliquo alio Epiſcopo, vel Clerico Palatino, & quidem e dignioribus Aulæ. Qua de re pro comperto habendum eſt, Clericos Palatinos Divinis, & humanis rebus in Aula gerendis operam dediſſe. Cæterum plurimos Clericos ſacro miniſterio Capellæ ſuæ Alphonſus I. addixerat, quorum aliqui actu deſervirent, aliis vero fas eſſet ibidem deſerviendi. Ita enim in litteris datis anno 1445. quibus conſtituit Dominicum de Xachis Magiſtrum Capellæ ſuæ, apud Chioccharellum to. 2. MSS. Rex ait: *Quamplures Capellanos tam in dicta noſtra Regali Capella, quam alibi fecimus, & per noſtras litteras ſtatuimus, ut dicti Capellani ad requiſitionem dicti Magiſtri Capellæ noſtræ ſervire in eadem noſtra Regali Capella, & vacare in celebratione Miſſarum, & Divinorum Officiorum poſſint temporibus opportunis*. Ibidem exhibet Chioccarellus litteras ab eodem Alphonſo Rege datas, anno 1452. univerſis Magiſtratibus, & Prælatis, quibus declaravit, Nicolaum de Raynaldo de Cariſſio Diœceſis Vicanenſis, ſuos inter Capellanos adſcitum, omnibuſque donatum privilegiis, quibus cæteri Capellani fruebantur, etſi in Regali Capella actu non deſerviret. Et e Regiis Tabulariis conſtat, ab Alphonſo I. anno 1445. iiſdem ſormulis creatum Capellanum Joannem de Valentino Barulenſem Presbyterum; uti etiam a Ferdinando I. anno 1468. Marcum Figulum; & ab Alſonſo hujus filio hanno 1475. Leonardum Biſone Calertanæ Diœceſis, ita ut quamvis actu in Capella Regis haud miniſtrarent, omnibus tamen juribus privilegiiſque fruerentur, quibus donati

erant

erant Regum Capellani. Tandem in Capellanos Regum Aragonum doctiſſimi, & graviſſimi Clerici, aut Cœnobitæ aſſumebantur. Horum unus fuit doctrina & pietate inſignis Frater Andreas de Monopoli ex Ordine Minorum, quem Ferdinandus I. Capellanis ſuis adgregavit, die 16. Decembris, anno 1472. his litteris a Toppio relatis in Bibliotheca Neapolitana: *Illos in Capellanos noſtros, & in Regali noſtra Capella libere recipimus, numeroque, & conſortio noſtrorum Capellanorum admittimus, & adgregamus, quos clara virtus illuſtrat, moreſque, & vita integra, & opera laudanda commendant. Sane igitur attendentes animi virtutes, mores, & integram vitam, ac laudanda opera Venerabilis viri fidelis noſtri dilecti fratris Andreæ de Civitate Monopolis Ordinis Minorum, in aliquid teſtimonium ſuarum virtutum, & gratitudinis noſtræ erga illum, tenore præſentium de certa noſtra ſcientia, motuque proprio, conſulto, & deliberate, eumdem fratrem Andream Capellanum, & de noſtra Regali Capella creamus, conſtituimus, & ordinamus.* Ex his vero conjicias, quam ſpectatiſſimis viris dignitas Capellani Regii deſerreretur. Eadem quoque dignitate apud Joannam Aragoniam Reginam, Ferdinandi I. conjugem, claruit Frater Antonius Bonitus de Chuccaro, Franciſcanus magnæ doctrinæ, ut ejus libri, quos Toppius recenſet, teſtantur, deinde Epiſcopus Montis-Marani. Huic adjungendus eſt Benedictus Micheli de Laureto, rerum Theologicarum peritiſſimus, qui a ſacris Confeſſionibus fuit Ferdinandi I. Regis. Cum itaque tam clariſſimis viris Clerus Palatinus abundaret, inde conſentaneum fuit, ut optimi Epiſcopi præficerentur Eccleſiis. Atque in hoc numero, præter eos, quos jam memoravimus, & qui recenſendi ſunt, cum de Confeſſariis, & Eleemoſynariis Regum agemus, fuere Antonius Jacconia e Capellano Ferdinandi I. Epiſcopus Puteolanus, & Quirinus Longus e Capellano Regio Epiſcopus Lavellenſis, aliique.

XVI. Progredimur ad Auſtriacos Hiſpaniæ Reges, qui a ſæculi decimi ſexti initiis, uſque ad hujus ſæculi exordia, Proregibus illorum vices agentibus, Neapolitanum imperium tenuerunt. Jam vero cum nulli eſſent in hac Aula Reges, nulli quoque fuere Palatini Clerici, qui Aulæ, & Regni muneribus implicarentur. At Clero Capellæ Palatinæ ſervata eſt dignitas, & auctoritas. Namque primo ex eo cœtu Epiſcopi plurimi educebantur, uti Jacobus Conchilles ex Epiſcopo Hieracenſi, Antiſtes Catanenſis; Carolus Catalanus Epiſcopus Cotronienſis; Joannes Jacobus Macedonius Epiſcopus Monopolitanus; Achilles Brancia Epiſcopus Bovenſis; Scipio Salernitanus Præſul Acerrarum; Petrus Antonius de Capua Archiepiſcopus Hydruntinus; aliique plurimi ad noſtra uſque tempora, qui in Italia ſacra Ughelli cum additionibus Coleti occurrunt legenti. Tum nobiles doctique viri in eum cœtum coptabantur. Nam Decius Caracciolus a Toppio laudatus in Bibliotheca Neapolitana, fuit Capellanus Regius ſub Philippo II. in cujus obitu orationem habuit funebrem, typis editam. Idem Toppius memorat alium Capellanum Regium, ex iis, qui Honorarii dicti ſunt, Dominicum Diez Averſanum, Protonotarium Apoſtolicum, & cauſarum Patronum in foro Archiepiſcopali, Juris peritiſſimum, auctoremque libri, cui titulus: *Embamma legale variorum thematum practicabilium, cum breviſſima inſpectione in ordine judiciali, & praxi civili, ſicut in foris Parthenopeis obſervatur.* Carolus Maranta Venuſinus, Theologhus & Juriſconſultus doctiſſimus, ut conſtat ex pluribus

ſibus libris ab eo editis, *Controverſiarum Juris utriuſque Reſponſionum in Foro cauſarum Eccleſiaſtico præſertim diſcuſſarum, & ad pias cauſas*, fuerat ex Capellanis Honorariis Aulæ Neapolitanæ, antequam Juvenacenſi Sacerdotio donaretur. Et noſtris hiſce temporibus ex eodem Capellanorum cœtu prodiit vir ampliſſimus dignitate & doctrina Vincentius Petra Patritius Neapolitanus, qui ob eximia erga Romanam Apoſtolicam Sedem merita, & erga rem litterariam, editis Commentariis in Conſtitutiones Pontificias, a Benedicto XIII. Pontifice Max. in Cardinalium Ordinem adſcitus, diu multumque meruit de Apoſtolica ſede, & octogenario major e vivis ſublatus eſt anno 1747. cum Epiſcopatum regeret Præneſtinum, & Summus eſſet Eccleſiæ Pœnitentiarius.

XVII. Quod vero ſpectat diſtinctionem, numerumque Capellanorum Aulæ Neapolitanæ, alii dicuntur Capellani de Honore, alii Capellani Ordinarii. Capellani Honorarii, numero viginti quatuor, nulla percipiunt ſtipendia, nec quotidianum miniſterium in Aula præſtant, communia tamen habent jura & privilegia cum ceteris Clericis Capellæ Regiæ. Iidem ſunt Protonotarii Apoſtolici, & in magnis ſolemnibus induti Rocchetto, & Mantelletta adeſſe debent Liturgiæ Palatinæ, ſedent in ſcamno ſine fulcro dorſuali, & miniſtrant Magno Capellano rem Divinam facienti. Qua de re non ex illorum numero habendi ſunt, qui nudo honoris & dignitatis titulo perfruuntur, cum re ipſa ſtatis feſtis diebus, ſacro Palatino miniſterio intereſſe debeant. Creantur a Principe, datis litteris *in forma Regiæ Cancellariæ*, atque collatæ dignitatis poſſeſſionem ineunt in Capella Palatina, præſentibus Sacriſta Majore, & cœremoniarum Præfectis, tum rem geſtam conſcribente Magni Capellani Tabellione, vulgo actorum Magiſtro. Capellani Ordinarii, numero octo, ſacris rebus in Aula peragendis quotidie operam præſtant, ſiquidem ſingulis diebus Sacrum faciunt in Oratorio privato Regis, tum in omnibus ſacris functionibus Capellæ Palatinæ, induti Superpelliceis ſine manicis inſerviunt ſacro miniſterio, Regis itinera ſequuntur, quo tempore, præter conſueta ſtipendia, donantur ſymbola, uti cæteri familiares Regis, quæ dicitur *menſiglia*. Cum aliquis a Rege in hunc cœtum aſſumitur, is, qui eſt a ſummis imperii negotiis, dat Magno Capellano litteras, quibus eum hujus rei conſcium facit; aliiſque litteris idipſum ſignificat illis Regii ærarii Officialibus, a quibus ſtipendia perſolvuntur. Abſente Magno Capellano, ſacris operatur in Palatina Capella, vel ſenior e Capellanis Honorariis, vel Major Sacriſta, vel aliquis e Capellanis Ordinariis, iſque etiam adſpergit Regem aqua benedicta, eidemque exhibet Evangeliorum librum, & oſculum pacis. Præter Capellanos hoſce, addicti ſunt obſequio Capellæ Palatinæ Major Sacriſta, duo cœremoniarum Præfecti, nonnulli Clerici, & Scholares, Muſici, & Pſaltrii quamplures ad rem Divinam modis muſicis faciendam. Scholarium Capellæ Regiæ extat mentio ab Aragonum Regum ætate: ſiquidem in Alphonſi Regis litteris ad Epiſcopum Acernenſem anno 1443. memoratur Janniccus de Campania Diaconus, & ſcholaris Regiæ Capellæ; & in litteris Friderici Regis anno 1498. ad Epiſcopum Calvenſem Matthæus Gallus ejuſdem Capellæ Scholaris nominatur. Eo donabantur nomine Clerici, qui operam dabant Scholæ Cantorum, quam Gregorius M. inſtituerat, quamque Pipinus & Carolus M. in Capellam Palatinam, & in Galliam, Germaniamque invexerant. Unde Ledradus Archiepiſco-

Digitized by Google

ſcopus Lugdunenſis ſcribebat Carolo M. conſtitutas a ſe in Lugdunenſi Eccleſia Scholas Cantorum, & pſallendi ordinem *juxta ritum Sacri Palatii*. Ad inſtar itaque Capellæ Caroli Magni, Neapolitani Reges Capellam Palatinam inſtructam voluere Schola Cantorum.

XVIII. Inter Clericos Palatinos magno ſunt in loco Confeſſarii Regum, qui olim ab Epiſcopis dabantur, deinde a Romanis Pontificibus, facta Regibus poteſtate adſciſcendi ſibi quemcumque vellent Confeſſarium, cujus rei plurima exempla affert Thomaſſinus part. 1. lib. 2. cap. 102. nu. 8. & alibi. Illorum antiquior mentio occurrit in vita Ansberti Epiſcopi Rotomagenſis ſub Theodorico Francorum Rege, cujus dicitur Confeſſor, Cancellarius, & Cuſtos Regii ſigilli. Et Baronius ad annum 631. laudat Vironem Epiſcopum Scotum, quem Pipinus ſenior ſibi eſſe voluit a Confeſſionibus, & quocum graviora negotia communicabat. Verum enimvero nonniſi ſub tertia Regum Francorum ſtirpe præclariſſimum fuit in Aula Confeſſarii munus, cui domicilium erat in ipſo Palatio, quique ſacramenta fidelitatis Regi debita excipiebat, & Regem monebat de conferendis Beneficiis, deque ſubſignandis litteris Pontificiis circa collationem Beneficiorum, quæ proinde ſignabantur *ad relationem Confeſſoris ex parte Domini Regis*. Tradit Peiratius lib. 1. cap. 54. & 55. a Philippo Auguſto uſque ad Carolum VIII. Confeſſarium Regis præfuiſſe Oratorio Regio, digniorem præ Eleemoſynario obtinuiſſe locum, ampliſſima auctoritate a Romanis Pontificibus inſtructum fuiſſe, ut plurimum ex inſigni Prædicatorum Ordine eligi conſueviſſe, ſæpe etiam Epiſcopali, vel Cardinalitia dignitate effulſiſſe. Et Thomaſſinus loco citato auctor eſt, Galliarum Regibus uſque ad annum 1385. Confeſſarios fuiſſe e Dominicanis: at cum Joannes de Monteſonio ejuſdem Ordinis, quædam de Conceptione Deiparæ vulgaſſet, quæ cenſura confixa ſunt, quæque etiam Confeſſarius Regis ex eodem Ordine Epiſcopus Ebroicenſis retractare juſſus eſt, eo ſummoto ab audiendis Regis Confeſſionibus, nulli deinde ex eo Ordine ad id muneris adſciti ſunt. In Aula Hiſpana olim Capellanus idem erat, ac Regis Confeſſarius: deinde cum Henricus Caſtellæ Rex Dominicana veſte indui ſe juſſerit, & ita tumulo inferri, ut narrat Mariana ad annum 1379. invaluit mos accerſendi ex eo ampliſſimo Ordine Regum Confeſſarios. Pariter in Anglia, uti colligitur ex Walſinghano in Chronicis, Confeſſarii Regum plerumque e Dominicianis ſeligebantur, & in hoc numero fuere Joannes de Berlington Confeſſarius Henrici III., & Thomas Rushok Richardi II. Regis. Quod Aulam ſpectat noſtrorum Regum, horum Confeſſarii, vel ex Franciſcana Familia, vel ex Dominicanorum Ordine aſſumebantur, iidemque ſæpe Epiſcopali fulgebant dignitate, ſæpe etiam in Conſilio Principis adſcripti erant, & non ſemel eorum Legationibus ſungebantur. Andegavenſes Principes, præſertim Robertus & Sancia conjux, Franciſcanos ut plurimum a Confeſſionibus habuere, quorum Ordini erant addictiſſimi, ita ut Sancia in quadam epiſtola ad Michaelem Cæſenatem ſupremum Ordinis Moderatorem, relata a Wadingo, teſtata ſit: *Anima noſtra magis eſt in ipſo Ordine, quem amat juſtiſſime, quam in noſtro corpore, quod animat, & informat*. Hinc in eorum Aula, plurimi ex eo Ordine ampliſſimo verſabantur, de qua re Wadingus ad annum 1343. *plurimum uſi ſunt etiam Minorum opera tum in Conſiliis, tum in conſcientiis dirigendis Reges Neapolitani. Invenio enim circa hæc tempora plerosque ex eis in Aulam adſcitos:*
Fr.

Fr. Franciſcum Epiſcopum Gajetanum , prius Caroli Ducis Calabriæ Confeſſarium : Fr. Hugonem Sueſſanum Epiſcopum, eidem Regi a Confeſſionib[illegible] F. Guillelmum Scalenſem Epiſcopum , Reginæ Granciæ a ſacris a[illegible] conſcientiæ: Fr. Guillelmum Epiſcopum Puteolanum, Reginæ Jo[illegible] ejus nominis primæ Confeſſarium, vivente adhuc avo Roberto: F[illegible]atthæum Teleſinum Epiſcopum, Confeſſarium & Conſiliarium eju[illegible] Reginæ , & ante aſſumptionem ad Epiſcopatum Regii Sacelli Ma[illegible]um : Fr. Andream de Valle Regia , & Fr. Petrum de Aquila ejuſdem Reginæ Capellanos , familiares , & fideles . Et ſæpe Magiſtri Regalis Capellæ, erant & Regum Confeſſarii, de qua re alibi. Fuit etiam a Confeſſionibus Granciæ Reginæ, Philippus ab Aqueriis Franciſcanus, cujus conſilio piiſſima Regina inſigne conſtruxit Monaſterium S. Mariæ Magdalenæ ad excipiendas mulieres ad meliorem frugem redeuntes. De qua re Wadingus idem ad an. 1324. *Inchoatum hoc anno inſigne Monaſterium S. M. Magdalenæ , haud longe a Caſtro Capuano, per Granciam Reginam, pro recipiendis & alendis mulierculis proſtitutis , a peccato reſipiſcentibus . Harum lucrandarum tantus fuit piiſſimæ Reginæ zelus, ut ſimul cum ſuo Confeſſario Philippo ab Aqueriis, illarum domos penetraret, verbis, lacrymis, & muneribus ad meliorem vitam alliceret, atque ad ſacrum a ſe præparatum aſylum invitaret*. Egregiam ſane Reginæ pietatem , & memoratu dignam! Hiſce Regum Confeſſariis a Wadingo laudatis addendi ſunt , Joannes Epiſcopus Monopolitanus , & Joannes Epiſcopus Gravinenſis , uterque Franciſcanus , uterque a Confeſſionibus Joannæ I. Fr. Matthæus de Capua , ejuſdem Inſtituti , Antiſtes Surrentinus , Confeſſarius Caroli Ducis Calabriæ , filii Roberti , & cuſtos ſupremæ illius voluntatis : Fr. Petrus Epiſcopus Rapollanus a Confeſſionibus Roberti Calabriæ Ducis: Fr. Dominicus Joannes, Confeſſarius Ladiſlai Regis, & Epiſcopus Gajetanus, Legatus Regis ad Gregorium Papam: Joannes a Turre, Confeſſarius Joannæ II. cujus meminit Wadingus ad annum 1487. Aragoniis vero Regibus Confeſſarii fuere plerumque ex Dominicanorum Ordine. Ita Fr. Philippus Gambacurta fuit ab Alphonſi I. Confeſſionibus, tum anno 1422. Eccleſiæ Cephaludenſis Adminiſtrator, uti narrat Pirrus. Nicolaus de Terranova ex eodem Ordine , vir doctiſſimus , de quo plura habet Mongitore in Bibliotheca Sicula , eodem munere functus eſt apud Alphonſum Regem : uti etiam Bernardus Maja , Concionator eximius , cujus ibidem meminit Mongitore . Et Pius in libro de vir. illuſtr. Ordin. Prædic. laudat Bernardum de Michaelem Hiſpanum , Epiſcopum Ucellenſem , Conſiliarium Alphonſi Regis, & Confeſſarium Ducis Calabriæ. Ferdinandus I. Alphonſi filius habuit a ſacris Confeſſionibus, & a Conſilio Henricum Lungardum ex eodem Ordine, Policaſtrenſem Præſulem, tum Acheruntinum: & Fr. Petrum ejuſdem Inſtituti , Epiſcopum Montis-Viridis, quos memorat Ughellius. A Mongitore memoratur etiam Salvus Caſetta & ipſe Dominicanus, eodem munere functus apud Ferdinandum Regem. Antonius Ponticorona Dominicanus Confeſſarium egit Ferdinandi I. Quæſitorem Fidei in Sicilia, Oratorem Alphonſi Regis ad Concilium Conſtantienſe, Epiſcopum Cephaludenſem, deinde Agrigentinum, uti Pirrus teſtatur. Qui idem in Epiſcopis Catanenſibus recenſet Bernardum Margarit Benedictinum, e Confeſſario Ferdinandi Regis, Epiſcopum Catanenſem . Denique in Diariis manuſcriptis Joannis Brocharti nominatur Joannes Franciſcus de Mirabellis Monachus Olivetanus, Confeſſarius

 Al-

Alphonſi II. Regis , qui in coronationis Regiæ cœremonia adſtabat prope Regem . Rex Carolus Borbonius habuit a ſacris Confeſſionibus Joſephum Boulagnos e Franciſcana familia Epiſcopum [illegible]ſibenſem : Maria Amalia Regina conjux, Joannem Hildebrand e [illegible]tate Jeſus: & ex eàdem Societate Joſeph Barba egit Inſtitutore[illegible]giæ prolis. Carolo Rege ad Hiſpaniæ imperium tranſvecto , Be[illegible]ctus Latilla e Canonicis Lateranenſibus Abellinenſis Epiſcopus da[illegible]s eſt Confeſſarius, ac Inſtitutor Ferdinando iv. Regi Clementiſſimo: illique vita functo, ſucceſſit Confeſſarii loco Clariſſimus Præſul Philippus Sanſeverino, olim Neapolitani Archiepiſcopi generalis Vicarius, & Aliphanus Antiſtes, nunc Archiepiſcopus Nicenus . At apud Reginam Clementiſſimam Mariam Carolinam, Antonius Gurtler, Viennenſis Eccleſiæ Canonicus, Præſul ornatiſſimus, hoc munere fungitur.

XIX. Spectant etiam ad Clerum Palatinum Eleemoſynarii Regum, quos memorat Carolus Calvus in ſuis Capitularibus, eis commendans, ut poſt obitum ſuum erogent in pauperes, quod ipſe præceperat : *Si nos in Dei, Sanctorumque ipſius ſervitio, mors præoccupaverit, Eleemoſynarii noſtri, ſecundum quod illis commendatum habemus , de eleemoſyna noſtra decernent*. Obſervat tamen Thomaſſinus p. 1. lib. 2. cap. 111. ex iiſdem Capitularibus colligi, Epiſcoporum quoque , & Abbatum , Comitum , & Nobilium proprios fuiſſe Eleemoſinarios , atque hoſce nonniſi Teſtamentarios executores fuiſſe . Sane ſub ſecunda Regum Francorum ſtirpe, nullus legitur in Aula addictus præcipue huic officio ſtipis erogandæ ; quamvis Carolus Magnus , teſte Eghinardo , *circa pauperes ſuſtentandos , & gratuitam liberalitatem , quam Græci eleemoſynam vocant, devotiſſimus erat, ut qui non in patria ſua ſolum, & in ſuo Regno, eam facere curaverit, verum trans maria in Syriam & Ægyptum, atque Africam, Hieroſolymas, Alexandriam , atque Carthaginem, ubi Chriſtianos in paupertate vivere compererat* . Et Ludovicus Pius, teſte Thegano, *quotidie ante cibum, eleemoſynarum largitionem exhibuit, & ubicumque erat, Xenodochia ſecum habebat*. Atque adeo rebus pauperum adjuvandis Reges ſtudebant, ut ipſi, vel eorum Miniſtri diem indixerint tribuendæ audientiæ viduis , orphanis , cæteriſque indigentibus . Hinc hujuſmodi Audientia dicebatur , *Eleemoſyna Regis* , cujus mentio fit in Concilio Vernenſi ſub Pipino anno 756. cap. 6. ubi ſtatutum eſt , ut Epiſcopi opem ferant Monaſteriis recurrendo ad Regem , *ut in ſua Eleemoſyna hoc emendare faciat* . Ubi etiam ſancitum fuit, *ut Comites, vel Judices ad eorum placita, primo viduarum, orphanorum, vel Eccleſiarum cauſas audiant , & definiant in Eleemoſyna Domini Regis , & poſtea alias cauſas cum juſtitia judicent* . Et Patres Concilii Remenſis anno 813. cap. 42. decreverunt exorandum Imperatorem , *ut in ſua Eleemoſyna firmiter ſtatuat , ne quilibet in ſuum pergentibus ſervitium, ullatenus prohibere audeat manſionem , neque aliis , quibus neceſſitas incumbit* . Nonniſi tamen ſub tertia Regum Francorum ſtirpe prodiit in Aula ſtipis Diſtributor, ſeu Eleemoſynarius , circa Ludovici VII. tempora , cujus muneris fuit, nedum Regis eleemoſynas erogare, ſed & Regi in Capella miniſtrare, atque menſæ Regiæ benedictionem impertiri . Tradit Peiratius lib. 1. cap. 58. uſque ad Caroli VIII. imperium, Eleemoſynarium nec fuiſſe primum Aulæ Capellanum, nec Regis Confeſſarium dignitate ſuperaſſe, neque ſemper Presbyteratu initiatum fuiſſe, illique ſubditum fuiſſe Clericum, qui Sub-eleemoſynarius , vel Clericus Eleemoſynæ dice-

ba-

batur. Attamen Eleemoſynarii munus magno in honore fuit, ut colligitur ex monumentis a Tilletio relatis, tandemque ſub Carolo VIII. eam accepit dignitatis amplitudinem, qua nunc temporis effulget. In Hiſpania Major Capellanus, eſt idem Regis Magnus Eleemoſynarius, ut teſtis eſt Turturetus. Reges Angliæ, Luſitaniæ, Sardiniæ habent itidem ſuos in Aula Eleemoſynarios, uti jam diximus. Fuere & Siciliæ Regibus Eleemoſynarii; plerumque iidem ac Magni Capellani. Nam Pirrus in notitia Eccleſiarum Siculienſum teſtis eſt, Nicolaum de Papalla Franciſcanum egiſſe Eleemoſynarium, & Capellanum Friderici III., & Confeſſarium, ac Magiſtrum Capellanum Mariæ Friderici III. filiæ, tum Epiſcopatum iniviſſe Melitenſem: Fr. Joannem Pino Franciſcanum, & Philippum Ferrario Carmelitam, utrumque Eleemoſynarium & Magiſtrum Capellanum Martini Regis, utrumque Epiſcopum Agrigentinum. Idem Pirrus memorat Bernardum de Figuera a ſacris eleemoſynis Martini Regis, Cantorem Capellæ Palatinæ, tum Epiſcopum Pactenſem: Franciſcum de Velletta Eleemoſynarium, & Capellanum ejuſdem Regis, & Archidiaconum Agrigentinum: Andream quoque de Argento, ejuſdem Eccleſiæ Archidiaconum, eodemque perfunctum munere apud Regem Martinum. Quidni Neapolitani Reges Andegavenſes & Aragonii, quorum in extruendis ditandiſque Eccleſiis ac Monaſteriis, in rebus pauperum & viduarum adjuvandis, eximia fuit munificentia, præſertim vero Roberti & Sanciæ conjugis, habuiſſent in Aula religioſiſſimos Clericos ad id muneris deſignatos? Imo eorum Aulam, uti de Regibus Francorum Carolovingiæ ſtirpis dictum fuit, audiendis, ſublevandiſque miſerabilium perſonarum rebus patuiſſe, teſtantur noſtrarum rerum Scriptores. Ad hanc rem Carolus Dux Calabriæ, Roberti Regis filius, Vicariuſque, memoriæ numquam interituræ, ne ullis hominum intercluderetur ad Principem aditus, ſonitu tintinnabuli ad Palatii fores appoſiti, præſto erat cuique petenti. Habuere itaque Neapolitani Principes, qui elargiendæ ſtipi incumberent, & ſæpe e Cœnobitarum numero. In quodam Inſtrumento a Wadingo relato, quo Sancia Roberti Regis conjux, Clariſſarum Inſtituto nomen datura, plura ſtatuit anno 1344. circa ſuorum bonorum diſtributionem, ſubſcribit: *Petrus Eleemoſynarius Reginalis, & Magiſter Capellæ*. Toppius in Bibliotheca Neapolitana laudat Joannem Marinum Varanum Aprutinum Magnum Eleemoſynarium Ferdinandi I. Regis: & Petrum Hoſpitalarium Eleemoſynarium Caroli I. ejuſque Legatum ad Venetos, ut Balduino Imperatori Orientis opem ferrent, & ad Regem Hungariæ pro conciliandis nuptiis inter Carolum II. filium, & Mariam illius filiam. In Annalibus Fratrum Minorum, & in Italia ſacra Ughelli occurrit Antonius Bonitus a Caccharo Franciſcanus, Eleemoſynarius Alphonſi, & Ferdinandi I. tum Epiſcopus Montis-Marani, deinde Acernenſis. Wadingus etiam in Ann. Min. ad annum 1487. laudat Fr. Michaelem de Neapoli, Eleemoſynarium Ducis Calabriæ, ejuſque comitem individuum. In Diariis manuſcriptis Joannis Brocharti adeſt prope Alphonſum II. Regem coronandum, Fr. Michael de Neapoli ejus Eleemoſynarius, una cum Confeſſario, & Magno Capellano. Tandem in quodam marmore Eccleſiæ S. Joannis Majoris relato ab Engenio legitur: *Franciſcus Ciminius hujus ſacræ Ædis Rector, Protonotarius Apoſtolicus, Federici Aragonii Regis Eleemoſynarius*. Cui prædeceſſorum Regum exemplo adhærens Carolus Borbonius omnium antehac

Prin-

Principum Clementiſſimus, habuit in Aula Magnum Eleemoſynarium, Joſephum Beza de Caſtromonte Hiſpanum, ſummo loco natum, virumque ornatiſſimum, olim Regis Oratorem ad Venetos, & inter Socios Regalis Ordinis S. Januarii adſcriptum.

XX. Tandem de Concionatoribus Aulicis dicendum eſt, quod hi quoque referantur in Clerum Palatinum. Cenſet Peiratius lib. 1. de Orat. Reg. Galliæ ex antiquiſſimo more Reges Francorum concionibus interfuiſſe. Nam Childebertum I. frequenter conciones audiviſſe S. Germani Pariſienſis Epiſcopi, colligitur ex quadam illius Charta data in favorem Pariſienſis Eccleſiæ, ubi ait: *Domnus & Pater noſter Germanus Pariſiacæ Urbis Epiſcopus, nobis innotuit prædicatione ſua, quia dum in hoc ſæculo habitamus, ſemper de futuro cogitare debemus, & admonuit nos, ut ſanctarum Eccleſiarum memoriam haberemus, & ſemper bonis illarum potiora adderemus, ut in augmentum nobis proficeret, admonens etiam eleemoſynarum largitionem non omittere, ut conſuetudo illius erat.* Præſertim vero audiendis crebris concionibus S. Ludovicus addictus erat, quas alte animo infigebat, ita ut non ſemel eaſdem repeteret, quemadmodum ſcribit Gauffridus de Bello-loco in illius vita. Hinc in navi ipſa, qua e Paleſtina in Galliam redux vehebatur, ter ſingulis hebdomadis conciones haberi juſſit. Hinc etiam inter ea, quorum monuit filium Regnique hæredem, illud addidit, teſte Gaguino: *Sermones, qui ſiunt de Deo, publice & privatim audias.* Succeſſoribus itidem Regibus eumdem morem fuiſſe colligitur ex Bullis Romanorum Pontificum a Tilletio relatis. Nam Nicolaus IV. in gratiam Philippi Pulchri Regis conceſſit, ut qui cum Rege audiendis concionibus adeſſent, centum dierum Indulgentias conſequerentur. Et Clemens VII. anno uno Indulgentiarum eos donavit, qui conciones audiviſſent, quæ præſentibus Carolo VII. vel ejus conjuge haberentur. Carolus IX. & Henricus III. habuere a ſacris concionibus Arnaldum Sorbinum, deinde Epiſcopum Nivernenſem. Gaſpar Dinetius e Minorum Ordine, & Nicolaus Coeffetau e Dominicana Familia, eodem munere functi ſunt apud Henricum IV. Galliæ Regem. Exinde Capella Regis Galliæ habuit octo Concionatores ſtipendia percipientes, & ad Magnum Eleemoſynarium ſpectat Regi exhibere nomina illorum, qui ad hoc munus ſunt accerſendi. In Hiſpania Concionatores Regii recenſentur inter Clericos Palatinos, uti teſtatur Turturetus cap. 4. *In primis etiam ſacræ hujus ſodalitatis Palatinæ pars cenſentur Regii Concionatores, qui ſedendi jus habent in ſcamno Capellanorum. Atque omnium fere Religioſorum Ordinum lumina agunt in Sacello Aulæ Hiſpanæ Chriſtianos vere & egregios Oratores.* Addit ibidem, Capellanos & Concionatores Regios in eadem dignitate eſſe, atque adeo in eodem ſcamno ſedere, & alternis ſe mutuo ſuccedere, eumdemque ordinem in ſupplicationibus ſervari. Quod Aulam noſtrorum Regum ſpectat, fuere olim jam ab Aragonum Regum ætate Concionatores Aulici. Nam Placidus Campulus Meſſanenſis, Ordinis S. Benedicti, eo munere functus videtur apud Alphonſum Regem. De eo ſcribit Mongitore in Bibliotheca Sicula: *Ob eximiam prudentiam, doctrinam, eruditionem, ac virtutum omnium ſplendorem Alphonſo Regi gratiſſimus fuit: eoque præſente nonnullos dixit e ſuggeſtu ſermones.* Idem Mongitore in additionibus ad Bibliothecam Siculam laudat Bernardum Maja Ordinis Prædicatorum, Theologum doctiſſimum, & Alphonſi Regis Confeſſarium, atque Oratorem, tandemque Epiſcopum Dolen-

len-

Digitized by Google

lenſem in Gallia. Fr. Simon de Leontino ex eodem Prædicatorum Ordine fuit a Confeſſionibus & a concionibus Friderici III. Siciliæ Regis, ut idem ſcribit Mongitore. Cæterum cum Andegavenſibus & Aragoniis Regibus tot adhæſerint in Aula Cænobitæ doctiſſimi, veriſimile eſt, eorumdem opera ſæpe Reges uſos eſſe ad conciones habendas. Sereniſſimus Rex Carolus Borbonius ſibi ad id munus exercendum in Capella ſua Palatina adſcivit Fr. Philippum Jacobum Gatti Auguſtinianæ Familiæ, doctum virum, & Theologiæ Profeſſorem in Neapolitano Gymnaſio. Cui e vivis ſublato ſucceſſit in eodem munere Concionatoris Aulici P. D. Dominicus Andreas Cavalcante Teatinus, eximius Concionator, quique in præcipuis Italiæ Urbibus, ſummo cum plauſu conciones habuit. Is anno 1769. Archiepiſcopus Tranenſis obiit ſupremum diem. Tum ex inſignioribus Concionatoribus, iis præſertim, qui Quadrageſimæ tempore hoc ſacro munere funguntur, Rex conſuevit alicui concionandi in Aula officium demandare; idque muneris in Carmelitarum Eccleſia Caſertana modo expletur, quia magnificentiſſimæ Caſertanæ Ædes Regiæ, ubi inſignis extructa eſt Palatina Eccleſia, nondum abſolutæ ſunt. Neque omittendum, in Aula noſtrorum Principum, *Exercitia ſpiritualia* per dies decem, ſingulis annis, Quadrageſimæ tempore, religioſiſſime agi.

CA-

CAPUT III.

DE MAGNO CAPELLANO.

De Protopapa Palatii Imperatorum Orientis. II. *De Archicapellano Imperatorum Occidentis.* III. *De Abbate Oratorii Palatini Regum Francorum primæ ſtirpis.* IV. *De Archicapellano Regum Francorum ſecundæ ſtirpis.* V. *Archicapellanus Epiſcopos præcedebat.* VI. *Quodnam fuerit ejus miniſterium.* VII. *De Magno Eleemoſynario Franciæ, ſub Regibus tertiæ ſtirpis.* VIII. *Quænam ſint ejus munia in Aula Regum Galliæ.* IX. *Et quænam ejus partes in ſacro miniſterio.* X. *De Magno Eleemoſynario Reginæ.* XI. *De Magno Capellano Regum Hiſpaniæ.* XII. *Et Regum Luſitaniæ.* XIII. *Et aliorum Principum.* XIV. *De Magno Eleemoſynario Regum Sardiniæ Ducumque Sabaudiæ.* XV. *Magnus Capellanus Aulicus debet ex Epiſcoporum Ordine eſſe.* XVI. *Poteſt etiam Cardinalatus honore frui.* XVII. *De Magno Capellano ſub Normannis Siciliæ Regibus.* XVIII. *Et quodnam fuerit ejus officium.* XIX. *De eodem, regnantibus Suevis.* XX. *Et Aragoniis.* XXI. *Deque ejus tunc temporis miniſterio.* XXII. *De eodem, imperantibus Auſtriacis.* XXIII. *De Magiſtro Regalis Capellæ ſub Andegavenſibus Neapolitanis Regibus.* XXIV. *Quæ fuerint illius munia.* XXV. *De Capellano Majori, regnantibus Aragoniis.* XXVI. *Is ex Epiſcoporum numero erat.* XXVII. *De Capellano Majori ſub Auſtriacæ gentis imperio.* XXVIII. *De variis hujuſce dignitatis titulis.*

POſtquam de Capellis, Clericiſque Palatinis egimus, ipſo rerum ordine ad illum ducimur, qui cæteris omnibus imminet, quique ſacrum miniſterium in Aula moderatur, Magnum ſcilicet Capellanum. In Aula Imperatorum Orientis, præerat Clero Imperatorio Protopapas Palatii, ſeu primus Palatii Presbyter, cujus meminit Codinus in libro de Officiis Eccleſiæ, & Aulæ Conſtantinopolitanæ. Ibi etiam memorat Magnum & Minorem Sacellarium: is tamen non a Sacello, ſeu Oratorio Principis ita dicebatur, ſed a ſacculo, quod eſſet ærario præfectus, ut notat Gretſerus in commentariis ad Codinum. Quo ſenſu apud Latinos quoque vox Sacellarii uſurpata fuit: ſiquidem Gregorius M. lib. 4. ep. 34. ſe nominat Sacellarium Romanum, hoc eſt Theſaurarium, quod ſacello pecuniarum præeſſet. Attamen apud Græcos Magnus Sacellarius præter ærarii curam alia obivit munera: etenim, ut ipſe ſcribit Codinus, illi incumbebat cura Monaſteriorum omnium, tam virorum, quam mulierum. Non is itaque fuit Cleri Imperatorii primus; ſed neque Protopſaltes Palatii, ſeu primus Cantorum, quem Codinus dicit Exarchum Cleri Imperatorii, uti Domeſticum dicit Exarchum Cleri Imperatricis; & hinc nonnulli

li putarunt Protopſaltem omnibus Clericis Aulicis præfuiſſe. At Exarchus idem erat ac Locumtenens, quare Exarchi dicti ſunt, qui ab Imperatoribus Conſtantinopolitanis Ravennam mittebantur, ut vice ſua Italiam adminiſtrarent. Præerat igitur Clero Imperatorio Protopapas Palatii, cujus munus fuit, benedicere menſam Imperatoris, eumdem ſingulis menſibus inungere oleo ſanctificato; abſente Patriarcha, conſecrationem aquæ peragere in die Epiphaniæ; Evangelium legere in lotione pedum, & ad ejus lectionem tradere Imperatori lampadem, uti tradit Codinus. Verum in magnis ſolemnibus, non is, ſed Patriarcha. vel e Patriarcharum numero aliquis, coram Imperatore Sacris operabatur; & ſi Patriarcha abeſſet, ejus vices Protopapas implebat. Conſtat inſuper ex Cedreno, Protopapam Palatii veniſſe quandoque ad exercitum cum venerandæ Crucis ligno, quod in Oratorio Palatino aſſervabatur, ut juramento milites omnes adſtringeret ad Religionem, ad Imperium ſanguinis impendio defenſandum. Idem Cedrenus narrat Patriarcham Polyeuctum remiſiſſe aliquid de eo zelo, quo communionem ſuam interdixerat Nicephoro Imperatori, quod commatrem ſuam ſpiritualem duxiſſet, poſtquam juravit, peiravitque Stylianus Protopapas Palatii, nihil umquam affinitatis inter Imperatorem, & Imperatricem interceſſiſſe. Cæterum præter ſacrum miniſterium, non conſtat aliquod Aulæ, vel Regni officium Protopapæ Palatii addictum fuiſſe.

II. Non ita tamen in Aula Imperatorum Occidentis e Caroli M. ſtirpe, ubi diu viguit Archicapellani munus; & is idem erat Archicancellarius Imperii, ideoque vetera omnia Imperatorum diplomata ab Archicapellano ſubſcripta leguntur. Translato deinde a Francis ad Germanos Imperio, perduravit adhuc Archicapellani Imperatorii dignitas, tandemque hoc donati fuerunt titulo Abbates Fuldenſes: eoque nomine, anno 1184. in die Pentecoſtes, in Eccleſia Muguntina, quum Fridericus I. Imperator creavit Equitem, & Regem Henricum I. filium, noluit Abbas Fuldenſis Archiepiſcopo Colonienſi primas concedere, quod nempe perpetuo jure eſſet Summus Capellanus Imperatoris, uti narrat Munſterus in Coſmographia agens de Eccleſia Moguntina. Invaluit deinde, ut Romani Pontificis apud Cæſarem Orator in Imperiali Aula moderaretur, & adminiſtraret ſacra; qui mores nunc temporis obtinent.

III. In Aula Regum Francorum a Clodovæi tempore ſemper Epiſcopum aliquem, ſub Aprocriſiarii nomine obiiſſe munus Magni Capellani, ſcribit Adelardus in libro de ordine Palatii, cujus libri fragmenta quædam ad nos tranſmiſit Hincmarus in epiſtola tertia ad Epiſcopos Franciæ. Cum enim Adelardi ævo, Archicapellanus gereret omnia eccleſiaſtica Regni negotia apud Principem; cumque jamdiu apud Imperatores Orientis, Clerici quidem Apocriſiariorum, ſeu Reſponſalium nomine incumberent negotiis gerendis Eccleſiarum, & Epiſcoporum; hinc a veteribus illis Aprocriſiariis, duxit Adelardus originem Archicapellanorum. Atqui tamen non leve inter utroſque intercedebat diſcrimen, quod Aprocriſiarii ab Epiſcopis eligendi, mittendi, revocandique eſſent; neque unus eſſet communis omnibus; neque ſinguli ſingulos haberent in Urbe Regia: e contra Archicapellanus a Rege deligebatur, & a Rege commiſſa ei erant negotia omnia eccleſiaſtica Regni. In Adelardi ſententiam it Peiratius lib. 1. cap. 41. aſſerens ſub prima Regum Francorum ſtirpe principem Cleri Palatini dictum fuiſſe Apocriſiarium: cujuſmodi fuit S. Audoneus Epiſcopus Rotomagenſis, regnante Dagoberto, ut in illius vita apud Surium die 24.

24. Auguſti; & in vita S. Auſtremonii Epiſcopi Claromontani memoratur Joſeph Regis Apocriſiarius: tum etiam inter veteres epiſtolas Regum Francorum exſtat una Childeberti II. inſcripta Honorato Apocriſiario. E contra Thomaſſino ſuſpectæ eſt fidei Adelardi narratio; eo quia Gregorius Turonenſis rem tanti ponderis intactam minime prætermiſſet; ſed in decurrendis tot Principum annalibus aliquid commemoraſſet de Epiſcopis illis, qui in Palatio Regum, huic officio vacarent. Ille tamen nullibi hujus rei meminit. Præterea Honoratus ille Aprocriſiarius, cui ſcribebat Childebertus, eo fungebatur munere nomine Romani Pontificis apud Imperatores Orientis, haud vero in Aula Regum Francorum. Si qui vero Epiſcopi dicti ſunt Apocriſiarii Regum primæ ſtirpis, non inde fuit, quod ſacris rebus in Aula miniſtrandis, & Palatino Oratorio incumberent, ſed quod Regum Legationes, & aliqua Regni negotia obiiſſent. Sane, qui ſub prima illorum Principum dynaſtia, ſacra munia in Aula adminiſtrarunt, Abbates dicebantur Palatini Oratorii. In vita S. Deſiderii Epiſcopi Cadurcenſis, Ruſticus ejus frater, & ſucceſſor in ea Sede, geſſiſſe dicitur Abbatiam Palatini Oratorii, & Archidiaconatus officium. Bertharius poſtea Carnutenſium Epiſcopus, qui floruit ſub Clotario II. dicitur in ejus vita Abbas Palatini Oratorii. Et ex vita S. Sulpitii Epiſcopi Bituricenſis conſtat Clotarium Regem ad id muneris illum adſciviſſe: *Illico Epiſcopum poſcit, ut pro ſalute ſua, ac exercitus ſui licentia daretur, ut vir beatus in ſuis caſtris Abbatis officio potiretur*. Quibus verbis indigitatur, officio Abbatis Regii Oratorii adminiſtrationem ſacrarum rerum demandatam fuiſſe. Idque ex eo comprobari poteſt, quod non facile Reges tuliſſent ſibi Epiſcopum aliquem, cujus non ſatis probata eſſet fides, ſacra miniſtrare. Narrat enim Gregorius Turon. lib. 8. Hiſt. Franc. cap. 7. Guntramnum Regem, quadam die Dominica, in Eccleſia graviter commotum, quod Palladius Epiſcopus, qui illi infenſus erat, Sacris operaretur; ac voluiſſe quidem e veſtigio Eccleſia abire, niſi Epiſcopi, qui aderant, illum his verbis leniiſſent: *Vidimus eum convivio tuo adeſſe, ac de ejus manu te benedictionem accipere, & cur eum Rex aſpernatur? Si enim ſciſſemus tibi exoſum, declinaviſſemus utique ad alium, qui hæc agere debuiſſet, nunc ſi permittis, celebret, quæ cœpit, impoſterum autem ſi aliquid oppoſueris, Canonicæ ſanctionis cenſura finiatur: jam enim Palladius in Sacrarium cum grandi humilitate diſceſſerat. Tunc Rex juſſit eum revocari, & ſic quæ agere cœperat expedivit*. Ne itaque Antiſtes aliquis ipſis inviſus ſacrum miniſterium eis præſtaret; facile Reges ad Divina facienda, uſi ſunt opera Abbatis Oratorii ſui Palatini. Sed & alii memorantur, qui apud Reges Francorum primæ ſtirpis hoc munere functi ſunt; quos ſubſequens ætas Archicapellanos nuncupavit. Nam in actis S. Aigliberti Epiſcopi Cenomanenſis, quæ protulit in ſuis Analectis Mabilonius, dicitur Aiglibertus nedum Archiepiſcopus, quod honore Pallii donatus eſſet, ſed & Archicapellanus, tum princeps Epiſcoporum, & Magiſter totius Regni cunctorum Epiſcoporum. Floruit vero ille regnantibus Childerico, & Theodorico filiis Clodovæi. Et Ricolfus, alias Ricolinus ſub Dagoberto, in hujus Regis diplomate quodam Moguntiæ dato, quod lib. 1. Dipl. Belg. exhibet Miræus, nominatur Regis Archicapellanus. Pro comperto itaque habendum eſt, jam a primis Francorum Regibus fuiſſe in Aula, qui Capellis, Clericiſque Palatinis, & ſacro miniſterio præeſſet.

IV.

IV. Is vero ſub ſecunda Regum Francorum ſtirpe, nomine Archicapellani, præſtantiſſimum in Aula & Regno dignitatis, & auctoritatis locum occupabat. Ut enim in laudato libello de Ordine Palatii teſtatur Adelardus, qui floruit in Aula Caroli Magni, duo erant in Palatio præcipui Miniſtri, Summus Capellanus, & Comes Palatii: *E quibus præcipue duo, ideſt Aprocriſiarius, qui vocatur apud nos Capellanus, vel Palatii Cuſtos, de omnibus negotiis eccleſiaſticis, vel miniſtris Eccleſiæ; & Comes Palatii de omnibus ſæcularibus cauſis, vel judiciis ſuſcipiendis curam inſtanter habebant, ut nec Eccleſiaſtici, nec ſæculares prius Dominum Regem abſque eorum conſultu inquietare neceſſe haberent, quoſque illi præviderent, ſi neceſſitas eſſet, ut cauſa ante Regem merito venire deberet*. Quemadmodum itaque Comes Palatii omnibus ſæcularibus negotiis & miniſtris imminebat, ita Summus Capellanus omnibus negotiis & miniſtris eccleſiaſticis. Et hinc poſt Reges, Regiique ſanguinis Principes primum ſemper dignitatis locum obtinebat, ut idem teſtatur Adelardus. Hinc quoque Conſilio Principis ſemper aderat: *Aprocriſiarius*, inquit Adelardus, *ideſt Capellanus, vel Palatii Cuſtos, & Camerarius ſemper intererant; & idcirco cum ſummo ſtudio tales eligebantur, aut electi inſtruebantur, qui merito intereſſe poſſent*. Quo ſenſu in vita S. Angilberti apud Bollandum, dicitur ille creatus a Carolo Magno Archicapellanus, & Silentiarius, hoc eſt, Conſiliarius; nam Principis Conſilium, dicebatur Silentium. Quæ vero eſſent eccleſiaſtica negotia Archicapellani curæ commiſſa, tradit idem Adelardus ſcribens, illum ſollicitudinem habuiſſe, *de omni eccleſiaſtica religione, vel ordine, necnon etiam Canonicæ, vel Monaſticæ altercatione*. Ut proinde omnia, quæ ad diſciplinam Clericorum, & Monachorum ſpectarent, ad illum referenda fuerint, qui vel ea ipſemet definiebat, vel ſi gravioris eſſent momenti, deſerebat ad Principem. Ita ex eodem Adelardo colligitur, ajente eos omnes, qui Palatium adibant pro eccleſiaſticis neceſſitatibus, ad Summum Capellanum ſpectaſſe, ut in iis ſolum adirent Regem, *quæ ſine illo plenius definiri non potuiſſent*. Cum itaque negotia omnia Eccleſiarum, & Epiſcoporum ad ipſum deſerrentur, erat propterea veluti Agens, & Mediator omnium Regni Præſulum apud Principem; & hinc Adelardus unum eumdemque exiſtimavit Summum Capellanum ſui temporis, & veterem Apocriſiarium. Quamobrem Patres Concilii Cariſiacenſis, uti apud Flodoardum legitur lib. 3. Hiſt. cap. 24. Hilduinum Archicapellanum interpellarunt, ut aſſentiretur electioni cujuſdam Clerici in Epiſcopum Lingonenſem, eamdemque curaret firmari Regis conſenſu. Et Eccleſia Senonenſis ſuo viduata Paſtore pariter ad Hilduinum confugit, ut electionis faciendæ poteſtatem a Principe impetraret, & ut electioni jam factæ accederet Regis ſuffragium. Cum Frotarius Epiſcopus Tullenſis eximi ſe cuperet a quibuſdam miniſteriis exhibendis circa Ædes Regias, ſcripſit ad eumdem Hilduinum, vel illum ea cura abſolveret, vel ſineret Epiſcopatu abire. Agobardus Lugdunenſis Epiſcopus, ejuſdem Hilduini auctoritatem imploravit, ut reſcinderetur a Principe Edictum quoddam latum in gratiam Judæorum. Denique cum Boniſacius Moguntinus vellet ſibi Coepiſcopum, & ſucceſſorum Lullum deſignari, ſcripſit Flurado Abbati, & Archicapellano Pipini, ut ejus opera, & conſenſu id aſſequeretur. Quin & a Romanis Pontificibus quandoque Archicapellanus conſtitutus eſt eorum apud Principem Apocriſiarius. Nam ex quadam epiſtola Caroli

Calvi ad Nicolaum Papam, quam refert Thomaſinus de Benef. p. 1. lib. 2. cap. 110. colligitur, Angilramnum uno eodemque tempore fuiſſe & Caroli Magni Archicapellanum, & Apocriſiarium Sedis Apoſtolicæ in Galliis, uti etiam Drogonem Metenſem ſub Ludovico Pio. Ob hæc præſtantiſſima Archicapellani munia, Aiglibertus dictus eſt *Magiſter, & princeps Epiſcoporum totius Regni:* & Hilduino ſcribebat Eccleſia Senonenſis: *Vere ſanctiſſimo ſacris negotiis a Deo prælato:* cui eidem Lupus Ferrarienſis ep. 110. dedit hos titulos: *Nobilitatis, dignitatis, & moderationis apice conſpicuo Hilduino Eccleſiaſticorum Magiſtro*. Et in vita S.Anſcharii, Drogo Metenſis, qui ſub Ludovico Pio hoc geſſit officium, dicitur *ſummæ, ſanctæque dignitatis Archicapellanus*. Imo tanta fuit Archicapellani dignitas, ut ipſum quandoque Epiſcopi conſulerent de negotiis eccleſiaſticis, quæ minime ad Principem ſpectarent. Ita in actis Epiſcoporum Cenomanenſium prolatis a Mabilonio, Merolus Epiſcopus legitur interpellaſſe Angilramum Metenſem Antiſtitem, & Archicapellanum, an valide ordinatus eſſet Epiſcopus.

V. Nil proinde mirum, ſi inter Epiſcopos in Synodis, primum occuparet locum Archicapellanus. Ita Hildeboldus Colonienſis Archiepiſcopus, & Archicapellanus ſubſcripſit primus Moguntino Concilio ſub Carolo Magno, etſi præſens adeſſet Ricolphus Moguntinæ Sedis Antiſtes, Hallierius tamen lib. 4. de Eccleſ. Hier. denegat Archicapellano primum in Synodis locum, quem illi conceſſum fatentur Peiratius, Sirmondus, Mabilonius, Baluzius. Et licet ſubſcripſerit primus omnium Moguntino Concilio Hildeboldus, non quod Archicapellanus eſſet, ſed quod antiquior eſſet Epiſcopus, vel Delegatus Apoſtolicæ Sedis, uti cenſet Hallierius: attamen in teſtamento Caroli Magni apud Eginhardum, idem Hildeboldus primus ſubſcribit ante Ricolphum Moguntinum, & Leidardum Lugdunenſem Archiepiſcopos. Ebroinus Pictavienſis Pontifex præfuit Concilio Vernenſi anno 844. uti colligitur ex hujus Synodi præfatione, nonniſi quia Archicapellanus erat Caroli Calvi. Grimoldus quoque Abbas S. Galli præponitur Salomoni, & Theodorico Epiſcopis in Actis de indulgentia Ludovici Regis Germaniæ, quod eſſet Regis Summus Capellanus, uti obſervat Baluzius. In Concilio Ticinenſi ſub Ludovico II. ante alios Epiſcopos nominatur Joſeph Archicapellanus. In Synodo Ingeleſheimenſi anno 840. ſub Lothario ad reſtituendum Ebbonem Sedi Remenſi, primus omnium ſubſcripſit Drogo Metenſis; qui etiam primum obtinuit locum in Synodo apud Teodonis-villam anno 845, non quod e Regia eſſet ſtirpe, ſiquidem Hincmaro teſte ep. 6. Epiſcopi Galliæ numquam id juris Drogoni permiſere, ſed quod Ludovici Pii eſſet Summus Capellanus. Huic igitur tamquam vices Principis in Concilio agenti concedebatur primus dignitatis locus.

VI. Non tamen illius officium ad ſola eccleſiaſtica negotia nomine Principis tractanda porrigebatur; cum & hujus muneris fuerit præeſſe Clericis Palatinis, & res ſacras in Aula adminiſtrare. Adelardus enim in citato libello inter illius munia recenſet, quod præeſſet Clero Palatino, quod Aulicorum ſpiritualem curam gereret, quod eos a pravis operibus, vel erroribus revocaret, afflictos bono animo eſſe juberet, & ſupellectili divino miniſterio neceſſariæ conſuleret. Eapropter Hilduinus dicebatur Antiſtes ſacri Palatii ab Agobardo Lugdunenſi in quadam epiſtola ad ipſum data; & Drogo Me-

Digitized by Google

Metenſis appellatur Archipalatinus Præſul in apologetico Ebbonis; & Hildeboldus nuncupatur Archiepiſcopus ſacri Palatii in præfatione Concilii Moguntini; denique Angilramus dictus eſt ab Alcuino, Poemate 164. Pontificalis apex, Paſtor, Patriarcha, Sacerdos. Adminiſtrabantur ab Archicapellano Regibus Sacramenta: ſiquidem Carolum Magnum morti proximum ab Hildebaldo accepiſſe Euchariſtiam, ſcribit Theganus in libro de geſtis Domini Ludovici: *Dominum Imperatorem accepit febris poſt balneum, cumque per ſingulos dies laboribus ingraveſceret, nihil comedens, neque bibens, niſi modicum, atque ad recreationem corporis, ſeptimo die poſtquam laborare cœpit, juſſit familiariſſimum Pontificem ſuum Hildeboldum venire ad ſe, ut Sacramenta Dominici Corporis & Sanguinis tribueret, & exitum ſuum confirmaret.* Ludovicum etiam filium apud Drogonem Archicapellanum peccata ſua confiteri ſolitum, teſtatur Aimonius lib. 1. cap. 19. *Sed & aderat Drogo frater Domini Imperatoris, Metenſis Epiſcopus, necnon ſacri Palatii Archicapellanus, per eum quotidie confeſſionis ſuæ munus, ſacrificiumque ſpiritus contribulati, & cordis humiliati, quod Deus non deſpicit offerebat . . . . juſſit per manus ejus juxta morem, communionem ſuam ſibi dari.* Spectabat quoque ad Archicapellanum benedictio Regiæ menſæ. Nam Theodulphus Aurelianenſis deſcribens illius officium ait: *Stet benedicturus Regis potumque, cibumque.* Duplex proinde fuit Archicapellani officium, quorum unum ſpectabat ad eccleſiaſtica, & temporalia Regni negotia gerenda, alterum ad Sacra miniſtranda; utrumque vero præſtantiſſimum. Et hinc ampliſſimis viris id muneris demandabatur, aut e Regia ſtirpe natis, uti fuere Hilduinus & Drogo; aut inſignium Eccleſiarum Epiſcopis, uti fuere Hildebaldus Colonienſis, Guntgarius itidem Colonienſis, Angilramus Metenſis; aut Abbatibus præclariſſimis, uti Fulradus, Angilbertus, Grimoaldus, quorum catalogum exhibet Cangius in Gloſſario.

VII. Regibus tertiæ ſtirpis nullos fuiſſe Archicapellanos, plurimi putarunt. At memoratur a Peiratio lib. 1. cap. 53. Balduinus, qui in quibuſdam monumentis ſub Roberto Rege, & Henrico I. dicitur ſacri Palatii Apocriſiarius, Cancellarius, & Archicapellanus Regis. Tum etiam in privilegio quodam conceſſo anno 1055. Abbatiæ Sandionyſianæ ab Helinando Epiſcopo Laudienſi, regnante Henrico I. ſubſcribit inter alios, Alardus Cancellarius, & Archicapellanus. Deinde Archicapellani dignitatem Abbatibus Monaſterii S. Maglorii, quod Hugo Capetus extruxerat, conceſſam fuiſſe ſub Philippo I. & Ludovico ejus filio, cenſet Peiratius. In quodam enim privilegio ei Eccleſiæ a Ludovico Rege dato anno 1159. dicitur: *Et quia Abbas S. Maglorii antiquitus Capellanus Regum conſtitutus eſt*, ubi Capellanum Regum interpretatur eumdem ac Archicapellanum; additque, eo officio Abbates illos functos uſque ad Philippi III. & Philippi Pulchri ætatem. Idem Peiratius cap. 47. & 48. pluribus probat, neque Abbati Monaſterii S. Germani Pariſienſis, neque Abbati Monaſterii Sandionyſiani, collatam a Regibus, uti nonnulli affirmarunt, Magni Capellani dignitatem. Sunt qui Epiſcopum Silvanectenſem hoc munus aliquando geſſiſſe exiſtimant, quod in quadam Bonifacii VIII. Bulla a Tilletio relata, illi Antiſtiti commiſſa eſt cura inquirendi, & vindicandi crimina Capellanorum Regis. At delegari potuit Silvanectenſi Præſuli ea poteſtas a Romano Pontifice, quin eſſet Regis Summus Capellanus. Certe in Aula Regum Francorum tertiæ ſtirpis non ulla ſe prodit, uti

 ſub

ſub Regibus Carolovingiæ ſtirpis, Magni Capellani eximia dignitas: & regnantibus Philippo III. Philippo Pulchro, & Philippo Longo, nonniſi duo erant in Aula, & in magno honore, Eccleſiaſtica officia, Confeſſarii nempe Regis, & Eleemoſynarii. Ita ex monumentis pluribus illorum Regum affirmat Tilletius. Confeſſarius Regis Eleemoſynario præſtabat dignitate & auctoritate; illique Romani Pontifices Boniſacius VIII. Clemens V. Clemens VI. quorum Bulla, exhibet Tilletius, facultatem fecere abſolvendi Regem a criminibus, & cenſuris reſervatis, audiendi Confeſſiones Aulicorum omnium, atque relaxandi jejuniorum obligationem. Præterea, ut teſtis eſt Peiratius lib. 1. cap. 54. Beneficia omnia Regii juris, non antea a Rege conferebantur, quam Confeſſarius Regis ſententiam dixiſſet, ſive de collatione, ſive de permutatione, ſive de reſignatione ageretur: & hinc diplomata Regis ad hanc rem ſignabantur *per Dominum Regem ad relationem Confeſſoris*. Is etiam excipiebat ſacramenta fidelitatis, quæ in Gallia ex antiquiſſimo more a Prælatis ſtatim poſt ordinationem ſuam Regi exhibentur. Sed regnante Carolo VIII., Eleemoſynarius dici cœpit Magnus Eleemoſynarius, atque tunc primum ducta ſunt initia ampliſſimæ illius dignitatis, qua omnium primi donati fuere Joannes de Rely Epiſcopus Andegavenſis, & Gottofredus de Pompadour Epiſcopus Petragoricenſis. Hi tamen dicti ſunt Magni Eleemoſynarii Regis: nam titulo Magni Eleemoſynarii Franciæ, primus omnium ſub Franciſco I. anno 1543. dictus eſt Cardinalis de Meudon, ſeu Antonius Sanguinus Archiepiſcopus Toloſanus. Exinde Magnus Eleemoſynarius præfuit Capellæ Regis, Clericiſque Palatinis, atque in Archicapellani locum ſucceſſit.

VIII. Nedum enim ei commiſſum eſt ſacrum Aulæ miniſterium, verum etiam plurima Regni negotia. Primo namque Beneficia omnia totius Regni, quæ ſunt juris patronatus Regii, vel quorum collatio aliquo modo ad Regem ſpectaret, prævio Magni Eleemoſynarii ſuffragio conferebantur, uti refert Peiratius lib. 1. cap. 61. Sunt qui putant, olim Magnum Eleemoſynarium nominaſſe ad Beneficia Regii juris: verum pluribus oſtendit Peiratius cap. 66. nonniſi illum ad officia Capellæ Regis, facultatem habuiſſe deſignandi miniſtros. Nullæ a Rege, vel pauperibus, vel locis piis, vel Cœnobiis conceduntur largitiones, eleemoſynæ, beneficia, niſi de Magni Eleemoſynarii ſententia, & auctoritate. Is etiam ſacramenta fidelitatis, quæ ab Epiſcopis, & Prælatis Regni perſolvuntur Regi, & quæ a Capellanis, Clericiſque Palatinis dantur, excipit. Cum aliquis in ampliſſimam Equeſtrem Societatem Spiritus Sancti eſt cooptandus, Magnus Eleemoſynarius inquirit, ac diſcutit illius vitam, moreſque, & Regem ejus rei conſcium facit. In magnis ſolemnibus, vel in primo Regis ingreſſu in aliquam Civitatem ſubactam, ſolet Rex Chriſtianiſſimus captivis nonnullis veniam facere, & hujus rei cura ſpectat ad Magnum Eleemoſynarium. Is quoque imminet pluribus Collegiis Regni, præſertim Collegio Navarræ, cui olim præerat Confeſſarius Regis: itidem Collegio Bajocenſi ex Edicto Caroli V. Regis; & ad eorum regimen poteſt Miniſtros, legeſque conſtituere. Quin & Noſocomia, Orphanotrophia, & alia hujuſmodi loca pia omnia Regni totius, jam diu, uti tradit Peiratius cap. 70. & 71. commiſſa ſunt curæ & auctoritati Magni Eleemoſynarii; ita ut in ejus ſit poteſtate ea omnia viſitare, reformare, corrigere, ſi quæ reparanda ſunt imperare, rationes adminiſtrationis

nis proventuum diſcutere, leges ad eorum regimen, & diſciplinam ferre, & quicquid ad ea ſpectat, ordinare, quemadmodum Franciſcus I. anno 1535. & Henricus II. anno 1545. decreverunt. Neque hæc ilius poteſtas complectitur ea dumtaxat Hoſpitalia, quæ Reges, ſed etiam quæ privati homines excitarunt. Præſertim vero incumbit Magno Eleemoſynario cura Hoſpitalis Pariſienſis quindeviginti cæcorum a S. Ludovico conſtructi; & ex Bulla Joannis XXIII. data an. 1414. & relata a Chopino lib. 2. Monaſt. tit. 1. prædictum Hoſpitale, illiuſque Capellæ, Capellani, Clericique exempti ſunt ab Epiſcopi Parienſis juriſdictione, & nonniſi Magno Eleemoſynario ſubjecti, dummodo is in aliquo ſacro Ordine ſit conſtitutus, ſin minus, juriſdictioni Primi Capellani Regis ſubjiciuntur. Præterea teſtis eſt Peiratius lib. 1. cap. 58. a Franciſco I. Rege Magnum Eleemoſynarium conſtitutum eſſe ſupremum Moderatorem Academiæ Pariſienſis, ita ut ad ejus munus ſpectaret Lectores deſignare, qui docendis diſciplinis operam navent: & hac auctoritate Cardinalis Perronius Magnus Eleemoſynarius Franciæ ſub Henrico IV. addidit Sorbonico Gymnaſio lectiones Theologiæ Scholaſticæ, & Moralis. Ita vero hoc ipſum Magni Eleemoſynarii officium deſcribit Petrus Gallandus in vita Petri Caſtellani Matiſconenſis Epiſcopi & Magni Eleemoſynarii: *Eſt is honoris gradus omnium Eccleſiaſticorum in Gallia facile princeps; quo qui donatus eſt, Regi ſomno excitato inter primos ſalutatores adeſſe ſolet, & de eo cognoſcere, quo in loco, & tempore rem ſacram peragi velit: Aulæ totius unicus Epiſcopus eſt: quocumque in loco per totum Regnum Rex verſetur, ab eo Sacramenta petere ſolet: Sacello Regis ordinando, Cantoribus ejuſdem, & Sacerdotibus omnibus Aulam ſequentibus præeſt: diſpenſatio Regiæ in pauperos beneficentiæ. & pauperum omnium curatio, ejus unius propia eſt: ad ejus etiam curam pertinet per univerſum Regnum iis omnibus pauperum peregrinorum domiciliis, quæ tum Ptochodochia, tum Xenodochia appellant, atque etiam iis, quæ lepra infectis olim a Regibus attributa ſunt, adminiſtratores idoneos præficere, præpoſteros, & mutilos loco movere. Quæ ſi etiam ab aliis quam Regibus condita primum, in eumdem finem, & cenſu donata ſunt, & præter Conditorum, & Inſtitutorum mentem, contraque æquum & bonum, quid in iis geratur, ejuſdem eſt omnem animadverſionem ad ſe revocare, numerum leproſorum, aut aliorum miſerorum explere; ad referendas rationes omnes Procuratorum & Adminiſtratorum genus cogere; corrupte, infideliter, aut ſocorditer in ſuo munere verſatos corripere, alioſque in eorum locum ſubrogare: omnia quoque Sacerdotia, quæ Regiæ poteſtatis ſunt, præter Epiſcopatus, & Abbatias donare, & conſervare. Ad ejus quoque officium pertinet, primo quoque Regis ingreſſu in oppida, maleficos carceribus incluſos, Regia venia eis conceſſa laxare, & liberos impune remittere.* Hunc Petrum Caſtellanum Thuanus in Hiſtoria dicit virum doctrina & probitate præclariſſimum, atque ſub Franciſco I. perfunctum munere Magni Eleemoſynarii: alii tamen cenſent ſub Henrico II. hoc officium geſſiſſe.

IX. Quod vero ſpectat ad ſacrum miniſterium a Magno Eleemoſynario in Aula præſtandum, is in Liturgia Regem adſpergit aqua benedicta, & Regi exhibet Evangeliorum librum, & oſculum pacis, & hinc in Liturgia ſolemni ſedet prope Regem, uti etiam in publicis ſupplicationibus proximus Regi incedit. In die Cinerum Regium Caput cinere adſpergit; & feria quinta Magnæ Hebdomadæ indutus Ponti-

tifi-

tificalibus ornamentis, pauperes, quibus lavandi ſunt pedes, a peccatis abſolvit. Sacramenta Regi adminiſtrat, uti etiam ſacris aquis abluit Regiam prolem. Benedicit Regias dapes, & abſoluta menſa, gratias agit. Cum a Rege aliquod jurandum eſt fœdus, exhibet Regi Evangeliorum librum. Denique in Coronatione, Conjugio, & Funere Regum ſuas habet partes, uti compertum erit, cum de ſingulis hiſce cæremoniis Palatinis agemus. Jam vero perſpicuum exploratumque eſt, officium Magni Eleemoſynarii ſolis ſacris rebus in Aula miniſtrandis haud coerceri; ſed etiam ad plurima Regni negotia porrigi, etſi non in eam poteſtatis munerisque amplitudinem, qua olim pollebat Archicapellanus. Nihilo tamen minus Magni Eleemoſynarii dignitas inter primas præcipuaſque Regni dignitates habetur, ita ut a Dumontio in Cæremoniali Galliæ dicatur *Solſtitium honorum*; & a Thomaſſino aliiſque reputatur *Officium Coronæ*, quo nomine, & honore gaudent pauciſſimæ, eoque omnium toto Regno ampliſſimæ dignitates. Sane ad hunc honoris gradum non veniunt, niſi qui vel meritis longe clariſſimi, vel generis nobilitate, vel Cardinalitia dignitate fulgent, uti videre eſt in catalogo Eleemoſynariorum Franciæ, quem exhibent Gangius in Gloſſario, Morerius in Dictionario, & Peiratius in libro de Oratorio Regis Galliæ. Nunc temporis Clar. Præſul Carolus Antonius de la Roeheaymon Archiepiſcopus Remenſis eo munere meritiſſime fungitur.

X. Denique prætereundum non eſt, Reginis quoque Galliæ ſuum adfuiſſe Magnum Eleemoſynarium. Reginas quidem primæ & ſecundæ ſtirpis ſuum habuiſſe Magnum Capellanum non conſtat, etſi compertum ſit, eas proprium Clerum habuiſſe. Imo Adelardus de uno eodemque Archicapellano dicit, *qui omnem Clerum Palatii ſub cura & diſpoſitione ſua regebat*. Neque ſub tertia Regum ſtirpe id moris obtinuit uſque ad Carolum VIII. quo imperante, legitur Nicolaus de Dicaſtillo Magnus Eleemoſynarius Annæ Reginæ. Deinde apud Catharinam Mediceam Galliæ Reginam, hoc officio functus eſt Cardinalis Salviati Epiſcopus Claromontanus; & apud Mariam Mediceam, Cardinalis Bonzius Epiſcopus Biterrenſis. Cum inter Angliæ Regem, & Mariam Ludovici XIII. Regis Galliæ ſororem initum eſt conjugium; cautum fuit, ut Reginæ fas eſſet Oratorium in Aula habere, ubi plures Clerici ſacra facerent, eiſque immineret Epiſcopus aliquis Catholicus, qui Reginæ diceretur Magnus Eleemoſynarius.

XI. In Aula Hiſpana poſſent vetuſtiſſima indigitari exordia muneris Magni Capellani. Cum enim Concilium Lucenſe, uti dictum fuit, ſubjeciſſet familiam Regiam Epiſcopo Dumienſi, jam is egit in Aula Magnum Capellanum. Verum nonniſi poſt annum Chriſti milleſimum maxime conſpicua fuit hæc dignitas in Aula Regum Hiſpaniæ, cum nempe Alphonſus VI. pietatis & religionis cauſa erga S. Jacobum Apoſtolum, Hiſpaniæ tutelarem, ut magno honore afficeret Archiepiſcopum Compoſtellanum, in cujus Diœceſi quieſcunt Beatiſſimi Apoſtoli Reliquiæ, illum conſtituit perpetuo jure Magnum Regis Capellanum, & Legionenſis Regni Cancellarium, dato diplomate anno 1140. & anno 1141. quod aſſervatur in Archivio Compoſtellano. Hanc eamdem prærogativam illi confirmavit Ferdinandus II. qui ſe Vexilliferum inſcribebat B. Jacobi Apoſtoli, editis ad eam rem privilegiis anno 1176. & 1178. Tum eadem jura Antiſtiti Compoſtellano collata probavit, ac rata habuit Innocentius III. in epiſtola quadam ad Petrum illus

Ec-

Eccleſiæ Archiepiſcopum, in qua ei confirmavit *Regalem Capellaniam, & Cancellariam, quam bonæ memoriæ Alphonſus illuſtriſſimus Hiſpaniæ Rex Eccleſiæ veſtræ conceſſit, & ſcripti ſui pagina roboravit*. Quod ſane nec leve, nec obſcurum eſt indicium, quanti jam tum temporis fieret dignitas Magni Capellani; utpote quia eo munere, Hiſpani Reges præclariſſimum Regni Archiepiſcopum, religionis cauſa erga Beatum Apoſtolum, loco non vulgaris beneficii exornarunt. Imo cum Antiſtes ille duplici dignitate frueretur, Summi nempe Capellani, & Cancellarii Regni; hinc eo nomine cenſet Turturetus, Archicapellano præſtitiſſe. Atqui tamen Archicapellano conjuncta fuit utplurimum dignitas Magni Cancellarii, uti tradunt Cangius in Gloſſario, & Peiratius, adductis exemplis Hilduini Archiepiſcopi ſacri Palatii, & Notarii Summi ſub Lothario; Balduini Henrici I. Franciæ Regis Cancellarii, & Archicapellani; Eginhardi Archicapellani, & Notarii Imperatoris Caroli, & aliorum. Quamvis enim Adelardus innuere videatur, utrumque munus diſtinctum fuiſſe, his verbis: *Archicapellano ſociabatur Summus Cancellarius, qui a ſecretis olim appellabatur*; attamen hæc ipſa verba hunc ſenſum referre poſſunt, nempe ſociam conjunctamque fuiſſe dignitatem Summi Cancellarii cum dignitate Archicapellani. Illud certum eſt, ſæpiſſime Archicapellanos hoc officio functos eſſe, ut innumera veterum Imperatorum diplomata evincunt. Sed ad Aulam Hiſpanam redeundum nobis eſt. Cum Archiepiſcopus Compoſtellanus reſidentiæ legibus adſtringeretur, alium ſibi Reges conſueverunt in Aula adſciſcere, qui vicario veluti nomine, hoc munus adminiſtraret. Et leges Hiſpanæ, quas Alphonſus IX. colligi edique juſſit, hujus muneris excellentiam diſertiſſime teſtantur. Dicitur enim lib. 3. tit. 2. par. 9. *el Capellan Mayor del Rei ha da ſer de los mas honrados i mejores Prelados de ſu tierra*. Voluere igitur non quoslibet Antiſtites, ſed inſigniores totius Regni ad hunc honoris gradum evehendos eſſe. Ibidem primus dignitatis locus in Aula conceditur Summo Capellano, ſecundus Cancellario. *Chanceler es el ſegundo oficial de Caſa del Rei de aquellos que tienen oficio de poridad. Ca bien aſſi como el Capallam entre Dios, è el Rei en fecho de ſu anima. Otro ſi lo es el Chanceler entre el, e los omes, quanto en las coſas temporales*. Qua de re jam diu quotquot apud Hiſpanos Reges hoc officio functi ſunt ad noſtra uſque tempora ampliſſimi fuere viri, & genere, & doctrina, & dignitate, ut plurimum Epiſcopi, & ſæpe etiam Patriarchæ, nec raro Cardinales, ut patet ex illorum catalogo, quem exhibet Turturetus. Inter eos eminent, regnante Philippo II. Joannes Martinus Siliceus Epiſcopus Carthaginienſis, deinde Toletanus, & Cardinalis; & doctiſſimus ille Garſias Loaiſa, & ipſe Toletanus Antiſtes, a quo Concilia Hiſpaniæ commentariis illuſtrata fuere. Imperante Philippo IV. Didacus Guſmanius Patriarcha Indorum, Archiepiſcopus Hiſpalenſis, & Cardinalis; Alphonſus Pereſius, itidem Indiarum Patriarcha, eo munere functi ſunt; quibus ſucceſſere alii genere, dignitate, & virtute æque præclariſſimi. Nunc vero temporis Cardinalis Bonaventura Cordova Spinola de la Cerda, Patriarcha Indiarum, genere, dignitate, & virtute preſtantiſſimus. Quod vero ſpectat officium Magni Capellani Regis Hiſpaniæ, is juriſdictionem omnem Epiſcopalem exercet in Aula, ubicumque locorum Rex fuerit, & quoad Aulicos omnes, & Capellanos Regis, uti ex pluribus privilegiis Romanorum Pontificum ſequenti Capite adducendis, compertum eſt. In ſolemni

lemni Liturgia Palatina recitat prope Regem ſingulas Miſſæ partes, atque ſacras omnes cæremonias Aulæ moderatur, quas alibi opportuniori loco expendemus.

XII. Nedum Palatina Capella, & inſignis, & antiqua fuit in Aula Luſitana; verum etiam Majoris Capellani dignitas, ut pote quæ ſub antiquis Luſitaniæ Regibus obtinuit, & ea ut plurimum clariſſimi Epiſcopi donabantur. Conſtat enim ex decem libris Hiſtoriæ Regum Luſitaniorum a laudato Souſa editis, hanc Majoris Capellani dignitatem geſſiſſe ſub Alphonſo V. Rege Joannem Manuelem Epiſcopum Septæ (*Ceuta*) & Rodericum de Noronha, Epiſcopum Lamacenſem, Regium Conſiliarium, & Confeſſarium: ſub Joanne II. Rege, Ferdinandum de Miranda, Epiſcopum Viſejenſem (*Viſeu*) ſub Joanne III. Paulum Pereira, Priorem Majoricenſem; Franciſcum Vaſconcellos Epiſcopum Lamacenſem, deinde Ulyſſiponenſem: ſub Emmanuele Rege, Petrum Vaz Gaviaon Epiſcopum Guardenſem: ſub Sebaſtiano Rege, Ferdinandum Vaſconcellos Archiepiſcopum Ulyſſiponenſem, Julianum de Alva Epiſcopum Mirandæ, & Joannem de Caſtro Regium Conſiliarium: denique ſub Cardinali & Rege Henrico, Sebaſtiani patruo, Majorem egiſſe Capellanum, tum præfatum Joannem de Caſtro anno 1580. tum Georgium de Ataide Epiſcopum Viſejenſem, deinde ſupremum in Luſitania Vindicem Fidei. Sed & Decani ipſius Capellæ Regiæ ex Epiſcopis creabantur. Nam inter alios hoc munere functi ſunt, anno 1551. Turibius Lopez Epiſcopus Mirandæ, Regiuſque Conſiliarius; & anno 1574. Emmanuel de Almada Epiſcopus Angræ. Mortuis Henrico, & Sebaſtiano Regibus, nulla ſuperſtite prole, Philippus II. Rex Hiſpaniæ Luſitano imperio potitus eſt; quamobrem nulli fuerunt in Luſitania Reges uſque ad annum 1641. quum regnante in Hiſpania Philippo IV. excitata ſeditione, Joannem Ducem Brigantinum ex atavis Regibus progenitum, Luſitani Regem ſalutarunt. Eo imperante ſub nomine Joannis IV. Alvarus Coſta Epiſcopus Viſejenſis Majorem egit Capellanum. Joanni IV. ſucceſſit Alphonſus VI. in cujus Aula Emmanuel a Cunha Epiſcopus Heluarum, Regius Conſiliarius, circa annum *1656*. Majoris Capellani munere fungebatur; eodemque anno Franciſcus de Sottomayor Epiſcopus Targenſis Decanum agebat Regiæ Capellæ. Is vero ſub Petro II. Alphonſi VI. ſucceſſore electus Epiſcopus Lamacenſis, fuit quoque Major Capellanus: cui in eodem munere ſucceſſit Ludovicus de Souſa, Regius Conſiliarius, & Epiſcopus primum Bonæ, deinde Archiepiſcopus Ulyſſiponenſis, & Cardinalis. Archiepiſcopo Ulyſſiponenſi Majori Capellano ſubrogatus fuit in eo munere anno 1702. Joſeph de Lencaſtre Epiſcopus Leirienſis, Regius Conſiliarius, & ſupremus in Luſitania Fidei Vindex. Denique anno 1705. Nunus da Cunha de Ataide, Præfectus Regiarum Cortinarum, Epiſcopus Targenſis, donatus eſt Majoris Capellani dignitate, & anno 1712. Cardinalatu auctus. Atque hi ampliſſimi Epiſcopi ſacris Aulæ Luſitanæ rebus præfuerunt, ad annum uſque *1716*. cum a Clemente XI. Capella Regia in Patriarchalem eccleſiam erecta eſt, Magnoque Capellano dignitas Patriarchæ Ulyſſiponenſis addita fuit; qua dignitate nunc meritiſſime fulget Cardinalis ampliſſimus Franciſcus de Saldanha.

XIII. Non in Aula ſolum Regum Galliæ, aut Hiſpaniæ olim Summus Capellanus aderat, ſed & in Aula omnium fere Chriſtianorum Principum. In eo enim Archicapellanorum indice, quem exhibet Cangius,

gius, leguntur Fridebaſtus Epiſcopus Pictavienſis Archicapellanus Pipini Regis Aquitaniæ; Remigius Archiepiſcopus Lugdunenſis Summus Capellanus Palatii Caroli Ducis Burgundiæ; Adventus Epiſcopus Metenſis Archicapellanus Lotharii Regis Lotharingiæ; & Gozaldus ſacri Palatii Summus Capellanus ſub Ludovico Rege Bajoariæ. Quin & Duces, Comiteſque ſuum etiam Magnum Capellanum habuere, uti notat Altaſerra lib. 3. cap. 8. de Ducibus. Memoratur enim ab Orderico Vitali lib. 6. Hiſt. Herluinus Cancellarius Hugonis Magni Ducis Francorum, & Capellæ Ducis Capellanorum maximus. Bertulſum Archicapellanum & Cancellarium Comitis Flandrenſis memorat Gualterus Tarvanenſis in vita S. Caroli Comitis Flandrenſis. Et in notitia Eccleſiarum Belgicarum apud Goldaſtum occurrit anno 880. Theotmarus Archicapellanus Arnulphi Ducis Lotharingiæ. Longobardos quoque Principes, qui noſtris hiſce in regionibus imperarunt, habuiſſe nono ſæculo Abbatem, & Clerum Palatinum, colligitur ex Capitulari Radelchiſi Principis Beneventi, cum Siconulpho Salerni Principe anno 851. edito tom. 3. Hiſt. Longobard. Camilli Peregrini. Ibi enim inter alia pacta diviſionis Principatus Beneventani cautum legitur Art. 4. *ut ſingulæ Eccleſiæ ſuum primatum habeant integrum, ſicut ſemper habuere in omni loco, quemadmodum decet cauſam Dei: exceptis Canonicis Abbatibuſque ad Palatium pertinentibus: Nam Abbatum res, quæ ad Palatium pertinent, in cujus diviſione res ipſæ venerint, ille eos habet in cujus fuerint parte*. Et Art. 6. ac 7. ſtatuitur, ut omnes Clerici ſint ſub poteſtate Epiſcoporum ſuorum *exceptis Clericis, qui in Palatio ſerviunt. Similiter fiat de Clericis ſingulorum Abbatum, exceptis illis Clericis, qui in rebus Abbatum ad Palatium pertinentium morantur; qui Clerici in illius parte ſint, in cujus forte ipſæ res venerunt*. Habes ex his apud Longobardos Principes Abbates, Clericoſque Palatinos, aliquam etiam eorum exemptionem ab ordinaria Epiſcoporum juriſdictione.

XIV. Ex hoc antiquiſſimo more Duces Sabaudiæ itidem ſuum Magnum Capellanum habuere. Nonnullis tamen abhinc annis Magnus Eleemoſynarius Sabaudorum Principum ampliſſimum conſecutus eſt honoris & dignitatis locum; cum nempe a Glorioſiſſimo Carolo Emmanuele Rege ad id muneris deſignatus eſt anno 1747. Clariſſimus Cardinalis Victorius Amedeus delle Lanze genere, & virtute, non minus quam dignitate præſtantiſſimus. Hac occaſione, cum is eſſet Epiſcopus ordinandus, Sanctiſſimus Pontifex BENEDICTUS XIV. pro ea ſumma, qua pollebat rerum eccleſiaſticarum ſcientia, cujus teſtes ſunt tot editi ab eo libri in reipublicæ litterariæ, & Eccleſiæ commodum, eruditiſſimam dedit ad eumdem Cardinalem epiſtolam, typis editam, ut oſtenderet, nil obſtare, quominus Cardinalis aliquis jam ſuæ Eccleſiæ Titulo alligatus, alligaretur etiam vinculo Epiſcopalis Eccleſiæ, quæ ſita eſſet in partibus Infidelium. In ea epiſtola præfatur doctiſſimus Pontifex, collatum a Rege munus Magni Eleemoſynarii laudato Cardinali, quod cum ab Epiſcopo adminiſtrari debeat, ideo eumdem eſſe Epiſcopum conſecrandum. Id vero eccleſiaſticæ diſciplinæ minime repugnare; ſiquidem etſi olim ea viguerit diſciplina, ut neque Epiſcopi ad Cardinalium, neque Cardinales ad Epiſcoporum Ordinem facile promoverentur, ne violarentur reſidentiæ leges, cum Epiſcopos ſuis in Eccleſiis, Cardinales in Romana Curia adhærere neceſſe ſit; tamens jam diu deſiiſſe eam diſciplinam, quod aucto Cardinalium

Digitized by Google

numero, poſſint jàm ex iis nonnulli in Eccleſiis ſibi commiſſis reſidere, quin ex illorum abſentia, Romanus Pontifex, aut Romana Eccleſia aliquid detrimenti capiat. Jam vero ſi Cardinalibus paſſim committuntur regendæ Eccleſiæ Epiſcopales, quibus conjuncta eſt actualis reſidentia, quindi eis committi poterunt Epiſcopales Eccleſiæ, quæ cum ſubjectæ ſint Infidelium imperio, nullo actualis reſidentiæ vinculo Paſtorem adſtringunt? Cardinalium quidem dignitatem Epiſcopali dignitati præſtare, quod illi Romani Pontificis lateri adhæreant: at ratione Ordinis, Epiſcopos Cardinalibus præire, atque adeo hos ad Epiſcoporum Ordinem adſcitos, e ſuperiori gradu ad inferiorem minime deſcendere. Addit, exemplo non uno id totum evinci: ſiquidem nedum ſubacta a Turcis Conſtantinopoli, Cardinales plures donati fuere Patriarchali titulo illius Eccleſiæ, verum etiam anno 1599. cum Cardinalis Ferdinandus de Guevara conſtitutus eſſet a Rege Supremus in Hiſpania Fidei Inquiſitor, illum Clemens VIII. creavit, conſecravitque Epiſcopum Eccleſiæ titularis Philippenſis. Eo exemplo Pontifex laudatum Cardinalem delle Lanze conſtituit & unxit Archiepiſcopum Nicoſienſem.

XV. Ex hac doctiſſimi & ſapientiſſimi Pontificis epiſtola duo emergunt, quæ Magni Capellani dignitatem inſigniter extollunt. Horum primum illud eſt, Magnum nempe Capellanum agere Antiſtitem Aulæ: *La carica*, ait Pontifex, *di Grand' Elemoſiniere, o ſia di Capellano Maggiore della Regia Capella, porta ſeco il Carattere Veſcovile*; adducitque mox Petri Gallandii verba in vita Petri Caſtellani: *Aulæ totius Regiæ unicus Epiſcopus eſt; quocumque in loco per totum Regnum Rex verſetur, ab eo Sacramenta petere ſolet*. Addit, ex Eleemoſynariorum indice edito a Cangio colligi, Epiſcopis ſemper id munus collatum; & in Brevi dato 11. Auguſti 1745. ſe decreviſſe, ut Magnus Eleemoſynarius Regis Sardiniæ, Epiſcopali ornatus eſſet dignitate. Sane nedum Magni Eleemoſynarii Regum Galliæ tertiæ ſtirpis, ſed etiam Archicapellani Regum ſecundæ ſtirpis ex Epiſcoporum numero plerumque ſelecti fuere. Et hi abſolvebantur a reſidentiæ legibus, ut non uni, ſed omnibus Eccleſiis Regni, in Aula deſervirent. Proinde ubi Carolus M. petiit a Patribus Concilii Francofordienſis, ut ſibi integrum eſſet retinere in Palatio Hildeboldum Colonienſem Antiſtitem, uti legitur can. 55. *Omnis Synodus conſenſit, & placuit ei, eum in Palatio eſſe debere propter utilitates eccleſiaſticas*. Imo Patres Concilii Cariſiacenſis an. 858. cap. 7. a Rege Ludovico petierunt, ut conſtitueret in Palatio, qui Eccleſiarum, & Epiſcoporum negotiis apud Principem gerendis vacaret. Fuſe oſtendit doctiſſimus Thomaſſinus par.2.lib.3.cap.36. commorationem in Aula Regia juſſu Principis, ſemper legitimam fuiſſe cauſam Epiſcopo non reſidendi. Hinc Capellani, Conſiliarii, Cancellarii, Legati plurimi ex Epiſcoporum Ordine in Aula verſabantur. Ne vero Eccleſiis ſibi commiſſis deeſſent, conſueverunt illarum curam alicui delegare: uti ab Aigliberto Epiſcopo Cenomanenſi, & Archicapellano, factum legitur in ejus actis editis a Mabillonio; illi enim adjutor, & Chorepiſcopus datus eſt Petrus, *ut quando ipſe præoccupatus in ſervitio Regali erat, prædictus Chorepiſcopus ei adjutorium procuraret aliquod, quantum a prædicto Domino Aigliberto licite & canonice ei concedebatur*. Itaque Epiſcopis ut plurimum Archicapellani officium demandabatur; quandoque tamen Abbatibus Presbyteris, in quorum numero fuere Fulradus, Hilduinus, Grimoaldus, aliique plures. An etiam Diaconis, uti affirmat

Ade-

Adelardus in libello de Ordine Palatii; merito in dubium revocamus. Nam id potius veteres Apocriſiarios ſpectat, quos ille eoſdem facit ac Magnos Capellanos. Apocriſiarii quidem ſæpiſſime e Diaconorum numero fuere, utpote quia a Sardicenſi Concilio ſtatutum fuit, ne Epiſcopi ipſi peterent Urbem Regiam, ſed Diaconos ſuos eo mitterent ad Eccleſiarum negotia pertractanda. Et ſane ſedis atque honoris prærogativa ſupra Epiſcopos, prima ſedes inter Palatii miniſtros, cura & adminiſtratio ſumma cauſarum eccleſiaſticarum, mira Epiſcoporum erga Archicapellanos obſervantia, ejuſmodi res ſunt, quæ Epiſcopis, aut ſaltem præſtantiſſimis Presbyteris conveniant, non Diaconis. Neque facile invenias Diaconum, qui Archicapellani munus obierit; quamvis Mabillonius lib. 26. Ann. Bened. conjiciat, Angilbertum Abbatem nonniſi Diaconum fuiſſe, leviſſimo ductus argumento, quod Alcuinus in multis ad eum epiſtolis, numquam illum Presbyterum dicat.

XVI. Denique alterum conſequitur ex laudata Sanctiſſimi Papæ epiſtola, Cardinalibus nempe Magni Capellani munus convenire; eo ipſo quod Cardinalem duxerit ordinandum Epiſcopum, ut hoc munere fungeretur. Et id quidem ſcitiſſime. Quamvis enim regnante Henrico IV. Francorum Rege, nonnullis viſum fuerit id minime convenire; hos tamen Peiratius lib. 1. cap. 63. pluribus refellit, eo præſertim, quod Reges cæteris laicis haud ſint comparandi, cum illorum ſumma, & ſacra ſit dignitas, atque perſona, illorum etiam plurima & graviſſima ſint erga Romanam Eccleſiam merita. Addit hujus rei exempla non pauca, nec nova. Nam Cardinalis de Alliaco Eleemoſynarium egit Caroli VI. & Cardinalis de Boiſy Magnum Eleemoſynarium Ludovici XII. Cardinales le Veneur, & de Meudon, eodem munere functi ſunt apud Franciſcum I. tum etiam Cardinales Salviati, & Bonzi apud Catharinam, & Mariam e Medicea familia Galliæ Reginas. Subdit nedum Magni Eleemoſynarii gradum, qui omnium eſt ampliſſimus, Cardinales obtinuiſſe; ſed & inferiores gradus. Siquidem Cardinalis le Veneur egit anno 1540. Magiſtrum Oratorii Franciſci I. & Cardinalis de Tournon Magiſtrum Capellæ Cantorum: Cardinales Gondy, & Retz fuere Magiſtri Oratorii Regii, imperantibus Henrico III. & Henrico IV. His exemplis alia addi poſſunt recentiora Cardinalium Perronii, Rochefocaltii, Barberini, Richelii, Bullionii, Janſonii, qui Magni Eleemoſynarii officium geſſerunt; & noſtris temporibus ab anno 1713. functus eſt hoc munere in Gallia ampliſſimus Cardinalis Rohanius Epiſcopus Argentoratenſis. Quodnam vero ſit officium Magni Eleemoſynarii prædicti Regis Sardiniæ, ſequenti Capite perſpectum erit.

XVII. Normannis Principibus plures in Comitatu ſuo adhæſiſſe Clericos, Capellanoſque, jam alibi diximus; conſequens inde fuit unum aliquem cæteris præfuiſſe. Et ita rem ſe habuiſſe evincit diploma quoddam datum anno 1120. a Gauſrido Comitis Rogerii filio in gratiam Catanenſis Eccleſiæ, quod exhibet Pirrus agens de Anſgerio illius civitatis Epiſcopo. Huic enim diplomati ſubſcribunt inter alios duo Presbyteri Capellani Comitis, & Magiſter Capellanus, hoc eſt, qui cæteris Capellanis præerat: *Petrus Magiſter Capellanus ipſius*, *&* *Petrus alius Presbyter*, *&* *Stephanus alius Presbyter*. Magiſterii enim vox præfecturam denotat, unde qui aliis præſtabant, Magiſtri dicebantur. Proinde fatendum eſt, Majoris Capellani dignitatem in Aula noſtrorum Principum, non Svevorum, aut Andegavenſium dumtaxat,

 ſed

ſed etiam Rogerii Regis ætate vetuſtiorem. At alium Majorem Capellanum indicat alibi Pirrus, Rogerio Rege antiquiorem. Is enim in notitia Eccleſiæ Agrigentinæ, primum Epiſcopum hujus Civitatis poſt ejectos Saracenos S. Gerlandum, Normannorum Principum Roberti & Rogerii conſanguineum, dicit Majorem egiſſe Capellanum Rogerii Comitis Siciliæ, & Calabriæ. Id vero colligit ex diplomate quodam anno 1092. ab eo Comite conceſſo Eccleſiæ Catanenſi. Atqui tamen ibi Geraldus ſubſcribit Capellanus: *Ego Geraldus Capellanus domini Rogerii Comitis ſimiliter,*. Potuit tamen Geraldus ſive Gerlandus dici Capellanus, quamvis Capellanorum eſſet primus, præcipuuſque. Ita Fulradus ſæpe dictus eſt Pipini Capellanus; cujus tamen certum eſt Archicapellanum ſuiſſe, & Archipresbyterum Franciæ. Quin ſub tertia Regum Francorum ſtirpe, obſoleta jam veteris Archicapellani denominatione, qui Sacramenta Regibus adminiſtrabat, nonniſi Capellanus dicebatur. Geraldum vero, non ſimplicem Capellanum, ſed ex Capellanis præcipuum ſuiſſe, conjici poteſt ex ſubſcriptionis loco, quod nempe ſtatim poſt Archiepiſcopos Tarentinum & Conſentinum ſubſcribat, ante ipſius Comitis filios Gauffridum, & Jordanum, cæteroſque Aulæ Magnates. Idipſum etiam ſuadet nobiliſſimum Geraldi genus, utpote quia Roberto, & Rogerio cognatione conjunctus erat. Sed an idem Geraldus hic Capellanus Rogerii, cujus extat mentio in diplomate Catanenſis Eccleſiæ, ac Gerlandus Epiſcopus Agrigentinus, uti Pirrus cenſet, non ita certum, exploratumque videtur. Illud tamen certum eſt Rogerio primo Siciliæ Regi ſuum adſuiſſe in Aula Magnum Capellanum, qui Magiſter Capellanus dicebatur. Cum excitaſſet ille Palatinam Eccleſiam, & numeroſum Clerum addixiſſet ſacro hujus Eccleſiæ miniſterio, eamdemque etiam Parochiali jure donatam voluiſſet; conſtituendus ſane erat, qui cæteris præeſſet, & qui rem ſacram univerſam in Palatio moderaretur. Quare a prima illius Eccleſiæ fundatione ordinatos Magiſtrum Capellanum, ſeu Capellanum Majorem, Canonicos, alioſque Capellanos, teſtatur Pirrus e publicis Tabulariis, in notitia Palatinæ Capellæ. Hoc officio Majoris Capellani donatus eſt anno 1148. a Rogerio Rege Joannes de Nuſco Monachus Congregationis Montis Virginis, ſocius S. Guillelmi, & ſcriptor illius vitæ. Rogerius enim, conſtructo prope Aulam Panormitanam inſigni Monaſterio, Guillelmum, cui erat addictiſſimus, ejuſque ſocios ex Apulia accerſerat, ut illic Monaſticam diſciplinam inducerent; & ab his ſanctis viris, Monaſterium illud dictum eſt S.Joannis de Eremitis. Hujus itaque Monaſterii Abbatem, quam dignitatem primus geſſit Joannes de Nuſco, declaravit, conſtituitque ſuum Confeſſarium, Conſiliarium, & Magnum Capellanum, dato diplomate, quod exhibet Pirrus in notizia Abbatiæ S. Joannis de Eremitis. Ibi Rogerius ait: *Volentes Abbatem ipſius Monaſterii inter ceteros Prælatos Regni noſtri æquali ſpeciali dignitatis privilegio gaudere; eumdem, & omnes ſibi ſuccedentes canonice in officio Abbatis, Conſiliarios, & familiares noſtros eligimus; ſtatuentes, ut idem Abbas ſemper in omnibus feſtivitatibus ſolemnibus tamquam Præcipuus Capellanus noſter, quem nobis Patrem ordinavimus, & ſpecialiſſimum Confeſſorem, ad celebrandum Divina in Capella ſupradicta noſtri Palatii Panormitani, Prælatis Regni noſtri cæteris præponatur; ut qui Nobis in noſtro Palatio majori vicinitate lætatur, ampliori gaudere debeat prærogativa honoris, nec alius Prælatus præter ſui continentiam & conſenſum, vel eo invito in prædictis feſti-*

vita-

vitatibus in Capella prædicta celebrare præſumat. Ut itaque Abbatem illum Rogerius ſummo honore proſequeretur, eumque cæteris Prælatis Regni parem faceret, imo ſpeciali prærogativa augeret, illi contulit Magni Capellani dignitatem, eumdem quoque in Conſilium ſuum adſcivit. Quo perſpicuum fit, Magnum Capellanum Regum noſtrorum, in ipſo rei initio, ampliſſimum obtinuiſſe locum honoris, & dignitatis. Illud etiam ex laudato diplomate colligitur, Prælatos ſcilicet Regni conſueviſſe in magnis ſolemnibus in Capella Regis facere rem Divinam, id vero proprio jure ſpectaſſe ad Magnum Capellanum, ita ut nemini fas eſſet, niſi eo permittente. Cæterum in Aulam Regum Siciliæ, haud tunc primum Magni Capellani munus illatum fuerat. Nam eo fortaſſe functus eſt anno 1137. & 1140. Thomas quidam, cujus occurrit mentio in diplomate Rogerii Regis, in gratiam S. Guilielmi Fundatoris Montis-Virginis dato, quod legitur in ejuſdem ſancti Eremitæ vita a Joanne de Nuſco ejus diſcipulo exarata, atque a Bollando edita die 25. Junii. Hoc enim diploma, cui ſubſcribunt Guilielmus Princeps Taranti, filius Regis, aliique Proceres Aulici, dicitur: *Datum Panormi, per manum Magiſtri Thomæ Capellani Regis, octavo Kalen. Septembris, Indictione XV. Incarnationis Dominicæ anno MCXXXVII.* Similia leguntur in alio diplomate dato anno 1140. Veriſimile eſt, hunc Thomam utroque officio, & Magiſtri Capellani, ſeu Capellani Majoris, & Cancellarii functum eſſe; cum hæc duo officia ſæpiſſime copularentur.

XVIII. Nec a vero plurimum diſtat, Robertum illum de Urbo Capellanum Rogerii Regis, & Magnum Siciliæ Cancellarium, cujus meminit Pirrus in Chronologia Regum Siciliæ, Magnum fuiſſe Regis Capellanum. Jam enim adnotavimus, Summos Capellanos, quandoque ſimplici Capellanorum titulo nuncupari. Sane Gualterius ille, qui ex Anglia Siciliam venit una cum Joanna filia Henrici Regis Anglorum nuptura Willelmo II. Siciliæ Regi, Magni Capellani officium geſſit, etſi a Petro Bleſenſi in ep. 10. ad eum data, nonniſi Capellanus Regis dicatur. Quæ enim illi ſcripſit Bleſenſis, hujuſmodi ſunt, quæ Magno Capellano conveniunt. Agebatur de Eccleſiæ Agrigentinæ Sacerdotio, quo Rex donare propoſuerat fratrem Comitis Loritelli imparem tanto miniſterio. Ne itaque tantam Eccleſia illa ſubiret calamitatem, & ne Rex tanti criminis reatu innodaretur, Bleſenſis gravem conſcripſit epiſtolam Gualterio Capellano, ut pro ea qua apud Regem valebat auctoritate, officio ſuo ſaceret ſatis, Regemque a propoſito removeret. Ita ille: *Si non annuntiaveris impio impietatem ſuam, ipſe in impietate ſua morietur, & ejus anima de tuis manibus requiretur. Ovis tua eſt, & in periculum tuum, ipſius cuſtodiam ſuſcepiſti. Vide, ne alios imiteris, qui lac, & lanam quærunt de ovibus, non ſalutem. Periculoſum eſt tibi, ſi in tonſoris officium, convertas miniſterium Paſtorale*. Gualterius itaque exercebat miniſterium Paſtorale, Rex erat illius ovis, ad illum ſpectabat cura animæ Regis, illius partes erant Regem ab impietate prohibere, cui officio ſi ille defuiſſet, pœnas daturus erat. Atqui hæc omnia compertum eſt, non ſimplici Capellano, ſed Magno Capellano convenire: atque adeo id muneris geſſit Gualterius, ejuſque partes fuerunt, non modo Sacris operari in Capella Regis, ſed inſuper exercere miniſterium Paſtorale. Is vero genere nobiliſſimus, utpote quem nonnulli aſſerunt conſanguineum Henrici Regis Anglorum, plurimum valuit gratia apud Willelmum Regem, magniſ-

gniſque honoribus auctus eſt. Nam Regis Inſtitutor fuit; cujus rei meminit idem Petrus Bleſenſis ep. *66.* ad ipſum data: *Scitis, quod Dominus Rex Siciliæ per annum diſcipulus meus fuit, qui & a vobis verſificatoriæ, atque litteratoriæ artis primitias habuerat, per induſtriam & ſollicitudinem meam beneficium ſcientiæ plenioris obtinuit*. Fuit & Regis Conſiliarius, ejuſdem etiam Cancellarius, pluribuſque donatus Sacerdotiis, ac tamdem Panormitanam ſedem conſcendit. Jam habes in Aula Normannorum Regum Magnos Capellanos genere, vel pietate præſtantiſſimos, qui Conſilio Principis intererant, aut Cancellarios agebant, Sacris operabantur in Capella Regis, & gerebant Paſtoris miniſterium.

XIX. Quod Svevos attinet, in horum Principum Aula Magnum Capellanum extitiſſe, aſſerit Freccia in libro de Subfeudis, agens de Officio Magni Cancellarii, ubi ait, obſervaſſe ſe *in proceſſu quodam antiquo ſub Federico II. Capellanum Majorem aſſiſtentem in Cancellaria, qui præſtabat juramentum partibus, ſi quid ultra, quam eſſet taxatum, erogaſſent, aut promiſiſſent, & ubi in Cancellaria in expeditione litterarum pars opponebat, data copia, duo Judices Magiſtri Juſtitiarii ſedentes legebant, & ſi approbabant, ſigillabantur, & per ſigillatorem adſignabantur Capellano*. Et quidem priſci eſt inſtituti, ut coram Aulico Capellano ſacramenta præſtarentur, quæ Regibus debebantur. Res etiam fuit uſitatiſſima, ut Capellanis Aulicis Cancellaria Principis committeretur. Ex hoc itaque receptiſſimo more, Svevi Siciliæ Reges, iidemque Imperatores, Magno ſuo Capellano Cancellarii munus addiderunt. Sed an Gualterius ille de Palena, Epiſcopus Trojæ primum, deinde Catanenſis, tum Panormitanus, cui Papa Innocentius III. Friderici pueri tutelam commendaverat, & qui ſub Henrico IV. Imperatore, & Friderico filio egit Cancellarium Regni Siciliæ, fuerit ſimul eorumdem Principum Magnus Capellanus, haud ſatis eſt exploratum. Veriſimile tamen eſt, ita ſe rem habuiſſe, quod apud Germanos Imperatores utrumque munus Archicapellani, & Archicancellarii conjungi, & ab eodem adminiſtrari conſueverit, ut alibi diximus. Conſtat vero e Regiis Tabulariis Siciliæ, uti legitur to. 2. Siciliæ Sacræ in notitia Capellaniæ Majoris S. Luciæ de Milacio, circa annum 1206. Gregorium Muſtaccio Majorem fuiſſe Capellanum Friderici Imperatoris, ac Siciliæ Regis; cui Imperator conceſſit oppidum S. Luciæ de Milacio, quod antea juris erat Eccleſiæ Pactenſis, quodque Imperator pro ſuis deliciis elegerat. Eccleſia itaque illius oppidi, quæ ante hæc tempora ſpectabat ad Diœceſim Epiſcopi Pactenſis, exinde ſubjecta fuit juriſdictioni & curæ Majoris Regii Capellani; ita ut ſequentibus ſæculis ad noſtram uſque ætatem Abbas S. Luciæ de Milacio ſimul eſſet Major Capellanus Regni Siciliæ. Attamen etſi a Friderici Imperatoris ævo Major Capellanus addictus fuerit illi Eccleſiæ, non inde tamen excidit juriſdictione & cura Capellæ Palatinæ. Id enim contigit nonniſi circa annum 1580. cum a Regio Viſitarore Franciſco de Puteo declaratum fuit, Majorem Capellanum adſtringi reſidentiæ legibus in ſua Eccleſia S. Luciæ de Milacio; exinde tum ob Regum abſentiam, qui in Hiſpania imperium adminiſtrabant, tum ob ipſius Majoris Capellani abſentiam ab Aula Panormitana, factum eſt, ut animarum cura in Aula Cantori Capellæ Palatinæ, juriſdictio vero in Clericos Palatinos Judici Regiæ Monarchiæ adſcriberetur.

XX. Aragoniis in Sicilia imperantibus, quanti fecerint Reges Majores ſuos Capellanos facile conjici poteſt ex ampliſſimis muneribus, & Legationibus, quas illis ſæpiſſime demandarunt. Damianus de Palicio Magiſter Capellanus Petri II. Siciliæ Regis, fuit & ejus Conſiliarius, Cancellarius, ac Regni Logotheta: uti conſtat e privilegio quodam Petri II. conceſſo Eccleſiæ Catanenſi, quod datum dicitur anno 1337. *Per Venerabilem Damianum de Palitio de Meſſana Juris civilis Profeſſorem, Regni Siciliæ Logothetam, & Cancellarium, Capellæ noſtræ Magiſtrum Capellanum*. Extat apud Pirrum in notitia Catanenſis Eccleſiæ: qui idem in Epiſcopis Mazarienſibus narrat, Damianum de Palicio una cum Peregrino de Pactis Ordinis Prædicatorum, Majore Capellano Friderici II. Regis, Oratorem miſſum ad Joannem XXII. Pontificem, ut convenientibus Sedis Apoſtolicæ Legatis, fœdus initum inter Fridericum Siculum, & Robertum Neapolitanum Reges executioni mandaretur. Ubertinum Epiſcopum Pactenſem, Magiſtrum Capellanum ſuum delegavit Fridericus III. cauſa tractandæ pacis cum Joanna Neapolitanorum Regina: itidem Dionyſius de Murcia, Antiſtes Meſſanenſis, & ejuſdem Regis Major Capellanus varias obiit Legationes ad pacem inter Joannam, & Fridericum conciliandam. Cum Maria Friderici III. filia, Regnique hæres, nupſiſſet Martino Aragonio, cui Urbanus VI. infenſus erat, e contra favebat Pſeudo-Papa Clemens VII. cumque exhinc plurima, & diuturna diſſidia Regnum perturbaverint, tandem iis auctoritate Pontificia componendis, Orator mittitur ad Bonifacium Papam Simeon de Puteo Epiſcopus Catanenſis, & Aulæ Regiæ Major Capellanus. Conjici etiam poteſt hujus dignitatis amplitudo apud Aragonios Siciliæ Reges, quod nonniſi ampliſſimis viris committeretur. Hi enim plerumque Epiſcopali dignitate, doctrina, pietate eminebant, uti Fr. Ubertinus de Corleone Franciſcanus, Epiſcopus Pactenſis, & Philippus Criſpus Antiſtes Meſſanenſis, Friderici III. Majores Capellani: Simeon de Puteo Dominicanus, Inquiſitor generalis Fidei in Sicilia, Catanenſis Pontifex, Major Capellanus Martini Regis: Philippus de Ferrario Carmelita magni nominis, Epiſcopus Pactenſis, Major Capellanus Regis Martini: Dionyſius de Murcia Auguſtinianus, vir doctiſſimus, Meſſanenſis Archiepiſcopus, Major Capellanus Friderici Regis, aliique plures præſtantiſſimi viri, quorum ſeriem dabimus in calce hujus Operis. Ex ea ſerie illud perſpectum erit, Majores Capellanos Aragonum Siciliæ Regum fere omnes e Cœnobiis adlectos, hoſque vel Epiſcopali jam donatos dignitate, vel mox ad Epiſcopatum evehendos, eoſdem non raro fuiſſe a Regum Conſilio, quandoque etiam ab eorumdem Confeſſionibus audiendis. Neque deſiit in Sicilia id ampliſſimum munus; quum e vivis ſublato Martino II. nulla ſuperſtite prole, imperii jura ad Ferdinandum Aragoniæ Regem, qui defuncto Regi proximior erat, quique Cæſarauguſtæ degebat, pervenerunt. Imo cum anno 1413. Legationem obiret apud Ferdinandum Regem Philippus Ferrarius, Pactenſis Epiſcopus, & Regni Magiſter Capellanus; cumque interim a Rege id muneris obtinuiſſet Thomas Chryſaphi Meſſanenſium Antiſtes, declaratum a Rege fuit, noluiſſe ſe Pactenſis Præſulis juri derogare in litteris, quas exhibet Pirrus de Epiſcopis Meſſanenſibus: *Per Venerabilem in Chriſto Patrem, Oratorem, & Conſilarium noſtrum dilectum Epiſcopum Pactenſem fuit Majeſtati noſtræ nuper humiliter ſupplicatum, atque expoſitione narratum: ipſo tenente & pacifice poſſiden-*

te,

te, & quiete ab annis duodecim circa, vigore Regiæ conceſſionis Illuſtriſſimi Principis Domini Regis Martini noſtri conſobrini celebris memoriæ, officium Magiſtri Capellanatus Regni Siciliæ ad vitæ ipſius exponentis curſum, facta pridem nobis inſtantia pro parte Reverendi in Chriſto Patris Archiepiſcopi Meſſanenſis, qualiter dictum officium Magiſtri Capellanatus jam vacabat, nulla facta mentione de poſſeſſione & titulo exponentis ejuſdem: Archiepiſcopus, tacita veritate, noſtri reſcripti proviſionem obtinuit a noſtra Majeſtate, non ſine gravi præjudicio juris ipſius Epiſcopi, & poſſeſſoris ejuſdem. Ideo pro ſupplicante prædicto declaramus, & vobis dicimus, quod noſtræ intentionis numquam fuit de dicto officio alicui providere cum juris alieni præjudicio. Ex his vero colligitur, quandoque hoc munus perpetuo alicui addictum fuiſſe.

XXI. Jam vero Majori Capellano incumbebat ſacrarum rerum in Aula adminiſtratio. Ad hanc rem Gregorius XI. has literas Avenione dedit anno 1372. in gratiam majoris Capellani Friderici Regis Siciliæ, quas exhibet Wadingus in Annalibus Fratrum Minorum: *Dilecto filio Ubertino de Coriolano, Ordinis Fratrum Minorum Profeſſori, ſacræ Theologiæ Magiſtro, Capellano noſtro. Devotionis tuæ ſinceritas promeruit, ut votis tuis, illis præſertim, quæ ad tuæ, aliorumque Chriſti fidelium animarum ſalutem cedere valeant, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Tuis itaque ſupplicationibus inclinati, ut dilecto filio Magnifico viro Friderico de Aragonia Inſulam Siciliæ regenti, cujus, tu, ut aſſeris, Magiſter Cappellanus es, omnibus de genere ſuo, & familiaribus continuis commenſalibus, & Clericis dictæ Capellæ dicti Friderici in ea continue ſervientibus, quælibet Eccleſiæ Sacramenta libere miniſtrare valeas, Rectoris Parochialis Eccleſiæ, infra cujus Parochiam dicta Capella exiſtit, vel cujuſcumque alterius licentia ad hoc minime requiſita, devotioni tuæ, tenore præſentium, auctoritate Apoſtolica, de ſpeciali gratia idulgemus*. Unde patet, conſueviſſe Reges a Magnis ſuis Capellanis Sacramenta percipere. Iidem præerant Clericis Palatinis. Pirrus enim in Epiſcopis Panormitanis refert, Bartholomæum Antiochenum, ſummo loco natum, Magiſtrum Capellanum Friderici II. Siciliæ Regis, diremiſſe litem inter Guarinum Renda Canonicum, & Rainerum Clericum Capellæ Regiæ: & in notitia Mazarienſis Eccleſiæ narrat, Fratri Peregrino de Pactis Majori Capellano Friderici Regis, & Epiſcopo Mazarienſi, duos fuiſſe Vicarios Generales, unum regendæ Mazarienſi Ecclaſiæ, alterum definiendis negotiis Canonicorum, & Clericorum Regiæ Capellæ. Atque id juris Magiſtro Capellano vindicavit Rex Martinus datis litteris Catanæ anno 1406. Joanni de Procida Archiepiſcopo Panormitano relatis a Pirro in notitia Capellæ Regiæ S. Petri, & in notitia Panormitanæ Eccleſiæ. In litteris teſtatur Rex, ex antiqua conſuetudine & privilegiis prædeceſſorum Regum, Magiſtrum Capellanum Clericis Palatinis imminere, & proinde: *Vos Reverendum electum Panormitanum Antiſtitem, & alios quoſcumque Prælatos requirimus, & hortamur, quatenus eundem Michaelem unum ex duodecim Canonicis dictæ Capellæ noſtræ pro quibuſvis cauſis, & domandis contra eum motis, & de cætero movendis ad petitionem alicujus coram vobis convenire nullatenus præſumatis, ſed eum ad dictum noſtrum Magiſtrum Capellanum, vel ejus Locumtenentem, quem propterea in dicta noſtra Urbe Panormi ordinare volumus, & jubemus, protinus remittetis*. Erant quoque Magiſtro Capellano ſubjecta Monaſteria Regii patronatus. Hinc Ar-

chie-

chiepiſcopo Meſſanenſi, quod jurisdictionem ſuam explicaret in Monaſterium quoddam Monalium dictum de Baſico, ſcripſit Rex Ludovicus, *ne Regii Capellani Majoris jura violaret, cujus ſcilicet poteſtati ex Pontificio diplomate ſubjectum erat Monaſterium illud de Baſico, ac Templum S. Mariæ de Caſtro ad mare*. Eidem ſcripſit in eamdem rem Eliſabeth Ludovici mater, anno 1345. his plane verbis. *Cum ad audientiam noſtram pervenerit, quod vos Monaſterium Monialium, quæ fuerunt de Baſico, conſtructum nuper in nobili civitate Meſſanæ per Majeſtatem noſtram, quod ad Capellam Regiam ſpectare dignoſcitur, nitimini veſtræ juriſdictioni ſubmittere, & de hoc non modicum admirati, vos expreſſe requirimus, ut de dicto Monaſterio, & ejus Monialibus ibi per noſtram Excellentiam conſtitutis, vos nequaquam intromittere debeatis*. Refert has litteras Pirrus in notitia Meſſanenſis Eccleſiæ. Denique Major Capellanus Regum Siciliæ neque ſolum ſacrum miniſterium in Aula exhibebat, neque præerat dumtaxt Clericis, & Monaſteriis Regiis, ſed etiam plurima gerebat eccleſiaſtica Regni negotia. Cum enim Siciliæ Reges fungerentur legatione Apoſtolicæ Sedis, quam Urbanus II. illis addiderat, & quam nuper eiſdem confirmavit Benedictus XIII. hinc eo nomine plurima eccleſiaſtica Regni negotia ad ipſos deferebantur, quæ ad Monachos, Moniales, Clericos, Eccleſiaſque ſpectabant. Hæc vero negotia, uti e publicis monumentis teſtatum facit Pirrus in notitia Eccleſiæ Troinenſis, Siculi Reges abſolvebant per Summos Aulæ Regiæ Capellanos, vel per alios quandoque Præſules, aut utriuſque Juris Doctores. Abſentibus vero e Sicilia Regibus, conſueverunt Proreges eccleſiaſticas haſce quæſtiones in cauſis appellationum, plerumque viris in eccleſiaſtica dignitate conſtitutis demandare. Tandem circa annum 1570. rem promovente Pio V. ſanctiſſimo Pontifice per Cardinalem Alexandrinum, quem Legatum ablegaverat in Hiſpaniam, conſtitutus eſt Judex Ordinarius, quem vocant Judicem Regiæ Monarchiæ, a Rege deligendus, & eccleſiaſtica dignitate conſpicuus, cui in Sicilia commiſſa ſunt negotia eccleſiaſtica, nomine Regis expedienda, quod olim muneris erit Majoris Capellani. Is itaque, imperantibus Aragoniis, magno in honore erat, plerumque ex Epiſcoporum numero; atque res ſacras, Clerum Palatinum, Monaſteria Regia, negotia plurima eccleſiaſtica moderabatur.

XXII. Ab Aragoniis ad Auſtriacos Hiſpaniæ Reges, & in Hiſpania commorantes, devolutum eſt Siculorum imperium. Adhuc Majori Capellano ſervabatur juriſdictio in Capellam Regiam, & Capellanos Palatinos, cum Ferdinandus Rex Aragoniæ, Siculo Regno potitus eſt: ſiquidem in literis datis anno 1479. ut Franciſcum de Vitale Cantorem Capellæ Palatinæ in Abbatem S. Luciæ de Milatio, & Majorem Capellanum promoveret, quæ leguntur to. 2. Siciliæ ſacræ, in notitia Capellæ Regiæ, aſſerit Canonicos Palatinos illius juriſdictioni ſubjectos. Excidit tamen hac juriſdictione Major Capellanus anno 1580. cum a Regio Viſitatore Franciſco de Puteo declaratum fuit, obligari illum ad reſidentiam in ſua Eccleſia S. Luciæ: ex eo enim temporis, Aulicorum ſpiritualis cura adſcripta eſt Cantori Capellæ Palatinæ, quam gerit per Capellanum ad id muneris deſignatum; juriſdictio vero in Capellanos omnes Regios adſcripta eſt Judici Regiæ Monarchiæ. Tum etiam in Capella Palatina coram Proregibus rem Divinam faciunt in magnis ſolemnibus aut Cantor, aut Judex Regiæ Monarchiæ. At non ſemel Majores Capellani, ſeu Abbates S. Luciæ da Milacio

ſua

ſua ſibi jura vindicarunt, præſertim ubi Reges, vel Regiis ſanguinis Principes Siciliam adiiſſent. Quo caſu ſibi deberi ſacrarum rerum celebrationem, & Regiæ menſæ benedictionem contenderunt, & obtinuerunt. Ita cum anno 1535. victor a Tunetana expeditione Carolus V. Imperator Siciliam appuliſſet; Hieronymus Zafferana Capellanus Major Regni, & Abbas S. Luciæ, munia officii ſui obivit Miſſas celebrando coram Imperatore, & Regias dapes benedicendo, ut legitur to. 2. Siciliæ ſacræ in notitia Abbatiæ S. Luciæ de Milacio. Anno 1650. Regnum Siciliæ moderante, nomine Philippi IV. Regis, Joanne Auſtriaco ejus filio; Martinus la Farina Major Capellanus inſtitit apud eumdem, ut ſibi fas eſſet officio ſuo fungi: id enim nedum ad Reges, ſed etiam ad Regii ſanguinis Principes extendi, quemadmodum in Regnis Luſitaniæ, Neapolitano, & Belgio cum Mantuanorum Duciſſa, & Sereniſſimo Cardinale Infante actum fuiſſe probabat. Re delata ad Benedictum de Trelles Conſultorem Regni, ut ſententiam diceret, is hoc ſuffragium tulit die 20. Maji 1651. *Abbatia S. Luciæ, & Capellania Major hujus Siciliæ Regni ab anno 1250. a Friderico Imperatore, ac Siciliæ Rege unitæ, antiquis temporibus ob Regum in eodem Regno præſentiam Prælatis, Epiſcopis, Archiepiſcopis conferebantur, qui Regibus eo in munere inſervientes, Majoris Capellani vices gerebant, uſquedum Siciliæ Regno Aragonio annexo, Regibus ut plurimum abſentibus, paſſim id munus priſco excideret honore; ex quo quidem tempore Abbatibus conferri conſuevit, quorum primus Joannes de Stefano Parci Abbas Ordinis Ciſtercienſis circa an. 1424. enumeratur. Exinde igitur variis Abbatibus, viriſque Eccleſiaſticis, Majoris Capellani dignitas, ac S. Luciæ Abbatia collata legitur, qui nedum munia Capellani obibant, ſed & judicium in alios Regiæ Capellæ Miniſtros ferebant uſque ad annum 1587. quo aſſumpto ad idem munus, atque Abbatiam D. Hieronymo Riggio, atque ad reſidentiam in propria Eccleſia coacto, juriſdictio in Capellanos Regiæ Capellæ S. Petri Judicibus Regiæ Monarchiæ ceſſit, ac Magiſtri cæremoniarum munus pro libitu a Proregibus fuit collatum. Conſtat id ex variis Chirographis a Comitibus de Alba, & Olivares Proregibus an. 1590. & 1595. emanatis; hinc regulariter Domini Proreges cæremoniarum Magiſtros ſibi deligebant, juriſdictio in Regiam Capellam, ejuſque Miniſtros per Judices Regiæ Monarchiæ exercebatur, atque S. Luciæ Abbates Majores Regni Capellani propriæ Eccleſiæ regimini addicti ab exequendis ſuæ dignitatis muniis abſtinuere. Ex hac itaque ſerie, atque enarratione apparet, quæ ſint officia Majoris Capellani propria, ea quidem omnia, quibus in Belgio, Hiſpania, & Neapoli Majores Capellani fruuntur.* Sed Sereniſſimi Proregis diſceſſu, rem adhuc ſuſpenſam definivit ejus ſucceſſor Dux de Infantado, Chirographo anni 1655. quo Majori Capellano reſtituita ſunt vetera jura circa res ſacras. Hinc cum Siciliam adiit anno 1714. Sereniſſimus Rex Victorius Amedeus Dux Sabaudiæ, Franciſcus Barbara, qui tunc temporis præerat Abbatiæ S. Luciæ, & Major erat Regni Capellanus, Sacris operatus eſt coram Principe, hujus menſam benedictione donavit, cæteraſque officii ſui partes implevit. Cæterum Abbas S. Luciæ tamquam Major Capellanus in generalibus Regni Comitiis, quæ Parlamenta dicuntur, ſedet undecimo loco, nempe poſt novem Regni Epiſcopos, & Archimandritam Meſſanenſem; tum inter Epiſcopos numeratur, unde titulo donatur eodem, quo cæteri Epiſcopi, ſicuti Regiis Edictis ſtatutum eſt. Juriſdictionem quaſi

quaſi Epiſcopalem exercet in Eccleſia, & oppido S. Luciæ, aliiſque ſibi ſubjectis, ubi Pontificalia agit, cenſuras infligit, jus dicit in civilibus, & criminalibus cauſis, Confeſſarios adprobat, litteras dimiſſoriales conſcribit, diſpenſat in interſtitiis, Beneficiarios inſtituit, benedicit ſacra inſtrumenta non conſecranda, & violaceis veſtibus tam ibi, quam alibi utitur.

XXIII. Haud facile Andegavenſes Neapolitani Reges illum neglexiſſent morem, qui nedum obtinuerat apud prædeceſſores Siciliæ Reges Normannos, Svevoſque; verum etiam ſolemnis erat Francorum Regibus, a quibus originem duxerant. Quemadmodum itaque illorum Regum exemplo habuere Capellam Palatinam, & Capellanos plures, ita & Capellanorum primum, qui ſacro miniſterio præeſſet. Is vero dicebatur Magiſter Regalis Capellæ, uti in Sicilia Magiſtrum Capellanum nuncuparunt, qui ſacras res in Aula moderabatur. Idque potuit ab Aula Regum Francorum ad nos traduci: ſiquidem S. Ludovicus Galliæ Rex, Caroli Andegavenſis Neapolitani Regis frater, excitaverat circa annum 1248. Sanctam Capellam Pariſienſem, in honorem Spineæ Chriſti Coronæ, quam a Balduino Imperatore Orientis acceperat, Capellanos quoque conſcripſerat, qui ibidem ſacra miniſtrarent, horumque primus, uti teſtatur Peiratius lib. 1. cap. 22. dicebatur Magiſter Capellanus Sanctæ Capellæ. Atqui tamen, regnante Carolo Andegavenſi, occurrit in Regiis Tabulariis Joannes Maſnelius Protocapellanus Regis; quem ſane veriſimile eſt eo donatum titulo, quod non ſolis præeſſet Clericis Oratorii Regis, ſed Clericis omnibus Palatinis, & Cancellarius eſſet Regni. Hujus ſæpe meminit Pirrus tum in Chronologia Regum Siciliæ, tum in notitia Panormitanæ Eccleſiæ, & in notitia Capellæ Regiæ S. Petri. Fuit enim Maſnelius Magnus Regni Cancellarius, Conſiliarius Regis, Cantor Capellæ Palatinæ Panormitanæ, Archidiaconus, tamdemque Panormitanus Archiepiſcopus. Cæterum ſub ſucceſſoribus Regibus ſtirpis Andegavenſis, qui præerant Capellæ Regiæ, dicti ſunt Magiſtri Regalis Capellæ; & hi plerumque ex Cœnobiis accerſebantur, quod hi nimirum præ cæteris pietate, doctrina, & ſacrarum rerum peritia præſtarent, quæ neceſſariæ ſunt ad id munus exercendum. Ita Joannes de Gallinario, Andreas de Valle Regia, Matthæus de Acquaputida e Franciſcana Familia hoc munere functi ſunt apud Joannam Reginam; qui deinde ad Epiſcopales infulas promovebantur. Nec raro iidem erant Regum a Confeſſionibus audiendis. Nam Fr. Matthæus de Acquaputida, fuit Joannæ I. Confeſſarius, & Regalis Capellæ Magiſter. Joannes quoque a Gallinario, utroque officio apud eamdem Reginam functus legitur: & Fr. Franciſcus de Arpino, ejuſdem Inſtituti, tum Confeſſarium, tum Magiſtrum Capellæ egit Ladiſlai Regis. Quod uſitatum etiam Francorum Regibus tertiæ ſtirpis jam diximus: illorum enim Confeſſarii, & hi ut plurimum ex Ordinibus Mendicantium adlecti, præfuerunt Oratorio Regis a Philippi Auguſti ætate uſque ad Carolum VIII. Neque dubitandum eſt, quin ſæpe Magiſtri Regalis Capellæ interfuerint Conſilio Regum. Jam enim diximus, pluribus Capellanis Regum Andegavenſium fuiſſe in Conſilio locum; diximus etiam Andegavenſes Principes non ſemel Cœnobitas in Conſilium ſuum adſciviſſe. Illud quoque adnotavimus, Confeſſarios Regum noſtrorum ſæpe eorumdem etiam fuiſſe Conſiliarios. Ita Fr. Petrus Epiſcopus Rapollanus Confeſſarius, & Conſiliarius Roberti Ducis Calabriæ; Guillelmus Epiſcopus

Digitized by Google

Scalenſis a Confeſſionibus, & a Conſilio Sanciæ Reginæ: Fr. Joannes & ipſe Franciſcanus Confeſſarius Mariæ Ducis Calabriæ, & Regi Roberto a Conſiliis, aliique plures. Jam vero ſi Capellani, ſi Confeſſarii, ſi Cœnobitæ ſrequenter adgregabantur Conſilio Principis, quindi & Regalis Capellæ Magiſtri? Sane Ubertinus Pactenſis & Liparenſis Epiſcopus, ac Magiſter Capellæ Ladislai Regis, in quibuſdam litteris datis Cajetæ die. 18. Junii, anno 1392. quas exhibet to. 2. Chioccarellus, dicitur ejus Conſiliarius. Et Wadingus ad annum 1343. auctor eſt, Fr. Matthæum Teleſinum Epiſcopum, fuiſſe Confeſſarium, & Conſiliarium Sanciæ Reginæ, atque Regiæ Capellæ Magiſtrum, antequam Epiſcopus fieret. Is idem refert privilegium conceſſum anno 1347. die 9. Februarii, a Joanna I. Fratri Matthæo Teleſino Antiſtiti, ſignatum manu Rogerii Archiepiſcopi Barenſis, Logothetæ, & Protonotarii Regni, ubi laudatus Epiſcopus nominatur Confeſſor, & Conſiliarius Reginæ. Quapropter tria hæc officia præſtantiſſima Confeſſarii, Conſiliarii, & Magiſtri Regalis Capellæ, ſæpe conjuncta ſimul fuiſſe, perſpectum eſt. Nec mirum tot Cœnobitas adgregatos Capellæ Regum noſtrorum, nam & Romanis Pontificibus ſamiliare erat plurimos e Franciſcano Inſtituto in Capellanos ſuos aſſumere; quorum numerus adeo excreverat, ut cum ex eorum privilegiis, & exemptionibus diſciplina regularis enervaretur, declaravit Gregorius XI. dato diplomate an. 1373. quod refert Wadingus, hos omnes Pontificios Capellanos adhuc ſubeſſe ſuorum Prælatorum juriſdictioni. Præterea ſumma ſuit religio Andegavenſium, præſertim Roberti, & Sanciæ, erga Franciſcanorum Inſtitutum; & tandem ſacilius Cœnobia iis adſluebant virtutum meritis, quæ Magiſtro Capellæ ſuæ ineſſe Reges exoptabant. Nam nonniſi probatiſſimos viros ad id muneris deſignabant; uti colligitur ex litteris Joannæ I. anno 1344. relatis a Chiocarello, & Wadingo, ut Fratrem Andream de Valle Regia præficeret Capellæ ſuæ: *Tenore præſentium*, ait, *notum facimus univerſis earum ſeriem inſpecturis, tam præſentibus, quam futuris, quod nos attendentes honeſtatem morum, converſationis, vitæ ſuavitatem placidam, devotionis promptitudinem, nec minus & probatam in Divino cultu peritiam, quæ in perſona Religioſi viri Fratris Andreæ de Valle Regia Ordinis Fratrum Minorum Capellani, familiaris, & fidelis noſtri ab ipſo quaſi noſtræ infantiæ tempore, certa nos experientia docente, concurrere novimus, & vigere: ſuadentibus quoque ſervitiorum ſuorum laudabilibus meritis, quæ nos ad hoc excitant, pariter & inducunt, eumdem Fratrem Andream Magiſtrum Sacratæ Capellæ noſtræ, harum ſerie, de certa noſtra ſcientia duximus ordinandum: volentes, & ordinantes expreſſe, per ipſius Capellæ Capellanos, & Clericos dicto Fratri Andreæ tamquam Magiſtro in omnibus, quæ id hujuſmodi Magiſterium ſpectare noſcuntur, intendi de cætero efficaciter & pareri. Nos igitur litteras noſtras magno pendente ſigillo noſtro munitas, in hujus rei teſtimonium, & cautelam ſibi duximus concedendas. Datum Neapoli per Adinulſum Cumanum de Neapoli Juris Civilis profeſſorem, Vice-Protonotarium Regni Siciliæ, anno Domini MCCCXLIV. die* VI. *Jan. Regnorum noſtrum anno primo.* Similes litteræ datæ ſum Cajetæ anno 1393. die 18. Junii a Ladislao Rege: *Nobili viro Fratri Franciſco de Arpino Confeſſori, Capellano, & Oratori, & fideli noſtro dilecto*, quibus illum conſtituit *Vicarium, Locumtenentem, & Subſtitutum Ubertini Pactenſis, & Liparenſis Epiſcopi, Magiſtri Capellæ noſtræ, noſtrique Conſiliarii, & fidelis dilecti*

a no-

a noſtra Curia abſentis, cum plena poteſtate in iis, quæ ſpectant ad ipſam Capellam, & cum omnibus prærogativis, ac privilegiis, auctoritate, & poteſtate, quibus potiretur ipſe Epiſcopus, ſi præſens eſſet, & alii Regiæ Capellæ Magiſtri, vel ipſorum Locumtenentes, & Subſtituti ſoliti ſunt potiri.

XXIV. Ex hiſce litteris colligitur, Magiſtrum Regalis Capellæ præfuiſſe ſacro Aulæ miniſterio, Clericiſque huic miniſterio addictis, atque pluribus privilegiis, & prærogativis, plenaque poteſtate donatum fuiſſe. Quapropter Capellani Regii ad illius juriſdictionem ſpectabant, uti evincunt litteræ ejuſdem Ladislai Regis datæ anno 1409, quibus declaravit Fr. Leonardum de Stephano Carmelitam, Capellanum, & familiarem ſuum, iiſque omnibus privilegiis, exemptionibus, prærogativis donatum, quibus cæteri Capellani Regii fruuntur; juſſitque, hæc jura ſervari a Regalis Capellæ Magiſtris, a Superioribus Ordinis ſui, a Prælatis omnibus, & a Regiis Magiſtratibus. Pariter Joanna II. Ladislai ſoror die 10. Maji an.1431. adgregavit Capellanis ſuis Fratrem Dominicum de Montecamelo Reatinum, Ordinis Minorum, ſtatuens ut ne de quibuſcumque negotiis, coram alio Judice conveniendus eſſet, quam coram Magiſtro Regalis Capellæ. An vero ſub primis Regibus Andegavenſibus hæc in Capellanos Regios juriſdictio Cancellario potius, quam Magiſtro Regalis Capellæ adſcripta eſſet, plurimi dubitarunt. Nam Marinus Freccja, cui alii e Neapolitanarum rerum Scriptoribus ſuffragantur, in lib. de Subfeudis, agens de Magno Cancellario, huic ſubjectos olim fuiſſe Clericos Palatinos ſcribit, & nonniſi circa Alphonſi Regis tempora eam juriſdictionem in Majores Capellanos transfuſam. Cum vero Magnos Cancellarios e laicorum numero adlectos crediderit, hinc eis juriſdictionem in Clericos demandatam a Regibus aſſeruit, vel ex conceſſione Pontificia, vel ex Delegatione Apoſtolica, quam Neapolitani Reges ſimul cum Regno obtinuerant. Verum enimvero olim Cancellarii e Clericorum Ordine fuerunt; uti ſub Carolo II, Petrus de Ferrariis Archiepiſcopus Arelatenſis, & Adamus de Duſſiaco Archiepiſcopus Conſentinus; & ſub Roberto Ingilramus Stella Archiepiſcopus Capuanus; & ſub Joanna I. Philippus Epiſcopus Cabilonenſis. Quamobrem potuit Cancellario hæc juriſdictio in Clericos Palatinos adſcribi; atque ita rem ſe habuiſſe ſub primis Regibus Andegavenſibus, inſinuant citatæ mox litteræ Joannæ I. in quibus Capellani Regii ſubjiciuntur Magiſtro Capellæ *in omnibus, quæ ad hujuſmodi Magiſterium ſpectare noſcuntur*. In eo tamen recedendum eſt a Frecciæ ſententia, quod is aſſerat, ſub Aragoniis primum juriſdictionem illam ad Majores Capellanos translatam; cum tamen, regnantibus Regibus Dyrrachinis, & ante Aragonios, Capellani Regii foro Magiſtri Regalis Capellæ fuerint addicti. Denique præter ſacrum miniſterium in Aula peragendum, plurima eccleſiaſtica Regni negotia conſueviſſe Reges Magiſtris Capellæ ſuæ demandare, veriſimillimum eſt. Fuerunt enim & Regum Conſiliarii. Tum etiam in more fuit apud Andegavenſes, ut Epiſcopis, Clericiſque, quorum probata eſſet fides, & peritia, negotia nonnulla expedienda committerent. Cujus rei plurima adduci poſſent exempla, plurima etiam legi poſſunt apud Chioccarellum in Epiſcopis Neapolitanis. Quindi ſæpe ad res eccleſiaſticas pertactandas, & finiendas adhibuerint operam Magiſtri Regalis Capellæ ſuæ, cujus ampliſſimus erat

in

in Aula locus, & ſpectatiſſima virtus? Hujus itaque ſuffragio, & ſententia, negotia eccleſiaſtica Regni, quæ ad Principem deferabantur, diſcuſſa, & abſoluta fuiſſe, nullus ibit inficias.

XXV. Qui ſub Andegavenſium imperio Magiſtri Regalis Capellæ dicebantur, hi ſub Aragoniis Majores dicti ſunt Capellani; quod in Hiſpania, & in Sicilia jam is titulus invaluerat, quodque jam Capellanis omnibus Regiis illi præeſſent. Alphonſus I. huic gerendo muneri præfecit Dominicum de Xarach, ſeu de Xarth, quem Ciſtercienſem Monachum, & circa annum 1451. Epiſcopum fuiſſe Agrigentinum, colligitur ex Pirro in Epiſcopis Agrigentinis. Alphonſi litteras datas anno 1445. die 2. Junii exhibet to. 2. MSS. Chioccharellus. *Ut temporibus noſtris, & ſub felici noſtro regimine, Divinus cultus in noſtra Regali Capella reſplendeat; atque bonorum Retributor omnium debitis orationum ſuffragiis honoretur, Venerabilem in Chriſto Patrem Dominicum de Xarach de Aragonia Majorem Capellanum noſtrum, in Magiſtrum Capellæ noſtræ Regalis prædictæ ordinavimus, & quamplures Capellanos tam in dicta noſtra Regali Capella, quam alibi fecimus, & per noſtras litteras ſtatuimus, ut dicti Capellani ad requiſitionem dicti Magiſtri Capellæ noſtræ ſervire in eadem noſtra Regali Capella, & vacare in celebratione Miſſarum, & Divinorum Offieiorum poſſint temporibus opportunis; ideoque volentes ipſos Capellanos noſtros, tam illos actu ſervientes in ipſa noſtra Regali Capella, quam alios non ſervientes actu, ſupponere, & aggregare juriſdictioni dicti Magiſtri Capellæ noſtræ, qui debet de omnibus noſtris Capellanis cognoſcere, & videre, & de eis juſtitiam miniſtrare, ſicut ſemper extitit conſuetum: Vos omnes Eccleſiarum Prælatos, & Rectores, & alios ſupranominatos ſtricte requirimus; vobiſque Principibus, & aliis ſuperius nominatis expreſſe mandamus ſub pœna unciarum quinquaginta per quemlibet noſtro Fiſco applicanda, toties quoties per eos factum, ac ſub noſtræ iræ, & indignationis incurſu, quatenus ex nunc in antea, de omnibus & ſingulis Capellanis noſtris, tam de illis, qui actu non ſerviunt, ſed ſunt tantum ad dictas noſtras litteras ordinati Capellani noſtri, nullatenus intromittatis, neque impediatis aliquo prætextu, ſed ipſos, & unumquemque ipſorum, pro quibuſcumque cauſis ad dictum Magiſtrum Capellæ noſtræ, tamquam eorum Judicem competentem ſingulis vicibus remittatis.* Perſpicuum fit ex illis verbis, *ſicut ſemper extitit conſuetum*, antequam Aragonii Regno potirentur, Magiſtrum Regalis Capellæ in negotiis Capellanorum omnium Regiorum jus dixiſſe; quem morem Aragonii Reges illæſum, incolumemque ſervarunt. Nam idem Rex Alphonſus in litteris datis anno 1452. ut Nicolaum de Rainaldo inter ſuos Capellanos cooptaret, etſi Capellæ Palatinæ actu non deſerviret, hortatur Prælatos omnes, *ne ipſum pro quacumque mota, vel movenda cauſa ad cujuſvis inſtantiam cogant, nec compellant: quinimo ad Capellanum noſtrum Majorem, qui nunc eſt, & pro tempore fuerit, quem eidem Judicem competentem damus, & aſſignamus, illico remittant, qui de eo omnibus miniſtrabit juſtitiæ complementum.* Tum Magno Juſtitiario, aliiſque Regiis Miniſtris dat in mandatis, ut curent hæc jura Capellanis Regiis vindicare. Pariter cum Joannem Valentinum ad Capellani Regii dignitatem evexit die 4. Aprilis, anno 1445. declaravit hunc Majoris Capellani foro addictum, *quamvis actu, & perſonaliter nobis non ſerviat, neque noſtram Curiam continuo ſequatur.* Et litteris etiam datis die 2. Julii, anno 1443. hortatus eſt

Acer-

Acernenſem Epiſcopum, ne in cauſa cujuſdam Capellani Regii, cui nomen Jacobus de Jannico, Magiſtri Regalis Capellæ jura violaret. Similes litteras conſcripſit Umbriaticenſi Epiſcopo Ferdinandus Alphonſi filius die 3. Decembris, anno 1473. ut Carolum de Pycita Capellanum Regium ſineret judicio ſiſti Epiſcopi Averſani Majoris Capellani. In eamdem rem ſcripſit die 19. Februarii, anno 1465. Epiſcopo Teanenſi; & die 8. Junii, anno 1476. Epiſcopo Teleſino. Ferdinandi filius Alphonſus, Calabriæ Dux, anno 1473. Capellanis ſuis adgregavit Donatum Emitrium Martinenſem, & Andream Strevatium Squillacenſem, declarans hos Majori Capellano ſubjectos. Tamdem Fridericus, poſtremus ex Aragoniis Neapolitanis Regibus, tum in litteris datis die 30. Januarii, anno 1497, tum in aliis etiam litteris die 23. Aprilis, 1498. declaravit, nonniſi Majorem Capellanum imminere iis, quos ipſe in Capellanos Regios adſciverat. Itaque Major Capellanus poteſtatem habebat juris dicendi in Capellanos omnes Regios; habebat quoque poteſtatem ordinandi res ſacras in Aula, & Divinum cultum moderandi. Hinc in Coronatione Alphonſi II. Regis Juliano Epiſcopo Tropejenſi Majori Capellano demandata eſt cura, ut una cum Pontificio cæremoniarum Præfecto, & nonnullis Proceribus Aulæ, ſacram rem omnem ordinaret, Epiſcopos Regni convocaret, ſacram ſuppellectilem, & inſtrumentum omne præſto eſſe curaret, Regique adhæreret ad ſacram cæremoniam peragendam. Quamobrem ille proximus erat Regi Solio inſidenti, una cum Eleemoſynario, & Confeſſario, & aliquot Aulæ Magnatibus, tota Coronationis cæremonia, Regemque a Solio ad Altare progredientem ſemper comitabatur. Idem ille Major Capellanus benedictione & precibus Eccleſiæ ſanctificavit Sponſalia & Conjugium Sanciæ Aragoniæ filiæ Alphonſi Regis cum Joffredo Borgia Alexandri VI. conſanguineo: & in ſolemni Liturgia Capellæ Palatinæ prope Regem recitabat ſingulas Miſſæ partes, quam ſolemni ritu celebrabat Epiſcopus Gravinenſis. Eo temporis ſungebatur hoc officio Julianus Mirtus Frangipanus Epiſcopus Tropejenſis Regius Conſiliarius, & Supremus Moderator Neapolitani Gymnaſii; iſque ſubrogatus fuerat in locum Petri Bruſca Epiſcopi Averſani.

XXVI. Nam imperantibus Aragoniis, ſæpe Epiſcopi hoc munus adminiſtrarunt, quin Epiſcopatui cederent, quod non in Eccleſiis ſuis, ſed in Aula illis eſſet commorandum. Ita quoque in Aula Regum Francorum ſecundæ, & tertiæ ſtirpis, Archicapellanos, & Magnos Eleemoſynarios egerunt ampliſſimarum Eccleſiarum Epiſcopi, quin earum regimine ſe ſe abdicarent. Cujus rei cauſa fuit, quam fuſe tractat Thomaſſinus, legitimam eſſe exceptionem non reſidendi, quum Epiſcopi in Aula verſantur, ut Regi, ut Regno, ut Eccleſiis omnibus famulentur. Hinc in Aulis fere omnium Principum Epiſcopos adnotavimus, actualis reſidentiæ vinculo annexos, Capellanos, Cancellarios, Conſiliarios, Legatoſque. Quandoque tamen in Aula noſtrorum Principum Majores Capellani Epiſcopatu aucti, illo munere abierunt: idque præſertim contigit, regnantibus Andegavenſibus. Nam ex Regiis Regeſtis conſtat ſub Joanna I. brevi temporis ſpatio, ab anno nempe 1343. ad annum uſque 1345. functos eſſe munere Magiſtri Regalis Capellæ Epiſcopum Marſicanum, Fratrem Joannem a Gallinario, Fratrem Andream de Valle Regia, & Fratrem Mattheum de Acquaputida. Neque ex his alii, aliis vita functis ſucceſſere: ſiquidem Andream de Valle Regia, creatum anno 1344. Epiſcopum Larinenſem, obiiſſe anno

no 1365. teſtantur Wadingus, & Ughellius: & Matthæum de Acquaputita electum Teleſinum Antiſtitem anno 1345. e vivis exceſſiſſe anno 1348. idem ſcribit Ughellius. Idipſum, imperantibus Aragoniis, colligi poteſt ex Albo Majorum Capellanorum in hujus Operis calce. Dicendum itaque eſt, totum hoc negotium nulla ineluctabili lege definitum fuiſſe, ita ut neque Magiſtro Regalis Capellæ neceſſe erat ſuo ſe abdicare munere, ſi ad Epiſcopatum promoveretur; neque Epiſcopus adigebatur Eccleſiæ ſuæ cura diſcedere, ſi Magiſterio Capellæ Regalis donaretur: ſed juxta rerum, perſonarum, ac temporum circumſtantias, vel promoti ad Epiſcopales inſulas eo abibant munere, vel eodem adhuc Epiſcopi fungebantur. In Gallia olim Archicapellani munus, non fuiſſe perpetuo alicui addictum, infert Baluzius in notis ad Petrum de Marca lib. 4. cap. 7. ex epiſtola 97. Lupi Ferrarienſis, data ad Hilduinum Archicapellanum, qua aſſerit brevem, & incertam eam dignitatem. E contra Thomaſſino videtur Archicapellani munus minime temporarium fuiſſe; & quoad Lupi Ferrarienſis epiſtolam, hac cenſet ille, deſignari incertiſſimam horam certiſſimæ mortis, non vero revocabilem nutu Principis dignitatem.

XXVII. Progredimur ad ea tempora, quum a Gallis, Hiſpaniſque occupato Neapolitano Regno, diſſectoque in partes duas, ejecto Friderico Aragonum Principum ultimo, poſtquam diu illi de totius Regni imperio decertaverint, tandem Ferdinandus Catholicus, & ſucceſſores Hiſpaniæ Reges ſumma rerum potiti ſunt. Qui cum remotiſſime degerent ab Aula Neapolitana, & Proregum opera uterentur ad imperium adminiſtrandum, jam plurima Aulæ Officia, quæ, imperantibus Regibus, ſummo in honore habebantur, vel defiere penitus, vel nudo, ſoloque dignitatis nomine perdurarunt. Non ita tamen res ſe habuit quoad Majoris Capellani Officium, quod cum præſtantiſſimum haberetur in Aula Hiſpana, hinc cauſa fuit, ut Magno Capellano Neapolitani Regni, major accerſſerit honoris cumulus, eo nomine, quod ſimul eſſet Major Capellanus Regis Hiſpaniæ. Quamobrem præclariſſimi Epiſcopi hoc munere functi ſunt, uti Joannes Pudericus Archiepiſcopus Nazarenus, tum Tarentinus; Joannes Ruffo Archiepiſcopus Conſentinus; Thomas Caracciolo Antiſtes Triventinus, deinde Capuanus; Vincentius Spinelli Epiſcopus Oppidenſis, aliique. Et ut Hiſpanis, Neapolitaniſque commune eſſet præclariſſimum hujuſmodi Officium, decrevit Carolus V. Imperator anno 1554. Capitul. 5. alternis vicibus ex indigenis, & exteris Magnos Capellanos ſeligendos. Quanta vero fuerit regnantibus Auſtriacis hujus dignitatis amplitudo, facile colligi poteſt ex ſingulis partibus ejus miniſterii. Primo namque Major Capellanus imminebat ſacris rebus in Aula tractandis, Capellis, Capellaniſque omnibus Regiis, Muſicis, & Cantoribus Capellæ Palatinæ. Tum ei incumbebat ferre ſuffragium, an concedendum eſſet *Placitum Regium*, quod in Neapolitano Regno dicitur *Regium Exequatur*. Beneficia omnia Regii juris commiſſa fuerunt ejus curæ. Si quæ excitabantur quæſtiones, an Beneficia eſſent Regiæ præſentationis, hæ illius ſuffragio definiebantur. Permutationes quoque, vel reſignationes hujuſmodi Beneficiorum ex illius ſententia faciendæ erant. Sed & in quibuſvis negotiis ad Eccleſias Regias ſpectantibus, Capellani Majoris ſententia fuit expetenda. Præterea ſui erat muneris invigilare, ne ulli ederentur Libri, qui Regiis juribus, aut tranquillitati Reipublicæ adverſarentur. Denique ad eum ſpectabat adminiſtratio Nea-

po-

politani Gymnaſii; de quibus omnibus partibus hujus præſtantiſſimi Officii, erit ſuo loco ſingillatim dicendum. Hinc patet, quam ad veteres Archicapellanos Regum Francorum accedat dignitas Capellani Majoris Neapolitani Regni, eo preſertim nomine, quod plurima eccleſiaſtica negotia ad Principem delata, Majoris Capellani ſuffragio abſolvantur. In eo tamen is, & veteri Archicapellano, & Magnis Capellanis aliorum Principum præſtat, quod ejus curæ, & juriſdictioni ſubdantur Capellæ, & Capellani Arcium totius Regni, Capellani itidem caſtrenſes, & maritimi, tum milites, qui terra marique, Regiis ſtipendiis aluntur, uti ex dicendis compertum erit.

XXVIII. Antequam huic Capiti finem imponamus, varii recenſendi ſunt tituli, quibus, variis in Regnis, Magnos Capellanos donarunt. In Aula Regum Francorum primæ ſtirpis, dicti ſunt Abbates Palatini Oratorii, quia inſtar Abbatum præerant Eccleſiæ Palatinæ, ejuſque Clericis. Tum ſub ſecunda ſtirpe, Archicapellani vocabantur, quod Capellanis omnibus imminerent; & hinc quandoque Summi, & Magni Capellani nuncupati fuere. Nam in epiſtola Concilii Cariſiacenſis ad Ludovicum, Fulradus nominatur Summus Capellanus Regis Pipini: & Guntharius dicitur ab Hincmaro Remenſi Magnus Capellanus Regis Lotharii. Is idem in Concilio Aquiſgranenſi nominatur Archicapellanus Sacri Palatii. Angilbertus appellatur Abbas, & Miniſter Capellæ ab Hadriano Papa in epiſtola ad Carolum Magnum. Hilduinus dictus eſt Antiſtes Sacri Palatii ab Agobardo Lugdunenſi in quadam epiſtola ad ipſum data: & Drogo Metenſis Epiſcopus, Archipalatinus Præſul in apologetico Ebbonis; & alibi Senior Capellanus. Primicerii quoque titulus Magnis Capellanis datus legitur, ut Angilberto, & Angilramo. Archipresbyterum Franciæ appellat Fulradum Hadrianus I. in epiſtola quadam a Flodoardo relata. In præfatione Concilii Moguntini anno 813. legitur Hildeboldus Sacri Palatii Archiepiſcopus. Cenſet tamen Fileſacus in lib. de ſacr. Epiſc. auctor. cap. 9. §. 15. pro Archiepiſcopo legendum eſſe Archicapellanum. Sed potuit ille Archiepiſcopus vocari, quod honoris cauſa eo eſſet ornatus titulo; nam in vita Leonis III. ſcripta ab Anaſtaſio, ille idem nominatur Archiepiſcopus, & Capellanus. Angilramus quoque, etſi Metenſis eſſet Epiſcopus, tamen Archiepiſcopus dicitur can. 55. Concilii Francfordienſis; non quod Archicapellanus eſſet, ſiquidem ejus prædeceſſor Grodegangus dictus eſt etiam Archiepiſcopus ab Alcuino, ſed quod titulo Archiepiſcopali, & Pallio donatus eſſet. Conſueverunt enim Romani Pontifices honoris cauſa quibuſdam Epiſcopis Pallium, & Archiepiſcopalem titulum conferre; uti Gregorius Magnus Siagrio Auguſtodunenſi, in gratiam Brunechildis Reginæ. Et hæc etiam cauſa eſſe potuit, cur Aiglibertus Epiſcopus Cenomanenſis, nuncupatur quandoque Archiepiſcopus. Sub tertia ſtirpe Regum Galliæ, qui hoc munus gerebat, Capellanus, & Eleemoſynarius, deinde Magnus Eleemoſynarius dictus eſt. In Hiſpania, uti etiam in Luſitania, Majoris Capellani nomine hoc officium exprimebatur. In Aula noſtrorum Principum, olim Magiſtri Capellani, & Magiſtri Regalis Capellæ appellabantur, qui hoc munere donati erant: quemadmodum Magiſtri Juſtitiarii dicebantur, qui præerant juribus reddendis; Magiſtri Rationales, qui imminebant Regio Erario; Magiſtri Tabellariorum, qui præfecti erant iis, qui commutatis equis celerrime itinera conficiunt. Quin etiam in Gallia Magiſtri titulus legitur datus Magno Capellano. Nam Lupus

 Fer-

Ferrarienſis ep. 110. vocat Hilduinum Eccleſiaſticorum Magiſtrum. Et Grimoldus ſub Ludovico Rege, filio Ludovici Pii, dicitur Magiſtet a Walafrido, cui is nuncupavit Poemata de Re Hortenſi. Sub tertia vero Regum dynaſtia, Epiſcopum Sylvanectenſem, qui circa annum 1285. Capellam Regiam moderabatur, appellatum Magiſtrum Capellanum Regis, teſtatur Peiratius lib. 1. cap. 53. Is idem lib. 1. cap. 21. ſcribit, olim, qui præerat Clero Sanctæ Capellæ Pariſienſis, nuncupatum fuiſſe Magiſtrum Capellanum Sanctæ Capellæ. Nunc etiam temporis in Aula Regum Galliæ, qui imminet Oratorio Regis, dicitur Magiſter Oratorii, ſicuti qui imminet Cantoribus, Magiſter Capellæ Cantorum. At regnantibus Aragoniis Neapolitanis Regibus, invaluit Majoris Capellani titulus, quo, ad hæc uſque tempora, ampliſſimum hoc munus donatur.

CAPUT IV.

DE PRIVILEGIIS CAPELLÆ REGIÆ, CLERI PALATINI, ET MAGNI CAPELLANI.

De origine, & progreſſu privilegiorum. II. *Et in Regno Neapolitano.* III. *De privilegiis ad Capellas, & Capellanos Regios pertinentibus.* IV. *De biſce privilegiis in Anglia.* V. *Et in Aula Regum Galliæ.* VI. *De iiſdem in Gallia.* VII. *Præſertim de Cleri Palatini exemptione a reſidentiæ legibus.* VIII. *De privilegiis Magni Eleemoſynarii Franciæ.* IX. *Vetera jura Capellani Majoris, & Capellanorum Regum Hiſpaniæ a Leone X. confirmata.* X. *Tum ab aliis Romanis Pontificibus aucta, & renovata.* XI. *Ea Paulus V. innovavit, auxit, ac perpetua eſſe declaravit.* XII. *Privilegia Capellani Majoris Regum Luſitaniæ.* XIII. *Et ejus Cleri Palatini.* XIV. *Privilegia Magni Eleemoſynarii Regum Sardiniæ a Benedicto XIV. conceſſa.* XV. *Dubia, & Declarationes ejuſdem Pontificis circa hæc privilegia.* XVI. *Alia itidem Dubia, & Declarationes aliæ.* XVII. *Album exemptorum in Aula Regum Sardiniæ.* XVIII. *Antiqua jura Cleri Palatini noſtrorum Principum, quoad exemptionem a legibus reſidentiæ.* XIX. *Et a ſolvendis decimis.* XX. *Antiqua jura Majoris Capellani Regni Neapolitani.* XXI. *Quæ conſuetudine potiſſimum innitebantur.* XXII. *Quod vero iis ſæpè reluctabatur, ea confirmavit, auxitque Benedictus XIV.*

ECcleſiæ diſciplina, quemadmodum diverſis temporibus, juxta varias locorum, rerum, & perſonarum circumſtantias, quibus accomodanda fuit, varias ſubiit mutationes, quoad innumera fere eccleſiaſticæ rei capita, ut in ordinandis Clericis, eligendis Epiſcopis, convocandis Conciliis, injungendis pœnitentiis, relaxandis canonibus; ita quoque in privilegiis, & exemptionibus concedendis. Has omnes mutationes complectitur doctiſſimus Thomaſſinus in notiſſimis libris de veteri, & nova Eccleſiæ diſciplina, ubi illud frequenter inculcat, ſerviendum eſſe legibus, moribuſque jam receptis; actum eſſe de pace publica, ſi omnia ad antiquatas legitima auctoritate regulas revocentur; & cuique laudandam, atque ſequendam eſſe ſui temporis Eccleſiæ diſciplinam. Sane priſtinis ſæculis vix ulla dabantur Eccleſiis, aut Monaſteriis, Clericis, ſive Monachis privilegia, quæ pleniſſimam libertatem ab omni ſpirituali Epiſcoporum juriſdictione involverent. Nam antiquiſſima privilegia ſæculo ſexto, & deinceps indulta Monaſteriis, nonniſi reſpiciebant illorum bona temporalia, & liberam Abbatis electionem, quæ ab Epiſcopis turbabantur, utpote qui ſibi vindicabant jura quædam in ordinatione Monachorum, benedictione Abbatum, conſecratione Altarium, pro receptione Chriſmatis, pro

 Syno-

Synodico, & Cathedratico. Monaſteria inſuper magnis ſumptibus in viſitatione gravabant, ſibique adſcribebant jus Abbates conſtituendi. Fuſe oſtendunt Thomaſſinus p. 1. lib. 3. & Vaneſpenius Jur. Canon. par. 3. tit. 12. aliique, vetuſtiſſima privilegia non aliud fere complecti, quam exemptiones a juribus jam recenſitis, liberam Abbatum electionem, & quæ ad conſervandam Monaſticam quietem, ac diſciplinam conducere videbantur; ſalva tamen ſpirituali Epiſcoporum juriſdictione. Nonnulli quidem totalium exemptionum originem referunt ad tempora S. Gregorii Papæ, cui adſcripta ſunt privilegia quædam pleniſſimæ libertatis conceſſa Monaſteriis Gallicanis S. Medardi, & S. Germani, & Xenodochio Auguſtodunenſi: quæ tamen Launojus, aliique eruditi inter ſuppoſititia recenſent. Alii initium exemptionum repetunt a Synodo Carthaginenſi anno 524. ſub Bonifacio Epiſcopo; cujus mentio fit in alia Synodo Carthaginenſi anno 534. ſub Reparato, ibique dicitur, nil eſſe juris Epiſcopis in Monaſteria, niſi quoad Clericorum ordinationem, & Altarium conſecrationem. Illud tamen certum eſt, ſæculis undecimo, & duodecimo omnimodas exemptiones Monaſteriis, Eccleſiis, Capitulis, Clericorum Collegiis, Xenodochiis, Societatibus Equeſtribus indultas potiſſimum viguiſſe; eaſque majus incrementum accepiſſe, flagrante ſchiſmate Avenionenſi: & hinc graves querelæ Bernardi, Petri Bleſenſis, Petri Cantoris, Joannis Sariſberienſis; tum etiam Epiſcoporum in Conciliis Viennenſi, Conſtantienſi, Lateranenſi, ubi actum eſt de iiſdem libertatibus revocandis, quæ penitus enervarent eccleſiaſticam diſciplinam. Neque olim a ſolis Romanis Pontificibus annuebantur privilegia exemptionum; ſed etiam ab Epiſcopis, & a Regibus, accedente Epiſcoporum conſenſu; uti fuſe tradunt plurimis allatis exemplis Thomaſſinus, & Vaneſpenius. Idque præſertim locum habuit, cum ab ipſis Eccleſiarum, aut Monaſteriorum Fundatoribus hujuſmodi immunitates efflagitabantur: ſiquidem pluribus evincit doctiſſimus Thomaſſinus par. 1. lib. 3. cap. 31. & 34. potuiſſe Eccleſiarum Fundatores eas ab Ordinariorum poteſtate ſubducere, & Apoſtolicæ Sedi immediate ſubjicere. Quemadmodum in Africa fuerunt plurima Monaſteria in quacumque Diœceſi, vel Provincia fundata, quæ non Epiſcopi Diœceſani, ſed illius Epiſcopi juriſdictioni ſuberant, cui illa ſubjicere voluiſſent eorum Fundatores, ut plurimum vero Epiſcopo Carthaginenſi. Similiter in utroque Patriarchatu Orientis, fas erat Monaſteriorum Fundatoribus, in quacumque erigerentur Diœceſi, ea ſubjicere Patriarchæ in ipſa illorum fundatione; tunc Epiſcopo Diœceſano nulla erat poteſtas in illa Monaſteria, ne Ordinum quidem conferendorum, aut Abbatis conſecrandi, aut Miſſæ celebrandæ. Quin id quopue juris ſibi tribuebant Metropolitæ, intra ſuam Provinciam, etſi iis non raro repugnabatur.

II. In Neapolitano Regno ex antiquiſſimo more, Epiſcopi, aut iis conſentientibus, Principes, libertatibus, atque exemptionibus donarunt Eccleſias, quas vel ipſi fundaverant, vel earum Fundatores privilegiis donari exoptaverant. Refert Ughellius in Epiſcopis Beneventanis Diploma Arechis Beneventi Ducis e Longobardorum gente, quo confirmat exemptionis privilegium latum a Joanne Epiſcopo in favorem Eccleſiæ S. Mariæ, & S. Martiani, quam Gardino Abbas fundaverat. Ibi dicitur: *Noſtra quidem glorioſa poteſtas juxta membranam ipſius Joannis Epiſcopi in prædicta Eccleſia hoc noſtrum abſolutionis præ-*

ce-

eeptum firmavit ea ratione, ut tantummodo ad noſtrum ſacrum Palatium audientiam habere debeat, ſicut & cætera noſtra Monaſteria in noſtra ſint ſemper poteſtate, ordinandi in ipſa noſtra Eccleſia, qualiter noſtræ eximietati placuerit, & a nullo Epiſcopo hujus ſanctæ ſedis Eccleſiæ noſtræ Beneventanæ, vel a quibuſcumque Sacerdotibus, umquam requiratur in ſua juriſdictione. Datum eſt hoc privilegium circa annum 769. ex quo conſtat, fuiſſe ea ætate nonnullas Eccleſias, quas Principes declarabant ſui juris, quæque dicebantur pertinere ad Sacrum Palatium. Simile privilegium exhibet ibidem Ughellius datum ab Atenulpho, & Landulpho Beneventanis Principibus In favorem Eccleſiæ S. Joannis: & in Epiſcopis Salernitanis, plura profert hujuſmodi exemptionum privilegia, quæ Salernitani Epiſcopi, aut Principes Eccleſiis a ſe, vel ab aliis conſtructis conceſſere. Normannis deinde imperantibus, plurimæ Eccleſiæ exemptionibus donatæ ſunt, quod eſſent juris Principum. Taſſonius in lib. de Anteſ. ver. 4. obſer. 5. refert privilegium quoddam a Comite Rogerio anno 1094. S. Brunoni conceſſum, ubi dicitur, *quod Monaſterium Arſaphiæ Capella mea erat exempta ab Epiſcopali juriſdictione per Sacroſanctam Romanam Eccleſiam*. Eccleſia quoque Barenſis S. Nicolai jam tum temporis exempta erat, uti colligitur ex privilegio Alexandri Comitis Copertini, jubente Rogerio, illi Eccleſiæ dato; & ex privilegio Paſchalis II. dato anno 1106. Euſtachio Abbati illius Eccleſiæ, petente Boemondo Antiochiæ Principe, & Domino Carii, quæ profert Ughellius. Hinc Bonifacius VIII. in Bulla data anno 1296. in gratiam Caroli II. Andegavenſis, dixit hanc Eccleſiam eſſe Sedi Apoſtolicæ ſubjectam, ut apud Beatillum, & Chioccharellum legitur. Pariter Eccleſiam Altamuræ Fridericus II. Imperator excitavit, & exemptionis privilegio donavit anno 1232. cui conſenſit Innocentius IV. dato diplomate anno 1248. Eodem modo res ſe habuit in Sicilia; ubi inſigne Meſſanenſe Monaſterium S. Salvatoris a Comite Rogerio fundatum, & Archimandritatus titulo more Græcorum inſignitum, Rex Rogerius hoc auxit privilegio anno 1130. apud Pirrum in notitia illius Eccleſiæ: *Volumus præterea, idem noſtrum Monaſterium eſſe liberum, & exemptum ab Archiepiſcopis, Epiſcopis, & ſimiliter ab omni perſona eccleſiaſtica, & ſeculari. Ejus Prælatus, & ſui ſucceſſores, ſi forte acciderit dubitatio alicui ex aliquo, volumus, quod non reſpondeant, niſi coram nobis, & hæredibus, & ſucceſſoribus noſtris*. In altero vero diplomate dato anno 1134. ita ſtatuit Rogerius: *Ipſum Archimandritam ipſius Monaſterii Salvatoris perpetuo confirmamus, & volumus habere dominationem, & propriam poteſtatem in omnibus dictis Monaſteriis, & Grangiis ſubjectis, ac Abbatibus, & Monachis, & hominibus omnibus, Clericis, & laicis, tam in ſpiritualibus, quam temporalibus, & diligenter examinare, & recte judicare, & ad finem cauſas perducere, ſicut Pater Archimandrita, & ſucceſſores ejus non judicentur ab aliqua perſona, neque alicui reſpondeant, niſi noſtræ ſoli Celſitudini, & ſucceſſoribus noſtris*. Unde in quadam Sixti IV. Bulla data anno 1471. & ab eodem Pirro relata, dicitur: *Rogerius Rex antedictum Monaſterium cum illud conſtruxit, ædificavit, fundavit, & Capitulo Eccleſiæ Meſſanenſis ibidem præſentibus, ab omni eorum, & cujuslibet alterius Prælati, & Ordinarii ſuperiorum exemptum eſſe voluerit*. Patet itaque, frequentiſſima exemptionum privilegia ab Epiſcopis, vel a Regibus de conſenſu Epiſcoporum indulta Eccleſiis, quarum ipſi Fundatores ex-

extiterant. Deinde, & progreſſu temporis, cum ab Epiſcoporum poteſtate Eccleſiæ illæ eximerentur, invaluit illarum Rectoribus, aut Abbatibus aliquam jurisdictionem communicare. Ita Eccleſia S. Nicolai Barenſis Priori, Eccleſia Altamuræ Archipresbytero, Monaſterium Meſanenſe S.Salvatoris Archimandritæ ſubjiciebantur. Et Abbatibus quandoque conceſſa eſt quædam jurisdictio, uti Abbati Cavenſis Monaſterii, quem ajunt, a Romanis Pontificibus accepiſſe jura Epiſcopalia exercere, iis exceptis, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis. Verum in nonnullis Monaſteriis conſtituti ſunt Epiſcopi Monaſteriorum, qui nempe ea omnia ibi agebant, quæ Epiſcopale deſiderant miniſterium.

III. Jam vero quis ibit inficias, ſtuduiſſe Reges Capellis, Capellaniſque ſuis ea privilegia accumulare, quæ ſæpe conferebant, vel conferri procurabant in Monaſteria, aliaſve Eccleſias quamplures? Atque hæ quidem exemptiones eo æquius indulgebantur, quod non tam perſonas, aut loca, quam Reges ipſos reſpicerent. Eccleſia enim quovis ſæculo in gratiam Summorum Principum conſuevit aliquid remittere receptis legibus, generalique diſciplina, cujus rei plurima adduci poſſent exempla; illud vero potiſſimum, quod Epiſcopis, Clericiſque veniam fecerit reſidendi, ſi Regibus, aut Regno famularentur. Hinc ubi nimiis exemptionibus locorum, & perſonarum arctiores limites adſignarunt Tridentini Patres; Capellis tamen, & Capellanis Regum priſtinam immunitatem conſervarunt. Cum enim decreviſſet Concilium ſeſſ. 22. cap. 8. Eccleſias omnes licet exemptas viſitandas ab Epiſcopo, tum etiam alia loca pia omnia, addidit hanc exceptionem, *non tamen, quæ ſub Regum immediata protectione ſunt, ſine eorum licentia*. Et quoad Capellanos Regios confirmavit ſeſſ. 24. cap. 11. Decretalem Innocentii III. relatam Cap. *Cum Capella* de Privilegiis: *Quoad Capellanos Regios*, ait Concilium, *juxta Conſtitutionem Innocentii III.* Cum Capella, *ſubjecti exiſtant Epiſcopis tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegatis*. Ea Decretalis decernit ſervanda exemptionum privilegia Capellanis Principum data; qui tamen, ſi ab Epiſcopo præfecti ſint Eccleſiis Parochialibus, quoad hanc curam animarum Epiſcopo ſubjiciuntur.

IV. Ambigendum itaque minime eſt, quin Capellæ, & Capellani Principum, pluribus olim privilegiis adfluxerint, juxta cujuſque temporis diſciplinam. Quod in Anglia præſertim contigiſſe auctor eſt Thomaſſinus p. 1. lib. 3. cap. 36. ubi ex antiquis Conſtitutionibus Regum Angliæ refert, Eduardum declaraſſe Capellas ſuas Regias immunes penitus ab omni ordinaria jurisdictione; Clericos earumdem ab Epiſcopo cogi non poſſe, quamdiu Regis immorantur obſequiis, vel in Eccleſiis ut reſideant ſuis, vel ut ſacris Ordinibus innectantur: eo jure ſemper uſos eſſe Angliæ Reges, eiſque fas eſſe, Clericos retinere, ſuis devinctos obſequiis, quamdiu illis placuerit; conceſſiſſe Innocentium IV. diploma, quo Capellæ Regiæ Anglicanæ ſolvebantur a cenſuris ab Epiſcopo latis, & a procurationibus ſolvendis, Sedique Apoſtolicæ immediate ſubjiciebantur. Cangius in Gloſſario verbo *Capellæ* indicat Chartas Henrici II, & Henrici III. Regum Angliæ, quæ declarant Capellas quaſdam Regales nulli Ordinario, ſed immediate Sedi Apoſtolicæ ſubjectas. In has exemptiones inſurgebant quandoque Epiſcopi; quas tamen Reges tuebantur innixi conſuetudine, quæ hominum memoriam excederet. Obſervat proinde doctiſſimus Thomaſſinus, in hiſce privilegiis Anglicanis mentionem non haberi a Regibus de Bullis anterio-
ri-

Google

ribus ullis Pontificum: unum aſtrui exemptionis fundamentum, poſſeſſionem, cujus initii nulla uſquam exſtat memoria: potuiſſe ergo ſolam conſuetudinem, & ſpontaneam Epiſcoporum conſenſionem, conceſſionemque his libertatibus dediſſe initium, quas præſcriptio poſtea roboraſſet: Capellas Regias ſubductas Diœceſani Epiſcopi poteſtati, alteri ſubjectas fuiſſe Epiſcopo, Regis Capellano; cumque ſemper adeſſent Regibus Epiſcopi quidam obeuntes munus Capellani, poterat per iſtiuſmodi Epiſcopos juriſdictio Epiſcopalis in has Capellas exerceri, & præſcribi contra Diœceſanos. Ita ille diſciplinæ eccleſiaſticæ peritiſſimus. Cæterum erat quoque Archiepiſcopo Cantuarienſi jus, ut in ſingulis Diœceſibus ſibi ſubjectam haberet Eccleſiam, ubi omnia munia Epiſcopalia exerceret, nonniſi veteri conſuetudine roboratum. Scribit quidem de hac re ad Wulſtanum Epiſcopum Vorceſtrenſem Anſelmus Cantuarienſis lib. 3. ep. 19. *Teſtante omni genere hominum, qui ſunt in Cantuarienſi Diœceſi, & in aliis Epiſcopatibus, qui ſunt circa eamdem Diœceſim, ſemper Archiepiſcopus Cantuariæ hanc habuit poteſtatem, & conſuetudinem, ut intra cujuſque Epiſcopi Diœceſim haberet Eccleſia Cantuariæ villam, aut Eccleſiam, quæ ejuſdem Archiepiſcopi proprii juris eſſent, quidquid de eadem villa, vel Eccleſia pertineret ad Epiſcopale officium, ſive Dedicatio, ſive aliquid aliud. Adhuc vivunt innumerabiles homines, qui viderunt Anteceſſorem meum Lanfrancum Archiepiſcopum dedicare Eccleſias villarum ſuarum intra Diœceſes aliorum Epiſcoporum ſine calumnia. Quod etiam S. Dunſtanus, & alii prædeceſſores mei feciſſe probantur, ipſis Eccleſiis, quas dedicarunt, adhuc ſtantibus.* Provocabat itaque ad veterem conſuetudinem, ut ſua jura vindicaret. Atque adeo facile fuit, ut privilegiis Capellarum, & Capellanorum Regum antiquo uſu roboratis Epiſcopi conſentirent. Cujus rei argumentum ſuggerit Concilium Londinenſe anno 1321. a Waltero Epiſcopo celebratum, quod cap. 6. vetans ſub gravibus pœnis, ne ſine Epiſcopi Diœceſani licentia agerentur Miſſarum ſolemnia in Oratoriis domeſticis, excepit tamen Sacerdotes illos, *quos in Oratoriis, vel Capellis Regum, ſeu Reginarum Angliæ, ſeu Librorum ſuorum erectis, vel celebrare contigiſſet.*

V. Vetuſtiſſima indicari poſſunt initia exemptionum, quibus Capellani, & Capellæ Regum Galliæ fruebantur. Ut enim teſtis eſt Adelardus in libello de Ordine Palatii, ſeu Hincmarus ep. 3. ad Epiſcopos Franciæ, Clerus Palatinus Magno Capellano ſuberat: *Apocriſiarius autem, quem Noſtrates Capellanum, aut Palatii Cuſtodem appellant, omnem Clerum Palatii ſub cura, & diſpoſitione ſua regebat.* Et Concilium Moguntinum anno 813. celebratum can. 22. in tres claſſes diſtinxit Clericos univerſos, alios ſub Epiſcopi cura, alios Abbatibus ſubjectos, alios in *ſervitio Domini Regis* conſtitutos: quo ipſo innuit Clericos Palatinos ſubductos Epiſcoporum poteſtati. Hinc hujuſmodi Clerici, plures ſibi vindicarunt libertates, quæ cum eccleſiaſticam diſciplinam inſigniter læderent, canonibus Conciliorum comprimebantur. Ex Concilio Francfordienſi can. 38. colligitur, illos id ſibi juris aſſeruiſſe, ut communicarent cum Preſbyteris, quos Epiſcopus communione ſua privaverat; & hanc diſciplinæ relaxationem vetuit Concilium, cujus inducendæ nulla alia eſſe potuit cauſa, niſi illorum exemptio. Eodemque jure excipiebant Clericos aliarum Diœceſium ſine proprii Epiſcopi conſenſu: unde Concilium Aquiſgranenſe anno 836. can. 23. decrevit: *De Preſbyteris, qui in Palatio morantur, ut ſine proprii Epi-*

ſcopi

Digitized by Google

ſcopi conſenſu, ibi locum conſiſtendi non habeant, nec recipiantur. Et Concilium Meldenſe anni 845. can. 58. ſtatuit, ut ne Clericus aliquis adjungeretur Clero Capellæ Regiæ, inſcio Epiſcopo ſuo: *Cum quilibet Canonicorum ad Regiam venerit Majeſtatem, & ſuo ſe voluerit mancipare ſervitio, conſenſu Epiſcopi, ad cujus Diœceſim pertinere dignoſcitur, eum recipiat. Et ſi in Ordine Clericali eum promovere voluerit, manus ipſius impoſitione ad eccleſiaſticum ordinem, ſi dignus fuerit, conſecretur*. Nulli itaque Clerici, inſciis, vel invitis Epiſcopis ſuis, poterant in Capellam Regiam aſſumi; etſi hujus Clero adſcripti, jam haberentur tamquam exempti, ideoque vocarentur *liberi Clerici*, quemadmodum Fauchetius in libro de Familia Caroli M. cap. 16. & Peiratius lib. 1. de Orat. Reg. Galliæ cap. 16. adnotarunt. Ea phraſis, qua exemptio Clericorum Aulicorum indicatur, occurrit in Concilio Tullenſi anno 859. ubi Carolus Calvus ajebat, ſe Epiſcopatum Senonenſem contuliſſe *Weniloni Clerico meo in Capella mihi ſervienti, qui more liberi Clerici ſe mihi commendaverat, & fidelitatem ſacramento promiſerat*. Neque ſine conſenſu Epiſcopi excitabantur Palatinæ Capellæ, ut patet ex lib. 5. Capitul. Caroli M. cap. 182. *Ne Capellæ in noſtro Palatio, vel alibi ſine permiſſu Epiſcopi, in cujus Parochia ſunt, fiant*. Et tamen eæ erant exemptæ: ideoque Concilium Pariſienſe an. 829. lib. 3. cap. 19. hortabatur Ludovicum Pium, ne fineret indignos in Regnis Capellis miniſtrare; & ut Aulici, ſaltem diebus feſtis, adeſſent Sacro. Sane cum ſumma eſſet in toto Regno Archicapellani dignitas, & auctoritas; ſummaque etiam eſſet Epiſcoporum in Archicapellanum obſervantia, dubitari vix poteſt, quin iis ultro conſentientibus, Archicapellanus pleniſſima libertate præfuerit ſacro Aulæ miniſterio, & Clericis Palatinis.

VI. Poſterioribus ſæculis Romani Pontifices Capellas, Capellanos, ipſoſque Reges Galliæ, plurimis privilegiis cumularunt; quæ collegit, ediditque Tilletius, quæque memorantur a Chopino, Thomaſſino, Peiratio, Degraſſalio, aliiſque. Honorius III. Philippo Auguſto Regi fas eſſe decrevit audiendi Sacrum, & Divina Officia in locis interdictis. Alexander IV, & Clemens IV. in gratiam S. Ludovici Regis declararunt, neque Regem, neque Reginam, nec ſucceſſores adſtringi ſententia excommunicationis, aut interdicti, ſine expreſſo conſenſu Apoſtolicæ Sedis: quod & confirmavit Clemens VI, addiditque, nec Regias Capellas interdicto ſubjacere, niſi Sede Apoſtolica conſentiente. Idem Clemens VI. Joanni Regi, ejuſque ſucceſſoribus poteſtatem dedit ingrediendi Monaſteria tam virorum, quam mulierum, in iiſque manendi, dummodo eorum Monaſteriorum Præſules ne diſſentirent. Ab eodem Pontifice, lata Bulla Kalendis Maji, anno nono Pontificatus, declaratum fuit, eos omnes, qui in Aula verſabantur Joannis Regis, & ſucceſſorum, nonniſi in caſu neceſſitatis, & quoad eccleſiaſtica Sacramenta ſubjici Parochis, & Epiſcopis locorum, ubi Regium fuerit domicilium. Rurſum eodem anno pluribus Bullis a Tilletio relatis Clemens VI. auxit Confeſſarium Regis poteſtate abſolvendi Regem, Reginam, & ſucceſſores a criminibus, quorum abſolutio eſſet Romanæ Sedi reſervata; tum etiam ab excommunicatione Canonis, dummodo non intervenerint ſanguinis effuſio in Clerici percuſſione: poteſtate itidem abſolvendi Regem a juramentis, votiſque, exceptis tamen votis peregrinationis Romanæ, Compoſtellanæ, & iu Terram ſanctam, ac voto Caſtitatis: audiendi inſuper Confeſſiones eorum omnium,

mnium, qui Regis, aut Reginæ, & ſucceſſorum Aulam comitarentur: eoſdem abſolvendi ab omnibus criminibus Romano Pontifici haud reſervatis, & miniſtrandi ipſis Eccleſiæ Sacramenta: permittendi quoque eſum carnium iis omnibus, qui prædictos Reges in caſtris ſequerentur, exceptis feria ſexta, Quadrageſima, Vigiliis Natalis Domini, Pentecoſtes, Omnium Sanctorum, Aſſumptionis Deiparæ Virginis, S. Joannis Baptiſtæ, & S. Laurentii; & dummodo non ullius voti religione abſtinendi ab eſu carnium obligarentur: Confeſſariis itidem Regis, Reginæ, & ſucceſſorum indulſit Pontifex carnium uſum, etſi ſui Inſtituti profeſſione prohiberentur: tandem eiſdem addidit facultatem concedendi Regi, Reginæ, & ſucceſſoribus Indulgentiam plenariam, morte imminente. Verum non Confeſſariis tantum, ſed & cæteris Capellanis Regum Galliæ, Romani Pontifices plurima privilegia contulerunt. Nam ex Bullis Clementis VI. a Tilletio editis, Capellani Regum Galliæ ſive Clerici, ſive Monachi in perſolvendis Divinis Officiis, licite adhærere poſſunt Ritui Eccleſiæ Pariſienſis, qui tum vigebat in Palatina Capella, neque obligantur ſervandis Ritibus ſuæ Diœceſis, aut Monaſterii: neque inviti ſubire coguntur Delegationes, aut Mandata eis ab Epiſcopis, vel Romana Sede commiſſa: licite quoque poſſunt a quocumque Epiſcopo ad Sacros Ordines promoveri: neque in excommunicationem incidunt communicando cum excommunicatis, niſi ſint participes criminis: neque ab obſequio Regis divelli poſſunt, ut ab excommunicatione, ſi in eam inciderint, abſolvantur. Et hinc putarunt nonnulli, Miniſtros Regum Galliæ haud excommunicatione innodari poſſe: quod tamen eo ſenſu intelligendum eſt, ut eis Romam commigrandum non ſit ad cenſuram relaxandam.

VII. Præterea ex ejuſdem Pontificis Bulla data die 20. Aprilis, anno nono Pontificatus, Capellani, Clericique Regum, & Reginarum Galliæ, licet lege reſidendi in ſuis Beneficiis eximantur, horum tamen proventus eis permittuntur. Et Tilletius teſtis eſt, Alexandrum IV. Martinum IV. Gregorium X. Joannem XX. eadem immunitate reſidendi donaſſe Clericos obſequiis addictos Regum Francorum. Illam Clementis VI. Bullam exhibent Carolus Degraſſalius lib. 2. Regalium Franciæ, & Chopinus lib. 3. cap. 30. de Demanio Franciæ. Ibidem Chopinus profert Joannis XXII. Bullam, qua Pontifex Canonicis Palatinæ Capellæ Pariſienſis nedum indulget exemptionem a reſidentia in ſuis Beneficiis, verum etiam ab auctoritate Epiſcopi Pariſienſis, & Archiepiſcopi Senonenſis. Et Peiratius lib. 3. cap. 8. & 9. plurima adducit Regum Galliæ Edicta, ut id juris Capellanis ſuis vindicarent, cum a Capitulis Cathedralibus ad reſidentiam compellebantur. Quamvis vero a Tridentino Concilio irritæ declaratæ ſint diſpenſationes omnes perpetuæ reſidendi; attamen, ut obſervat Thomaſſinus p. 2. lib. 3. cap. 72. cum non Beneficiariis ipſis, ſed Regibus privilegia hæc indulta fuerint, & de iis revocandis, nulla expreſſa fuerit mentio facta, cenſendum non eſt, derogatum illis voluiſſe Patres Tridentinos. Obſervat etiam vir doctiſſimus, perpetuam non eſſe illam reſidentiæ relaxationem; ſiquidem coarctatur ad tempus, quo illi ſunt in obſequio. Addit, decretis Henrici III. ſtatutum eſſe, ut expleto ſuo miniſterio, Capellani Regii ſuis adhæreant Eccleſiis; coarctatum quoque fuiſſe exemptorum numerum, cum ex illorum copia, Eccleſiæ ſuis deſtitutæ miniſtris conquererentur. Hanc autem reſidendi immunitatem porrigi etiam ad Clericos Conſiliarios Senatus Regii cenſet Chopinus lib. 3.

de ſac. Polit. cap. 3. quod in Bulla Clementis VI. ſermo ſit nedum de Capellanis, ſed & de Clericis Regum, atque adeo de Clericis Conſiliariis; eo præſertim nomine, quod hi Regi, & Regno inſervientes cenſendi ſint, ac ſi præſentes adeſſent Eccleſiis ſuis, ad inſtar Canonicorum Epiſcopo inſervientium, quos immunes fecit a reſidentia Alexander III. Cap. *Ad audientiam:* De Cler. non reſid. *Cum abſentes dici non debeant, ſed præſentes, qui tecum pro tuo, & ipſius Eccleſiæ ſervitio commorantur*. At movent alii litem Conſiliariis Clericis de hac immunitate, quorum momenta refert Thomaſſinus; & is, re utrinque diſcuſſa, tutiſſimum ſibi videri dicit, neutram in partem præcipitare ſententiam; ſuæque illos ſapientiæ, & conſcientiæ permittere, quorum res agitur. Cæterum ea immunitate donandi fuerunt Capellani Regum, quod iis plurima Regni Beneficia conferri mos erat. Ut enim tradit Peiratius lib. 3. cap. 9. & 10. tum Romani Pontifices, tum Reges, præſertim Carolus IX. Henricus III. Henricus IV. non pauca ſui juris Sacerdotia, reſervata, & affecta Capellanis Regiis declararunt. Imo cum Galliæ Reges eo jure fruantur, ut poſt ſuam inaugurationem, ad illorum collationem ſpectet prima quævis Præbenda vacatura in Eccleſia qualibet Cathedrali, vel Collegiata, de qua re agit Degraſſalius lib. 2. Regalium Franciæ; tum etiam, ut Regiæ collationis ſit, poſt fidelitatis ſacramentum ab Epiſcopo recenter ordinato emiſſum, quæ omnium prima in hujus Eccleſia conferenda ſit Præbenda; has Capellanis ſuis concedere Reges conſueverunt. Plura de hac re habet Rhenatus Chopinus lib. 2. Monaſticon tit. 3. n. 21. & lib. 2. de Demanio tit. 10. n. 16. & lib. 1. de ſacr. Polit. tit. 7. n. 4. & 15. Denique Clerici Palatini Regum Galliæ, ſive ſint Capellani, ſive aliis gerendis officiis Aulæ incumbant, judicem, & diſceptatorem ſuarum litium, ac cauſarum habent Abbatem S. Genoveſæ, ut tradit Rhenatus Chopinus lib. 2. de ſacra Polit. tit. 5. n. 5. Tum etiam ex Bulla Alexandri IV, quam refert Tilletius, Abbas S. Dionyſii conſtitutus eſt vindex privilegiorum, quæ Regibus, & eorum Clericis, Romani Pontifices conceſſere.

VIII. Quod Magnum Eleemoſynarium ſpectat, Peiratius libro 1. cap. 62. fuſe probat, ipſum eſſe Epiſcopum Aulæ, quod nempe ſucceſſerit veteri Archicapellano, qui certe agebat Antiſtitem Aulæ; quod hæc ſit plurimum Auctorum ſententia; quod etiam in Hiſpania Major Capellanus ſit Epiſcopus Aulæ; quod ex Regeſtis annorum 1559. & 1560. conſtat, datam a Magno Eleemoſynario facultatem Capellanis Regiis audiendi Confeſſiones, & adminiſtrandi Sacramenta Aulicis omnibus; quod Clemens VI. donaverit Eleemoſynarios Regis, & Reginæ poteſtate abſolvendi omnes illorum domeſticos; quod apud Regem nonniſi ille Sacris operatur, nec ulli Prælato id fas ſit, niſi eo permittente; quod denique primum inter omnes Epiſcopos obtinet locum, quum Rex ſacris rebus incumbit. Optat tamen, ut ad hanc Magni Eleemoſynarii ſpiritualem juriſdictionem firmius roborandam, Francorum Reges aliquam a Romanis Pontificibus Conſtitutionem impetrarent, ei ſimilem, quam obtinuere Reges Hiſpaniæ. Si enim Monachis San-Dionyſianis ab Epiſcopi Diœceſani juriſdictione exemptis Stephanus III. Pontifex conceſſit, ut illorum unus eſſet loco Epiſcopi, tam in ipſo Monaſterio, quam in aliis Monaſteriis eidem ſubjectis; quindi Regibus erit concedenda facultas nominandi Prælatum aliquem, qui Epiſcopale miniſterium in Aula exerceat? Et eodem lib. 1. cap. 20.

20. probat contra Tilletium, Pariſienſem Epiſcopum haud eſſe Parochum Aulæ, aitque nullum hujus rei veſtigium in Hiſtoria occurrere: *car l'Eveſque de Paris n'a jamais eu authorité dans la Cour, s'il n'a eſté pourveu de quelque dignité dans la Chapelle du Roy: comme le Cardinal de Gondy, quand il a eſté honoré de la dignité de Maiſtre de l'Oratoire du Roy, & le Cardinal de Rets ſon neveu, quand il a eſté pourveu de la meſme dignité, & encore ſon frere Archeveſque de Paris, qui exerce aujorduy la Charge de Maiſtre de la Chapelle de Muſique en la Chapelle du Roy. Nos Roys n'ont d'autre Paroiſſe, que leur Chapelle, la quelle eſt par tout ou Sa Majeſté oyt le ſervice Divin, celebré par les Eccleſiaſtiques de ſa maiſon*. Addit, nullis fas eſſe coram Rege Sacra miniſtrare, niſi vel ejus Capellanis, vel Magno Eleemoſynario permittente: morem quidem vigere, ut in quocumque loco Rex fuerit, quotidiana oblatio Parocho illius loci concedatur; id tamen honoris cauſa fieri, non quia Rex ſit illius Parochianus: Cardinalem Rochefocaltium Magnum Eleemoſynarium anno 1625. in ipſa Cathedrali Parienſi benedixiſſe nuptias inter Mariam Henrichettam Ludovici XIII. ſororem, & Regem Angliæ: falſo denique a Tilletio aſſeri, quod ad Epiſcopum Pariſienſem ſpectat Regia funera moderari, cum id ſpectet ad Magnum Eleemoſynarium, qui proinde ultimus poſt omnes Epiſcopos incedit, proximior Regio cadaveri. Peiratio ſuffragantur alii Scriptores. Nam Joannes Lomedus in tractatu privilegiorum ſcribit: *Aulicis exemptis Magnus Eleemoſynarius eſt pro Epiſcopo:* & Petrus Gallandus in vita Petri Caſtellani: *Aulæ Regiæ unicus Epiſcopus eſt; quocumque in loco per totum Regnum Rex verſetur, ab eo Sacramenta petere ſolet:* & Rovillardus in libro de Magno Eleemoſynario ſcribit, hunc eſſe Epiſcopum Regis; etſi ipſe cenſeat, Antiſtitem Pariſienſem eſſe Parochum Aulæ. Alii tamen ab hac ſententia diſſentiunt, uti Pontaſius in Dictionario Caſuum Moralium to. 3. tit. de Simonia caſ. 47. ubi propoſita quæſtione, an ſit ſimoniacum pretio aſſequi Eleemoſynarii Regii munus; diſputat in utramque partem, an M. Eleemoſynarius ſit Aulæ Epiſcopus. Tum Peiratii præcipua momenta convellit, quod nempe Archicapellanus olim ageret Epiſcopum, nonniſi ex Epiſcoporum conſenſu; quod jura ex privilegio Pauli V. conceſſa Majori Capellano Regis Hiſpaniæ, haud aliis communicari poſſint; quod denique Epiſcopi ſemper repugnarint Magnis Eleemoſynariis, ſi ſibi Epiſcopalia jura vindicaſſent. Addit, ætate ſua Epiſcopum Pariſienſem Sacra feciſſe coram Rege cum omnibus ſuæ dignitatis ornamentis; eoque etiam ritu alios Epiſcopos, in quorum Diœceſibus Regem morari contigiſſet.

IX. Capellanis, & Capellano Majori Regum Hiſpaniæ plurima, eaque ampliſſima privilegia conceſſere plures Romani Pontifices, Sixtus IV, Innocentius VIII, Alexander VI, Julius II. in gratiam Ferdinandi Catholici, & Eliſabeth ejus conjugis, & Joannæ filiæ, ob præſtantiſſima eorum in Eccleſiam merita. Ea omnia in Caroli V. gratiam confirmata fuere a Leone X. anno 1519. data Bulla, quæ incipit: *Alias felicis recordationis*, quam e Regio Archivio deſumptam exhibet to. 2. Chioccarellus. Hujus privilegii hæc eſt ſumma. Capellanus Major Regum Hiſpaniæ curam habet animarum eorum omnium, qui in Palatio degunt, quique Regum obſequio ſunt addicti, Regis Regiæque familiæ, quorum omnium Rector nuncupatur, ubicumque locorum Rex & Aula fuerit, ſive ad breve tempus, ſive cauſa diutius

 ibi

ibi commorandi. Cum animarum curam habeat, poteſt Aulicis omnibus, vel per ſe, vel per alios ab ipſo ad id muneris deputatos, Sacramenta adminiſtrare, Euchariſtiam etiam in Paſchate eis porrigere, eorum Confeſſiones audire, eos abſolvere etiam in caſibus Epiſcopo reſervatis, eoſdem vita functos etiam Interdicti tempore tradere eccleſiaſticæ ſepulturæ. Poteſt vel per ſe, vel per alium, nuptiis benedictionem impertiri, quæ in Regum præſentia contrahuntur; ac itidem Baptiſma conferre infantibus, Judæis, aut Saracenis, qui, præſentibus ipſis, ſunt baptizandi. Poteſt & ducentos Indulgentiarum dies Regibus, eorumque domeſticis elargiri. Itidem facultatem concedere Aulicis omnibus confitendi peccata ſua cuilibet idoneo Sacerdoti, ſive Regulari, ſive Seculari. Aulicos quoque ab inteſtato decedentes, in quacumque Eccleſia ſepulturæ mandare. Eorum omnium, qui Capellæ Regis ſunt addicti, lites quaſcumque, & controverſias diſcutere, ac definire. Hique omnes declarantur penitus exempti ab Ordinariorum poteſtate, nulla Ordinariis in eos juriſdictione conceſſa. Eoſdem abſolvere ab excommunicatione ob violentam injectionem manuum, citra tamen membrorum mutilationem, aut enormem læſionem; nec non ab irregularitate, ſi in eam inciderint, ob illicitam ſacri miniſterii executionem. Iiſdem facultatem impertiri recipiendi ſacros Ordines a quocumque Catholico Epiſcopo, ſtatutis tamen a jure temporibus. Denique in Capella Regia fas eſſe, Divina omnia celebrari Officia, etiam abſentibus Regibus; quin & iis præſentibus Sacrum fieri, hora una poſt meridiem. Hæc itaque jura Majori Capellano Regum Hiſpaniæ Leo X. conceſſit, quæ deinde ſubſequentes Romani Pontifices confirmarunt.

X. Nam ea renovavit, confirmavitque Paulus III Bulla, quæ incipit: *Præclaræ devotionis ſinceritas* anno 1535, addiditque, ut in Capella Palatina, præſentibus Regibus, fas eſſet Sacrum celebrari circa diurnam lucem, utque in die natalitio Regis, Indulgentias lucrarentur, qui Regiam Capellam religionis cauſa adirent. Tum Pius V. edito Brevi die 7. Junii anno 1569. in gratiam Philippi II, quod incipit, *Inter cætera*, declaravit, fas eſſe Regi, ut in abſentia Archiepiſcopi Compoſtellani Majoris Capellani nominaret Presbyterum, *qui durante abſentia dicti Archiepiſcopi, a dicta Curia, in quibuſcumque Civitatibus, Oppidis, & locis, in quibus dictum Philippum Regem, ejuſque Curiam Regiam pro tempore reſidere contingeret, curam animarum familiæ ejuſdem Philippi Regis, ac omnium, & ſingularum perſonarum, tam in ipſis Regnis, & Dominiis originem trahentium, quam extraneorum a quibuſvis Orbis partibus ad ipſam Curiam confluentium, cujuſcunque qualitatis, gradus, ſtatus, ordinis, vel conditionis, ac præeminentiæ fuerint, Archiepiſcopis tamen, & Epiſcopis exceptis, exercere, eoſque viſitare, corrigere, ac omnimodam juriſdictionem ordinariam, omniaque, & ſingula, quæ Archiepiſcopi, & Epiſcopi, ac alii locorum Ordinarii in Diœceſibus ſuis de jure, vel conſuetudine, vel alias quomodolibet facere, & exercere conſueverunt, citra tamen exercitium Pontificalium, & Ordinum, & Beneficiorum collationem exercere libere, ac licite valeat.* Quod omne renovatum, confirmatumque fuit a Gregorio XIII. emanato Brevi, *Cum dudum* die 7. Aprilis anni 1591, illudque inſuper additum: ut Capellanus Major, ſeu is, qui ab eo ad animarum curam fuerit deputatus, cum Sacramenta Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, Unctionis extremæ, atque Matrimonii adminiſtra-

ſtrare debeat Aulicis omnibus, ſi propriam non habeat Eccleſiam, ubi ſacrum exerceat miniſterium, poſſit in ea Parochiali Eccleſia Regio Palatio contigua, quam ipſe maluerit, Sacramenta adminiſtrare, vel exinde Sacramentalia ſumere ad infirmos ſibi ſubditos deferenda; ac ibidem monitiones matrimoniis prævias pro ſuis ſubditis promulgare; utque fas ſit in Capella Palatina Euchariſtiam, & Oleum infirmorum aſſervare. Confeſſarios quoque deputare audiendis Confeſſionibus Palatinorum, ſive ſeculares Clericos, ſive Regulares, eoſque examine probare: iiſdem facultatem concionandi, ac celebrandi in Capellis Regiis impertiri, vel ubicumque Rex præſens fuerit. Tandem, ut ei ſit facultas conſtituendi miniſtros, & Officiales, qui auctoritate Apoſtolica exerceant omnimodam juriſdictionem in Clericos, omneſque addictos ſive Capellæ, ſive Palatio Regis. Exhibet hæc Pontificia diplomata e Regio Tabulario Neapolitano deſumpta Chioccarellus. His autem perſpicuum ſit juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in Aula, & Capella Palatina, Majori Capellano Regum Hiſpaniæ fuiſſe conceſſam. Excepit tamen Pius V. uſum Pontificalium, & collationem ſacrorum Ordinum, ac Beneficiorum; quod a ſimplici Presbytero, vicario nomine Archiepiſcopi Compoſtellani, ſupponeret hoc officium adminiſtrari; nam eo Brevi declarat Pontifex poſſe Regem in abſentia Compoſtellani Antiſtitis, Presbyterum aliquem ad id muneris deputare. Atqui ſimplici Presbytero uſus Pontificalium, & Ordinum collatio jure denegatur.

XI. Cum vero hæc ipſa ampliſſima privilegia complecti viderentur Regum perſonas, quibus conceſſa ſunt, non vero eorum ſucceſſores; hinc, ut nullus ſupereſſet dubitationi locus, Philippus III. Romam ablegavit Petrum Fernandez de Navarette Capellanum ſuum, virum graviſſimum; qui curaret renovari a Pontifice vetera privilegia Capellæ, & Capellani Majoris Regum Hiſpaniæ. Res ceſſit e voto: neque enim Regi de Eccleſia, ac de Sede Apoſtolica optime merito deneganda erant beneficia illa, quibus prædeceſſores Reges Romani Pontifices cumulaverant. Itaque Paulus V. die 17. Februarii anno 1614. Breve dedit, quod incipit: *Piis Catholicorum Regum votis*, quo Magno Capellani poteſtatem, antiquis, noviſque privilegiis plurimum extulit. Exhibet hoc Pontificium Diploma Turturetus in libro de Sacello Hiſpano, & Peiratius in libro de Oratorio Regum Galliæ. Eo Brevi committitur Majori Capellano cura animarum Regiæ familiæ, eorumque omnium, qui ad Aulam ſpectant, ubicumque locorum Rex fuerit; & ordinaria juriſdictio, ut ea omnia vel per ſe, vel per ſuos miniſtros exercere licite poſſit, quæ Epiſcopi, & alii locorum Ordinarii in ſuis exercent Diœceſibus. Judicem illum declarat Pontifex Capellæ, Capellanorum, omniumque miniſtrorum, qui Regi famulantur. Facultatem ei tribuit deputandi Capellanos in ruralibus Regiis domibus. Examinandi Clericos Regalis Capellæ ad audiendas Confeſſiones, ad Sacrum faciendum, ad divinum verbum prædicandum, eoſque approbandi ad hæc ſacra munera peragenda. Concionatores deſignandi ſive Regulares, ſive ſæculares, qui vel in Capella Regia, vel ubique locorum Rex fuerit, prædicare valeant divinum verbum, quin ab ullo Ordinario prohiberi poſſunt. Confeſſarios quoque nominandi ad audiendas Confeſſiones Aulicorum omnium, tum ſæculares, tum Regulares, hos tamen de conſenſu ſuorum Superiorum. Abſolvendi Capellanos, & cæteros Capellæ Miniſtros ab excommunicatione ob per-

percuſſionem Clerici latam; & diſpenſandi cum iis in irregularitate proveniente ex illicita divinarum rerum celebratione. Adminiſtrandi Sacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ etiam in Paſchate; & alia Sacramenta Regi, Auliciſque omnibus; ita ut ei fas ſit, vel de vicinori Parochia ea ſumere, vel in Capella Palatina Euchariſtiam, & Oleum infirmorum aſſervare. Conferendi etiam ſacrum Baptiſma, aut benedictionem nuptialem iis omnibus, qui in præſentia Regis vel baptizantur, vel matrimonio copulantur. Audiendi vel per ſe, vel per alios Confeſſiones Aulicorum omnium, eoſque abſolvendi etiam a criminibus Epiſcopo reſervatis, & vita functos tradere ſepulturæ, etiam vigente Interdicto. Tum exemptos declarat Pontifex Capellanos Regios ab Epiſcopi Diœceſani poteſtare: *ita ut quicumque locorum Diœceſani, & alii Ordinarii judices in Capellanum Majorem, & Capellanos, & Cantores, & Scholares prædictos actu inſervientes, & conſueta ſtipendia percipientes, quos ab illis prorſus, & omnino eximimus, & totaliter liberamus; & quoad Majorem, Sedi Apoſtolicæ immediate, quoad alios vero Capellanos, Cantores, & Scholares hujuſmodi dicto Capellano Majori ſubeſſe decernimus; nullam penitus ſuperioritatem, dominium, & jurisdictionem exercere, nec ſe de illis quomodolibet intromittere valeant: ſed prædicti Capellani, Cantores, & Scholares coram ipſo Capellano Majori, ſeu Legatis, aut Delegatis dictæ Sedis dumtaxat teneantur de juſtitia reſpondere*. Annuit præterea Pontifex, ut iidem Clerici Capellæ Regiæ ſacris initientur Ordinibus a quocumque Catholico Epiſcopo, ſtatutis tamen a jure temporibus. Palatinis deinde omnibus fas eſſe dicit, conſentiente Majore Capellano, quemcumque Sacerdotem ex utroque Clero habere ab audiendis Confeſſionibus, qui tamen Sacerdos, ſi Aulicus non ſit, approbatus eſſe debet ab Ordinario. Tum etiam permittit in Capella Palatina, etiam abſente Rege, omnia Divina Officia perſolvi; & præſente Rege Sacrum fieri hora una antelucana, & altera poſt meridiem. Excipit Pontificalium uſum, collationem Ordinum, & Beneficiorum, a quibus Majorem Capellanum prohibet; quod nimirum ſupponat, abſente Compoſtellano Antiſtite, ſimplici Presbytero hoc munus demandari. Ita enim ait: *Atque hæc omnia, & ſingula moderno, & pro tempore exiſtenti Archiepiſcopo Compoſtellano, tamquam dictæ Capellæ Capellano Majori, quamdiu, & quoties in dicta Curia perſonaliter reſederit, & eo ab eadem Curia abſente, ſeu in illa non reſidente, perſonæ in Presbyteratus ordine conſtitutæ per te toties, quoties tibi viſum fuerit, nominandæ, & per ſuum Ordinarium adprobandæ, quam Nos ex nunc, prout ex tunc, poſtquam per te nominata, & a ſuo Ordinario approbata fuerit, deputamus, & approbamus, quæ durante abſentia dicti Archiepiſcopi in Curia prædicta, in quibuſvis civitatibus, oppidis, & locis, in quibus te, tuamque Curiam Regiam pro tempore reſidere contigerit, omniaque, & ſingula alia, quæ Archiepiſcopi, & Epiſcopi, ac alii locorum Ordinarii in Diœceſibus ſuis de jure, vel conſuetudine, aut alias quomodolibet facere, & exercere conſueverunt, citra tamen exercitium Pontificalium, & Ordinum, ac Beneficiorum collationem, exercere libere, ac licite, quodque omnibus, & ſingulis gratiis, favoribus, præeminentiis, & indultis, quibus dictus Archiepiſcopus, dum in tua Curia reſidet, ratione dicti officii Capellani Majoris gaudet, fruitur, & utitur, ac gaudere, uti, & frui quomolibet poteſt gaudere, uti, frui poſſit, & valeat pariformiter, & æque perſonaliter, ac tibi perſonam hujuſmodi no-*

nominandi, & eligendi, plenam, & omnimodam facultatem Apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Vides itaque ſermonem eſſe de perſona in Presbyteratus Ordine conſtituta, cui vices committuntur Compoſtellani Præſulis. Cæterum ſi Clericis Palatinis datur facultas recipiendi ſacros Ordines a quocumque Catholico Epiſcopo, quindi ab eorum Antiſtite Majore Capellano, ſi is Epiſcopali dignitate fulgeret? Tum requirit Pontifex, ut approbatus ſit ab Ordinario Presbyter, quem Majorem Capellanum Rex nominaverit. Hinc vero, poſſe Regem ad tempus alicui hoc munus demandare, colligitur ex illis verbis: *per te toties, quoties tibi viſum fuerit, nominandæ*. Tandem complectitur Pontifex dumtaxat Capellanos, Cantores, Scholares actu inſervientes, & conſueta ſtipendia percipientes.

XII. Refert Cabedus in libello de patronatu Regiæ Coronæ cap. 43. aliqua Leonis X. Diplomata circa juriſdictionem Majoris Capellani Emmanuelis Regis Luſitaniæ, ejuſque ſucceſſorum. Horum primum datum eſt anno 1505. quo Majori Capellano ſubjicit Capellanos, Cantores, Scholares Capellæ Regiæ actu ſervientes; ita ut eorum omnium cauſas quaſcumque etiam beneficiales ipſe diſcutiat, atque definiat; ſitque eorum judex ordinarius, quin ulli locorum Ordinarii ſibi aliquam in illos juriſdictionem vindicare valeant, a quorum poteſtate penitus eximit, & Capellano Majori immediate ſubjicit. Tum Majori Capellano facultatem indulget abſolvendi eoſdem ab excommunicatione Canonis; & ab irregularitate, ſi ſacrum miniſterium ſuſpenſi peregerint. Eoſdem permittit a quocumque Catholico Antiſtite ad ſacros Ordines promoveri: Divina Officia juxta Romanum ritum in Capella Regis perſolvere, etiamſi Regulares ſint: fructus quoque ſuorum Beneficiorum percipere, licet minus reſideant: reſidentiæ legibus minime obligari: nec cenſuris compelli poſſe, niſi de iis expreſſa fiat mentio. Capellanum vero Majorem permittit Pontifex Sacramenta Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & alia Sacramenta Regi, & omnibus in Capella Regia ſervientibus, & reſidentibus adminiſtrare: eoſdem etiam in caſibus Epiſcopalibus abſolvere, & vita functos ſepulturæ tradere: infantes, Judeos, Saracenos, præſente Rege, ſacris aquis abluere: nuptias in præſentia Regum initas benedicere: ducentos Indulgentiarum dies in Miſſarum ſolemniis concedere. Alterum Pontificium Diploma datum eſt anno 1515. quo Pontifex conſtituit Majorem Capellanum ejuſdem Regis, ac ſucceſſorum, judicem cauſarum omnium tam civilium, quam criminalium, & Beneficialium Capellanorum, Clericorum, Religioſorum familiarium Regis, & Curialium, ubicumque exſtant, & ubicumque crimina ipſa per eos commiſſa, & perpetrata fuerint; quin alius judex vel ratione originis, aut domicilii, aut Beneficii, aut criminis, de iis cognoſcere, ac judicare poſſit. Siqui juriſdictionem Majoris Capellani convellere præſumpſerint, cenſuris coerceri poſſunt: ſiqui familiares ex aliqua cauſa extra Curiam morantur, ſtipendia tamen Regis percipiunt; ſique de loco in locum Curia ſe conferat; nihilo tamen minus juriſdictioni Majoris Capellani ſubjiciuntur. Qui ſi Epiſcopus fuerit, poteſt etiam matrimoniales cauſas familiarum, & Curialium Regis diſcutere, ac definire. Addit Cabedus, Emmanuelem Regem nonnulla declaraſſe circa hanc Majoris Capellani juriſdictionem, de quibus exſtat Novella Regni p. 2. tit. 4. lib. 1. & ſequentibus, ubi etiam ſit mentio Bullarum, quas Clemens VII. Julius III. Pius IV. circa hanc juriſdictionem emanarunt; quibus ea juriſdictio in aliquibus ca-

caſibus reſtricta eſt . Refert idem Cabedus Leonis X. Bullam anni 1514. qua Major Capellanus Regis Luſitaniæ judex declaratur *de cauſis tam per ipſum Emmanuelem, & pro tempore exiſtentem Regem ſuper quibuſvis Eccleſiis , & Beneficiis eccleſiaſticis , in quibus jus præſentandi, vel nominandi , aut alias ſibi competit , quam perſonas per eum præſentatas, aut nominatas ad Beneficia prædicta , ſeu eorumdem Beneficiorum poſſeſſores, aut alias quaſcumque perſonas active , & paſſive pro tempore motis, ac de cauſis tam civilibus, quam criminalibus, & Beneficialibus Capellanorum, etiam Religioſorum, ac Clericorum etiam in minoribus Ordinibus conſtitutorum ejuſdem Emmanuelis, ac pro tempore exiſtentis Regis familiarium , & Curialium undecumque exiſtentium, & ubicumque crimina ipſa commiſſa, & perpetrata fuerint, cognoſcere poſſit* . Prætera ex alio Leonis X. Brevi die 12. Julii 1518. apud Souſam pag. 249. ſtatutum fuit, ut ne ullis Archiepiſcopis, Epiſcopis , aliiſve Regni Prælatis fas eſſet Cenſuras proferre in Regios Magiſtratus, Rectoreſque Civitatum , vel Provinciarum Regni (quod hi haberentur tanquam Regis familiares) niſi a Majore Capellano diſcuſſa , ac probata fuiſſet cauſa eaſdem infligendi . Quod & Julius III. confirmavit , datis litteris 8. Decembris an. 1551. a Souſa relatis , addita pœna, in eos , qui Regios Magiſtratus innodaſſent Cenſuris , quas Major Capellanus ratas minime habuiſſet . In eos quoque Clericos , qui in locis Regiæ venationis venarentur, Majorem Capellanum Cenſuras aliaſque pœnas infligere poſſe ſtatuit Leo X. litteris die 16. Septembris 1519. datis Epiſcopo Lamacenſi , Majori Capellano. Cum itaque huic tot ampliſſima jura communicata eſſent; æquum, & conſentaneum erat , ut nonniſi ex Epiſcoporum numero Major Capellanus accerſeretur, ut ne cæteris Epiſcopis inferior eſſet Ordine, quibus dignitate , & auctoritate præſtabat . Quamobrem cum Joannes de Caſtro Regius Conſiliarius Majorque Capellanus tum Sebaſtiani Regis , tum Henrici Cardinalis , Epiſcopali dignitate minime fulgeret ; ei tamen Pius V. Pontifex Brevi dato , die 12. Junii , anno 1571. permiſit , ut jura, facultates, & prærogativas Majoris Capellani exerceret, etſi donatus non eſſet Ordine Epiſcopali . Refert Souſa Lib. 4. cap. 17. Hiſt. Reg. Luſ.

XIII. Sed & Clericos Palatinos Regum Portugalliæ nonnullis donarunt privilegiis Romani Pontifices . Nam petente Joanne III. Rege, ut ſibi integrum, liberumque eſſet Clericos Sacris innexos Ordinibus, & reſidentiæ legibus adſtrictos , & a tractandis ſæcularibus negotiis prohibitos in Conſilium ſuum adſciſcere ; quorum doctrina , & pietate adjuvaretur Reſpublica ; Paulus III. Breve edidit die 28. Septembris anno 1538. annuitque, *omnibus , & ſingulis dictorum perſonis eccleſiaſticis, etiam in ſacris, etiam Presbyterarus Ordinibus conſtitutis, etiam quæcumque, quotcumque, & qualiacumque Beneficia eccleſiaſtica obtinentibus, ut quamdiu in humanis egeris , in dicto tuo Conſilio intervenire, & intereſſe, & civiles cauſas in ea pro tempore introductas, non tamen ad forum eccleſiaſticum ſpectantes audire, cognoſcere, & prout juſtitia ſuadebit , terminare libere, ac licite valeant* . Tum a Pontifice Julio III. dato Brevi die 25. Mart. an. 1551. Clericis , qui in Conſilio Regis ſederent facta eſt poteſtas dicendi ſententiam , & jus reddendi in cauſis criminalibus , quin irregulares evaderent, vel ullis illigarentur Cenſuris ; eoſdem , dum Regis obſequio addicti in Aula verſabantur, liberos dixit a reſidentiæ vinculo, quo ſi-
ve

ve in Eccleſiis, ſive in Cœnobiis, ſi fuiſſent e numero Monachorum, adſtringebantur. Jam diu antea Joannes XXII. die 8. Mar. anno 1325. Alphonſum Portugalliæ Regem hoc donaverat privilegio, ut qui Clerici illius Aulæ, & obſequiis mancipati erant, ſuorum Beneficiorum proventibus integre fruerentur, etſi in iis minime reſiderent, imo nec umquam illic reſidentiam feciſſent.

XIV. Magnum Eleemoſynarium Regum Sardiniæ ampliſſimis donavit privilegiis Benedictus XIV. Brevi dato die 11. Auguſti anno 1745, quinto Pontificatus ſui, ad Carolum Emmanuelem glorioſiſſimum Regem. Cujus quidem Brevis, hæc ſunt ſumma capita: Magnus Eleemoſynarius, ſeu Major Capellanus, in Epiſcopali dignitate conſtitutus, quocumque in loco Rex etiamſi ad breve tempus, vel recreationis cauſa ibi fuerit, gerit curam animarum Regis, Regiæ familiæ, & Aulicorum omnium. Ac proinde quoad hos omnes, ſpiritualem juriſdictionem habet totam, eamque ordinariam, uti quilibet Epiſcopus in ſua Diœceſi. Hinc ad eum ſpectat Capellanos ad ſacrum Aulæ miniſterium; Confeſſarios ad Aulicorum Confeſſiones ſacramentales excipiendas; Concionatores ad Divini Verbi in Aula prædicationem, quovis in loco Rex moram fecerit, conſtituere, & deſignare. Sacramenta quoque Baptiſmi, Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ etiam in Paſchate, vel per ſe, vel per alios conferre Regi, Regiæ proli, Principibus Regiæ familiæ, iis etiam quos veluti ex legitimo matrimonio procreatos Rex haberi voluit, Equitibus Ordinis Beatiſſimæ Virginis Annuntiatæ, Aulicis omnibus, ſive Curialibus, nec exceptis iis, qui rude donati ſunt, & Militibus, qui Regis Regiæque familiæ cuſtodiæ perpetuo ſunt addicti. Quoad hos omnes facultatem habet Magnus Eleemoſynarius abſolvendi a quibuſvis criminibus, etiamſi nonnullorum abſolutio ſit Epiſcopis reſervata; eoſdem, Interdicti tempore, tradendi Eccleſiaſticæ ſepulturæ; Cantores, Scholareſque Regiæ Capellæ ab excommunicatione Canonis ob levem percuſſionem abſolvendi; & cum iiſdem in irregularitate ob illicitam Divinarum rerum celebrationem diſpenſandi. Aulicorum matrimonia proclamationibus, & Sacerdotali benedictione complet; tum & matrimonia omnia inita præſente Rege, ſua benedictione, & aſſiſtentia firma, ac rata efficit. Illorum omnium Oblationes in quacumque Eccleſia, Rege præſente, recipit. Iiſdem ægrotantibus Sacramenta omnia miniſtrat, ſumptis Euchariſtia, Oleiſque e Parochia Palatio Regis proximiore; atque ad ipſum ſpectant jura funerum eorum omnium, qui in Aula ſupremum obeunt. In Miſſarum ſolemniis, præſente Rege, fas ei eſt, ducentos Indulgentiarum dies elargiri. Clericos Palatinos ad ſacros Ordines promovere, ſervata tamen forma Bullæ *ſpeculatores*. Omnem vero hanc juriſdictionem poteſt Magnus Eleemoſynarius, etiam per alios exercere; imo abſente Rege a ſua reſidentia, nihilominus eadem apud Magnum Eleemoſynarium viget juriſdictio quoad Regiam familiam, perſonaſque omnes, qui in Palatio permanſerint. Abſente vero ab Aula Magno Eleemoſynario, vel e vivis ſublato, fas eſt Regi Presbyterum aliquem, a ſuo tamen Epiſcopo approbatum, ad hujuſmodi munus accerſere, qui hiſce omnibus utatur juribus, iis exceptis, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis. Tandem declaravit Pontifex, Magnum Eleemoſynarium, vel qui ejus vices gerit, ſoli Romano Pontifici eſſe ſubjectum. Quoad vero Capellanos, Cantores, & Scholares actu inſervientes, & conſueta ſtipendia percipientes, eoſdem exemptos voluit ab Epiſcoporum juriſdictione,

atque Magno Eleemoſynario immediate ſubjectos: utque Capellani Regii, numero triginta, valeant ſuorum Beneficiorum reditus percipere, quin reſidentiæ legibus obligentur, exceptis diſtributionibus quotidianis, & exceptis quoque Præbendis Theologali, ac Pœnitentiali. Denique in Capella Regis fas eſſe dixit aſſervandi Euchariſtiam, Oleumque infirmorum; omnia Divina celebrandi; ac, Rege preſente, Miſſam hora una antelucana, alteraque hora poſt meridiem.

XV. Quoniam vero ex hujus Pontificiæ conceſſionis varia interpretatione, varia emergebant dubia, quæ niſi diluerentur, facile perturbarent eccleſiaſticam diſciplinam; Archiepiſcopus Taurinenſis, cujus res agebatur, datis litteris ad Summum Pontificem, ut propoſitas explanaret quæſtiones, ſuppliciter petiit. Cui reſcripſit Pontifex rerum eccleſiaſticarum, præſertim Juris Canonici peritiſſimus, Reſponſis ſapientiſſimis per Archiepiſcopum Athenarum Aprocriſiarium Sedis Apoſtolicæ apud Sardiniæ Regem tranſmiſſis die 1. Novembris anno 1747. quæ communi bono edenda duximus, tum quia hujus libri argumentum inſigniter illuſtrant, tum ne oracula tanti Pontificis, quo doctior pluribus abhinc ſæculis in Petri Cathedra nullus ſedit, pereant poſteritati. I. Vigilantiſſimus Antiſtes ſciſcitabatur, an Pontificium Diploma concederet Magno Eleemoſynario juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, & an ea eſſet ſtrictæ, vel latæ interpretationis; cui Pontifex reſcripſit: *Nulla opus eſſe declaratione*, utpote quia certum eſt, juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, & diſtinctum Territorium tribui Magno Eleemoſynario, intra limites tamen præfixos, & quoad perſonas in Brevi deſignatas. II. An Magnus Eleemoſynarius, cujus foro plurimi addicti ſunt, poſſit jus dicere extra proprium Territorium, ſeu in Ædibus ſuis a Palatio Regis, ejuſque viciniis diſſitis? Reſcripſit Pontifex: *Licentiam in Brevi jam fuiſſe implicite conceſſam Magno Eleemoſynario, ſeu Capellano Majori, apertum retinendi Tribunal in domo propriæ habitationis; ſed quatenus opus, & ad abundantiorem cautelam a Sanctitate Sua eadem licentia nunc pro ſemper conceditur retinendi Tribunal in domo habitationis ſuæ, & ubique locorum Regia Majeſtas ſe transferat, pro perſonis tantum Curialibus, & ejus ſervitio addictis, & infra deſcribendis, quæ tamen licentia expirare debeat, ſi umquam in Palatiis Regalibus aſſignaretur Magno Eleemoſynario, ſeu Capellano Majori habitatio*. Nam cum illi exercenda ſit juriſdictio, cumque ejus domicilium ſit extra Ædes Regias, ſequitur, jus illi dicendum eſſe extra proprium Territorium: quemadmodum Archiepiſcopus Ravennatenſis Ferrariæ, & Epiſcopus Feſulanus Florentiæ, jus adminiſtrant ſubditis ſuis. III. Circa facultatem conferendi Sacros Ordines Capellanis, & Clericis Capellæ Regiæ indultam Magno Eleemoſynario, hæ quæſtiones movebantur; an ei fas eſſet etiam Sacros conferre Ordines Clericis Palatinis, quorum domicilium eſt in Palatio, nullum vero miniſterium exhibent in Capella Regis? an in Ordinatione illorum Clericorum, qui miniſtrant in Capella Regis, prærequirantur litteræ teſtimoniales de natalibus, ætate, & moribus, dandæ ab Epiſcopis, quibus ſubjecti ſunt ratione originis, vel domicilii, juxta Conſtitutionem Innocentii XII. *Speculatores?* an iidem rite ordinari poſſint, ſi non habeant Beneficium ſufficiens eorum conſervationi? an ſi amoveantur miniſterio Capellæ Regis, ſuaſque repetant Diœceſes, illorum Epiſcopi inquirere poſſint, utrum juxta Tridentini Decreta, & Conſtitutionem *Speculatores* fuerint ſacris Ordinibus initiati? Hiſce quæſtionibus Pon-

ti-

tifex fecit ſatis declarando: *Poſſe Magnum Eleemoſynarium, ſeu Capellanum Majorem, qui ſemper erit Epiſcopus, ordinare Capellanos, Cantores, & Scholares Regiæ Capellæ inſervientes tantum, vel illis litteras dimiſſoriales dare, recognitis prius per ipſum cauſa neceſſitatis, & utilitatis Eccleſiæ, & titulo Beneficii, & patrimonii, quamvis in Taurinenſi, vel alia Diœceſi poſiti, an ſit ſecurus, ſtabilis, perpetuuſque, & ſufficiens ad congruam ordinandi ſuſtentationem, juxta taxam Diœceſis, nec non habitis prius litteris teſtimonialibus proprii Epiſcopi originarii, vel domiciliarii, ſi tamen ordinandus diſceſſit a Diœceſi in ætate, in qua potuerit canonicum impedimentum contrahere, & non alias: quod ſi teſtimoniales litteræ denegentur, nullaque juſta cauſa afferatur; tunc & in eo caſu poſt præmiſſam trinam monitionem adeundus erit Nuncius Apoſtolicus, vel Sancta Sedes, ad hoc ut juſtis remediis, vel cogantur Epiſcopi ad tradendas litteras teſtimoniales, vel ordinatio abſque dictis litteris tuto, & impune fieri poſſit*. Nec movere debet, quod Capellani Regis amoveri poſſint ab illius obſequio; cum & ordinati ab Epiſcopo ratione Beneficii poſſint Beneficio ſe abdicare, vel eo alia ratione deſtitui. Cæterum de ordinandis a Magno Eleemoſynorio Principibus Regiæ ſtirpis nulla excitata eſt quæſtio, cum hi re ipſa ratione originis Magno Eleemoſynario ſubjiciantur. IV. An poſſit abſolvere a criminibus quorum abſolutio eſt Epiſcopis reſervata, etiam extra proprium Territorium? Cui quæſtioni Pontifex reſpondit: *Poſſe Magnum Eleemoſynarium, ſeu Capellanum Majorem, per ſe ipſum, vel alios Sacerdotes ab ipſo approbandos, excipere omnium Chriſti fidelium Confeſſiones in Regiis Capellis, ſed non poſſe abſolvere a caſibus Epiſcopis reſervatis, niſi ſolos Curiales, & Curiam Regis ſequentes*. Ni enim fas eſſet Sacerdotibus approbatis a Magno Elomoſynario audire in Capellis Regiis omnium Confeſſiones, non levis exercitaretur rerum perturbatio, cum Capellas Regias nedum Aulici, ſed & fideles omnes adeant, ut ſacris rebus incumbant. Ne vero fruſtretur criminum reſervatio ab Epiſcopis facta, hinc Sacerdotibus illis quoad ſolos Aulicos, ſeu juriſdictioni Magni Eleemoſynarii ſubjectos, permittitur facultas hujuſmodi crimina relaxandi. V. Cum in Pontificio Brevi mentio tantummodo fiat de infantibus Turcis, ac Saracenis a Magno Eleemoſynario baptizandis, Rege præſente; dubitatum fuit, an Hebræi, & Idololatræ, in præſentia Regis poſſint licite a Magno Eleemoſynario ſacris aquis ablui? Cui Pontifex: *Poſſe infantes, & Turcas, & Saracenos, ac Hæbreos, ac alios quoslibet Infideles, qui in præſentia Regis ex quavis cauſa pro tempore baptizabuntur, baptizare*. Verba enim Pontificiæ conceſſionis non ſunt *taxativa*, ut ajunt, ſed *demonſtrativa*, nempe exprimunt unam, vel alteram infidelium gentem. VI. An competat Pro-Eleemoſynario facultas concedendi Indulgentias in Miſſa ſolemni, & in concionibus, præſente Rege? Et an hac facultate Magnus Eleemoſynarius uti poſſit in Eccleſiis, quæ non ſunt Capellæ Regiæ, & præſentibus Epiſcopis Diœceſanis? Declaravit Pontifex: *Nullum jus competere Pro-Capellano benedicendi ſuper populo, & concedendi, & publicandi Indulgentias biſcentum dierum in Miſſis ſolemnibus, & concionibus habendis in præſentia Regis*. Hæc ſiquidem jura competunt Epiſcopis, in quorum numero haud eſt Pro-Capellanus Regis. *Poſſe tamen Magnum Eleemoſynarium benedicere ſuper populo, publicare Indulgentias biſcentum dierum in Miſſa ſolemniter celebrata, etiam in præſentia Archiepiſcopi, vel Epiſcopi Diœceſani, atque etiam benedictionem dare*

 Con-

Concionatori, tamen in præſentia Regis, aut in Regiis Capellis. Nam Capellæ Regiæ ſunt ei ſubjectæ, atque ipſe Epiſcopali ornatus eſt dignitate.

XVI. Septimo dubio inquirebatur; quænam Regia Palatia complectatur Magni Eleemoſynarii juriſdictio, an etiam ædes Regio Palatio proximas, præſertim cum in his ædibus plures degant, qui minime ſpectant ad Regis familiam? Declaratum fuit a Pontifice: *Omnia Palatia antiqua, & nova Majeſtatis ſuæ, una cum aliis fabricis annexis, apothecis, & cubiculis, ſi quæ ſint, ſub illis poſitis, & etiamſi perſonis quibuslibet locatis, habenda fore, & eſſe de Territorio Majoris Eleemoſynarii, ſeu Capellani Majoris; ſicut etiam Majeſtatem ſuam, Regalem ejus ſobolem, vel familiam, miniſtros, milites, domeſticos, & inſervientes, eorumque familias, ut infra deſcribendas, & demum omnes in dictis Palatiis quocumque modo ibi habitantes, etiam ex cauſa ſtudiorum, vel alia accidentali ex cauſa apud eorum parentes commorantes, & apothecas, & cubicula forte conducentes, cenſendos fore, & eſſe juriſdictioni Magni Eleemoſynarii, ſeu Capellani Majoris ſubjectos*. Quamvis enim in ædibus Regio Palatio finitimis plures commorari poſſint, ac commorentur, qui nullo modo ſpectant ad Regium famulitium; nihilo tamen minus, ad perturbationem omnem eliminandam, quæ facile emergeret, ſi in eadem domo, vel in eodem loco, nonnulli ſubderentur ſpirituali juriſdictioni Magni Eleemoſynarii, alii vero nequaquam, idcirco eidem Magno Eleemoſynario jus conceditur in omnes, qui vel hoſpitii, vel alia quacumque cauſa, habitant loca illius juriſdictioni ſubjecta. VIII. Quid juris, ſi Ædes Regiæ, earumque viciniæ in poſterum novis ædificiis amplientur? Reſpondit Pontifex: *Territorium Magni Eleemoſynarii, ſeu Capellani Majoris nullo modo eſſe ampliandum, etſi ære Regio in futurum conducantur aliæ domus ad majorem commoditatem, nedum Regalis familiæ, verum etiam hoſpitum, miniſtrorum, exterorum, & aliorum Curialium*. IX. An vero Palatii Regii nomine comprehendantur etiam Palatia ad delicias Regis excitata, & quæ ſunt in aliis Civitatibus ditionis Sabaudorum Principum? Reſpondit Pontifex: *Sub nomine Palatiorum Regiorum ad effectum, de quo agitur, venire Palatium Veneriæ cum aliis domibus, & annexis, nec non fabricam Supergæ*. X. An Palatia quoque Principum Regiæ ſtirpis, natalibus reſtitutorum, ſive Taurini, ſive aliis in locis exiſtentia, ſpectent ad juriſdictionem Magni Eleemoſynarii? Itidem, an in iis locis fas ſit Parochis, & Sacerdotibus approbatis ab Epiſcopo, Sacramenta miniſtrare? Huic quæſtioni reſponſum hjuſmodi datum eſt: *Nullum Palatium Principum ſanguinis legitimorum, aut legitimatorum eſſe de Territorio Magni Eleemoſynarii, ſeu Capellani Majoris; ſed tantum dictos Principes, eorumque familias, & domeſticos, & hoſpites fore, & eſſe juriſdictioni Magni Eleemoſynarii, ſeu Capellani Majoris ſubjectos, & inter domeſticos, & familiares dictorum Principum recenſeantur uxor, filii, & nepotes ipſorum domeſticorum, & familiarium, nec non famuli ipſorum familiarium, ſi tamen in Palatiis habitent, & non alias. Et quoad adminiſtrationem Sacramentorum Principibus Sanguinis, eorumque familiis faciendam, illam extra Curiam ſcilicet extra locum, ubi Regia Majeſtas, ejuſque Curia non reperitur, ſpectare ad Parochum loci, excepto Matrimonio, ad quod contrahendum ſervetur forma ſacroſancti Concilii Tridentini*. XI. An principibus Regiæ ſtirpis licitum ſit in qualibet Ecle-

cleſia accipere Sacramenta a Capellanis Regiis? Reſponſum fuit: *Nullum jus competere Principibus Sanguinis . eligendi Eccleſiam extra Capellas Regias Taurini , & alibi poſitas .* XII. Quinam proprie loquendo dicendi ſint Curiales, & Officiales Aulici? & an etiam familiares, domeſtici, atque hoſpites Aulicorum ſint de juriſdictione Magni Eleemoſynarii? Declaravit Pontifex: *Eſſe exemptas ab Archiepiſcopo , & reſpective ſubjectas Magno Eleemoſynario , ſeu Capellano Majori perſonas deſcribendas in calce horum foliorum. Sub nomine Miniſtrorum, & Scholarium Regiæ Capellæ venire Capellanos , Clericos , Muſicos , Sonatores , cæteroſque alios , etſi Clericali charactere non inſignitos ad Officia Divina peragenda , & Muſicales concentus formandos , & ſervilia miniſteria Eccleſiæ præſtanda neceſſarios , & certa annua mercede conductos. Hoſpites vero ſunt , qui nullum habentes domicilium Taurini , illuc aliqua ex cauſa temporanea ſe conferunt ad habitandum in Regiis Palatiis, vel in Palatiis Principum Sanguinis. Congruum fore , & eſſe , ut Miniſtri , & Officiales Ordinis SS. Annuntiationis æque ac Equites Torquati ſint ſubjecti Magno Eleemoſynario, ſeu Capellano Majori.* XIII. An qui ad juriſdictionem ſpectant Magni Eleemoſynarii , ſi in locis, ſeu Eccleſiis verſentur illi minime ſubjectis, licite poſſint Sacramenta accipere a Sacerdotibus approbatis ab Ordinariis locorum , haud requiſito conſenſu Magni Eleemoſynarii? Pariter, an Capellani , Clericique Capellæ Regiæ, qui extra Regias Ædes degunt, & conſequenter in locis Epiſcopo Diœceſano ſubjectis , itidemque alii Officiales Aulici, licite valeant Sacramenta percipere, uti Viaticum , & Pœnitentiam morte imminente, vel Euchariſtiam in Paſchate , a Sacerdotibus approbatis , & deſignatis ab Epiſcopo Diœceſano ad Sacramenta miniſtranda , nulla expetito conſenſu Magni Eleemoſynarii? Has quæſtiones Pontifex his verbis definivit: *Principes Sanguinis , Curiales, alioſque Regio ſervitio addictos, ſi intra Curiam ſint, poſſe ex ſpeciali favore Sanctitatis ſuæ in Eccleſiis extra Territorium Magni Eleemoſynarii , ſeu Capellani Majoris abſque ulla iſtius licentia a quocumque Sacerdote ab Ordinario adprobato recipere ſola Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta; & cætera Sacramenta ultimæ infirmitatis , & Communionem Paſchalem ſumere debere a Magno Eleemoſynario , ſeu Capellano Majore , aut alio Sacerdote de iſtius licentia , excepto ſolo Matrimonio, in quo obſervetur forma Sacri Concilii Tridentini. Quod ſi prædicti permaneant extra Curiam, tunc , & eo caſu adminiſtrationem omnium Sacramentorum ſpectare ad Parochum loci , præter illud Matrimonii , in quo pariter ſervetur forma Sacri Concilii Tridentini .* XIV. Ut nullus ſupereſſet dubitationi locus circa perſonas Regis obſequio addictas, & ne ulli adnumerarentur Curialibus , Aulicis , & familiæ Regis , qui revera in illorum numero minime eſſent recenſendi; interpellavit Pontificem Taurinenſis Antiſtes, ut indicem daret eorum omnium , qui Magni Eleemoſynarii juriſdictioni ſubdebantur . Cui Pontifex fecit ſatis ſequenti indice.

XVII. In albo exemptorum in Aula Regum Sardiniæ recenſentur, Rex, ejuſque liberi, filiæve , eorumque poſteri , Aulici omnes cujuſvis famulatus generis , vel ipſi veterani , qui Italice *Giubilati* dicuntur, exceptis tamen iis , qui Regiæ Aulæ addicti ſunt honoris titulo; Magnus Eleemoſynarius, Supremus Præfectus Regiæ Domus, Magnus Coſmeta Regius , Supremus Præfectus Regii ſtabuli , Supremus Curator Regiæ venationis, Magnus Cuſtos Regii veſtiarii , Supremus Cære-
re-

remoniarum Præfectus, Regius Educator, Rectores, & Inſtitutores Regiæ progeniei, eorumque Vicarii, Matronæ Aulicæ, Equites Honorarii, Præfecti equorum Regis, Reginæ, & Principum, & illorum miniſtri, Præfecti Domus Regiæ, Præceptores, Pædagogi, Magiſtri, Præfecti Bibliothecæ, qui Regis ſunt a menſa, vulgo *Gentilomini di bocca*, qui ſacras Confeſſiones excipiunt, ſtipis Diſtributores, ſeu Eleemoſynarii; Parochi, eorumque Vicarii, Capellani, Clerici, Cuſtos SS. Sindonis, Sacriſtæ, cæterique Capellæ Regiæ miniſtri, Clerici Eccleſiæ Regiæ Superghæ, Præfecti Muſices, organorum Modulatores, Muſici, Fidicines; Præfecti expenſorum Domus Regiæ vulgo *Controleur*, Pueri Aulici, eorum Præceptores, Rectores, & Ludimagiſtri, Medici Aulici, Chirurgi, Pharmacopolæ, Tonſores, Cubicularii, Pictores Aulici, Artifices, & Curatores aulæorum, Sartores, cæterique quorum eſt cura arcæ veſtiariæ, Janitores, Tympaniſtæ, Buccinatores, Servi a pedibus, Famuli, Curſores, Aurigæ, Curator Regiæ Domus, ejuſque miniſtri, Servator Pinacothecæ, Præfectus ærarii, Cuſtodes gemmarum, atquæ argenteæ ſupellectilis, Regis a libellis, vulgo *Auditore*, ejuſque Vicarius, Venatores, Servatores prædarum venatione captarum, Cuſtos gallorum Phaſanorum, Cultores hortorum Regis, Abaci Cuſtodes, Dulciarii, cæterique ſecundæ menſæ miniſtri; Præcedens Domum Regiam, vulgo *Foriero*, Piſtores Aulici, Cuſtodes Corporis Regis, aliique milites prætoriani cum ſuis Ducibus, & qui omnes comitantur Regis itinera. Præterea in exemptorum numero ſunt, Principes Regio ſanguine orti, natalibus reſtituti, cum eorum familia, famulitio, tum etiam hoſpites habitantes illorum Principum domicilia; qui Regis eſt a ſummis imperii negotiis pacis bellique, vulgo *Secretario di Stato;* qui Regis ſunt ab epiſtolis; Equites Regalis Ordinis SS. Annuntiatæ, & ejuſdem Ordinis Officiales; Legati Principum apud Sardiniæ Regem; Curator Regii Tabularii, ejuſque miniſtri.

XVIII. Jam alibi innuimus vetuſtiſſima quædam jura Cleri Palatini noſtrorum Principum. Nam a Longobardorum ævo adnotavimus Palatinos Clericos exemptos quodammodo fuiſſe a ſuorum Epiſcoporum juriſdictione, ex Capitulari Radelchiſi Principis Beneventanorum, ubi Abbates, Canonici, Clericique *ad Palatium pertinentes*, aut, *qui in Palatio ſerviunt* excipiuntur a communi lege, cui cæteri ſubdebantur. Hanc autem exemptionem conjicimus in eo potiſſimum ſtetiſſe, quod Palatinis Clericis fas eſſet ſuarum Eccleſiarum miniſterium deſerere, reſidentiæ legibus abſolvi, atque hoc ſenſu ab Epiſcoporum auctoritate eximi. Neque enim tunc temporis privilegia hæc latius extendebantur. Regnantibus Andegavenſibus, ſingulare fuit privilegium Cleri Palatini, ut a reſidendi neceſſitate eſſet immunis. Id in gratiam Caroli II. Regis indulſit Bonifacius VIII. cujus litteras Ananiæ datas anno primo Pontificatus, e publicis Tabulariis erutas, ad annum 1293. exhibet tom. 2. MSS. Chioccarellus. Ibi Pontifex ob præclara Regis in Eccleſiam merita annuit, *ut octo Clerici tui, qui tuis ad præſens inſiſtunt obſequiis, vel in futurum inſiſtent, quoſque ad hoc duxeris nominandos, fructus, reditus, & proventus Beneficiorum ſuorum Eccleſiaſticorum, etiamſi Dignitates, vel Perſonatus exiſtant, aut curam habeant animarum, quæ nunc obtinent, & quæ ipſos obtinere contigerit in futurum, cum ea integritate percipere valeant, quotidianis diſtributionibus dumtaxat exceptis, cum qua illos perciperent ſi in Eccleſiis, in quibus eadem exiſtunt Beneficia, vel exiſtent, perſona-*

naliter reſiderent. Idem privilegium, iiſdemque clauſulis, eidem Regi confirmavit anno 1304. Benedictus XI. ita tamen ut duodecim Clericos familiares, domeſticos, commenſales Regis complecteretur, & ad decennium uſque vim haberet. Rurſum a Clemente V. circa annum 1310. & a Joanne XXII. anno 17. Pontificatus, renovatum, confirmatumque eſt in gratiam Roberti Regis hujuſmodi privilegium, cui derogatum nunquam eſſet, niſi illius ſpecialis mentio haberetur. Extant hæc monumenta to. 2. MSS. Chioccarelli. Jam vero etſi octo, vel duodecim Palatini Clerici hoc beneficio donati eſſent, non inde fit, ex hiſce tantum, ſub Andegavenſium imperio, coaluiſſe Clerum Palatinum. Nam ex iis, quæ dicta ſunt, & ex publicis Tabulariis conficitur, Clericos longe plures in familiarium, & domeſticorum loco Regibus adhæſiſſe. Verum, cum ex his plurimi vel Cœnobitæ eſſent, vel nullis fruerentur Beneficiis, hinc ſatis ſuperque fuit, ſi immunitas illa reſidendi ad duodecim Clericos porrigeretur. Illud vero ex allatis monumentis compertum eſt, privilegia non ad illos tantum deſerri Clericos, qui Divinis Officiis in Aula vacabant; ſed ad illos quoque, qui Aulæ, vel Regni munera gerebant. Quod indicant Boniſacii VIII. litteræ, & clarius Benedicti XI. his verbis: *quamdiu obſequiis tuis inſtiterint, vel cum ipſos ad aliqua tua negotia duxeris tranſmittendos, dum in executione negotiorum hujuſmodi fuerint, eundo, redeundo, morando*. Liberum itaque erat Regibus nominandi, deſignandique, quos vellent e ſuis Clericis, qui a reſidentiæ nexu ſolverentur, ſive ſacro miniſterio, ſive Reipublicæ negotiis gerendis darent operam.

XIX. Inter alia privilegia Cleri Palatini fuiſſe exemptionem a ſolvendis decimis, quæ a cæteris Beneficiariis debebantur, indicant litteræ Ferdinandi Regis datæ anno 1474. Epiſcopo Averſano Magno Capellano, ut ne ſineret Matthæum de Lauro Regium Capellanum adigi ad eas decimas perſolvendas. Hujuſmodi decimæ fuerunt extraordinaria quædam ſubſidia a Clericis expreſſa ad ſacras expeditiones peragendas, ad Albigenſes profligandos, ad ſubjugandum Byzantium, ad Turcas propulſandos, ad Eccleſiam juvandam, flagrante ſchiſmate Avenionenſi. Quare cum novæ in dies emergerent cauſæ eas imperandi, jam annuæ, & ordinariæ evaſerant, nec raro in alios uſus diſtrahebantur, unde plurimæ Epiſcoporum querelæ in Concilio Conſtantienſi, de qua re fuſe agit Thomaſinus par. 3. lib. 1. cap. 44. de Beneficiis. In Neapolitano Regno tertia illarum pars concedebatur Regi, cujus rei plura monumenta exhibet tom. 11. MSS. Chioccharellus; quemadmodum Hiſpaniæ Reges, annuente Alexandro VI. tertiam decimarum partem ſibi vindicabant, uti refert Gonzalez cap. 19. de Decimis. Itaque Clerici Palatini his exactionibus minime adſtringebantur, eaque illis jura ſervata fuere cum ab Adriano VI. anno 1524. Clemente VII. anno 1527. Paulo III. anno 1546. Julio III. anno 1552. & a Pio V. anno 1569. decimæ indictæ fuerunt. Nam regnante Carolo V. Prorege Petro de Toleto conſtat ex monumentis relatis a Chioccarello tom. 2. MSS. hanc illis exemptionem aſſertam fuiſſe, quam antiqua conſuetudine inniti teſtatus eſt Capellanus Major in quadam Conſultione anno 1533. ad Proregem data. Sed & Romani Pontifices huic illorum favebant exemptioni, dummodo non ita excreſceret eorum numerus, ut in damnum cederet aliorum, qui perſolvendis decimis tenebantur. Hinc a Paulo III. edita Conſtitutione *Intelligentes* die 26.

Sep-

Septembris, anno 1537. declaratum fuit, *neminum ex dictis privilegio alicujus exemptionis uti poſſe, niſi Capellanum Majorem, & alios, qui dictæ Capellæ perſonaliter inſerviunt*. Hinc etiam huic Pontificio decreto obtemperandum protinus voluere Carolus V. datis ad Marchionem Villefrancæ Proregem litteris anno 1540., & Philippus II. litteris datis anno 1577. ad Nuntium Pontificium. Monebantur proinde decimarum Collectores a Proregibus, ut illæſam ſervarent Regiis Capellanis eam immunitatem, quemadmodum a Petro de Toleto anno 1539. & a Cardinale de Cueva anno 1559. Regni Proregibus factum legitur tom. 2. Chioccarelli. Ibi & libellus ſupplex occurrit Archiepiſcopi Hydruntini anno 1573. quo Proregem interpellat, ut ſibi tamquam Capellanorum uni, hoc privilegium vindicaret. Denique cum anno 1601. Clemens VIII. nonnullas decimas imperaverit, Capellani Regii Proregem exorarunt, ut ſua illis jura cuſtodiret; cui rei nedum ſuffragatus eſt Major Capellanus, ſed & Cardinalis Aldobrandinus Magnus Romanæ Eccleſiæ Camerarius, datis litteris die 22. Februarii anno 1603. ne decimarum Collectores eas a Regiis Capellanis repeterent.

XX. Quæ fuerint antiqua jura Majoris Capellani Regni Neapolitani, enarrat Sanctiſſimus, & Glorioſſimus Pontifex Benedictus XIV. in ſua Conſtitutione ad hanc rem data anno 1741. die 6. Julii. Ibi enim ait: *Sane dilectus filius noſter Trojanus tituli S. Cæciliæ S. Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis de Acquaviva nuncupatus pro parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Siciliæ, & Hieruſalem cum tota terra citra Pharum Regis illuſtris, & Hiſpaniarum Infantis, Nobis nuper expoſuit, quod a tempore, cujus memoria non extat, ad Capellæ Regiæ Capellanum Majorem in toto Regno Neapolitano pro tempore exiſtentem, non ſolum cura ſpiritualis Regiæ familiæ, conſanguineorum, affinium, ac omnium perſonarum in Curia, ſeu Aula Neapoli exiſtente commorantium, ipſamque Curiam ſequentium pertinet: ſed & in quibuſvis Civitatibus, Oppidis, & locis, in quibus Rex pro tempore exiſtens, Regiaque familia reſidere contigerit continue, vel ad tempus, curam animarum familiæ Regiæ, omniumque, & ſingularum perſonarum tam ex propriis Regnis, & Dominiis originem habentium, quam extraneorum cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis, & præminentiæ exiſtentium, tam Eccleſiaſticorum, quam ſæcularium (Archiepiſcopis, & Epiſcopis exceptis) & inſuper omnium militum, & Officialium, aliarumque perſonarum cujuſcumque ordinis, & gradus in caſtris, arcibus, ſeu fortalitiis, exercitibus, nec non in triremibus, navibus, ratibus, aliiſque hujuſmodi maritimis lignis Regio famulatui inſervientium, & militantium exercere, earumque Rector in ſpiritualibus nuncupari, eaſque corrigere, & viſitare, ac in eaſdem omnimodam juriſdictionem ordinariam, omnia & ſingula alia, quæ Archiepiſcopi, & Epiſcopi, ac alii locorum Ordinarii in Diœceſibus ſuis de jure vel conſuetudine, aut alias quomodolibet facere, & exercere conſueverunt, idem Capellanus in prænominatas perſonas non ſolum in Regia Capella, & Palatio, ſed in omnibus aliis ſupranominatis ac deſignatis locis exercere, vel per ſe, vel per alios Miniſtros, & Capellanos a ſe deputatos ſolet*. Hujus conſuetudinis, quæ omnem hominum memoriam excederet, plurima congeſſit monumenta e publicis Tabulariis eruta to. 2. MSS. Chioccharellus.

XXI. Cujus quidem originem placuit nonnullis repetere ex eo, quod olim ab Epiſcopis ipſis, vel a Regibus de conſenſu Epiſcoporum,

rum, annuebantur privilegia & exemptiones Monaſteriis, & Monachis, Capellis, Capellaniſque, Noſocomiis, illorumque miniſtris. Et privilegia quoque, quibus Capellæ, & Capellani Regum Angliæ fruebantur, nonniſi veteri conſuetudine firmata erant, unde reclamantibus Epiſcopis, ad eam recurrebatur, uti apud Thomaſſinum legitur. Jus Archiepiſcopi Cantuarienſis, ut in qualibet Diœceſi haberet Eccleſiam ſui juris, antiqua nitebatur conſuetudine. Erat & Archiepiſcopo Strigonienſi in Hungaria plena juriſdictio in omnes Abbatias, & Præpoſituras Regales Regni totius, antiquo uſu roborata, quam plures Romani Pontifices ei confirmarunt, uti ad annum 1231. refert Rainaldus. Quin etiam jus illud Patriarcharum Orientalium, quo exempta erant ab Ordinariorum juriſdictione, ſoliſque Patriarchis ſubjecta Monaſteria illa, quorum in fundatione defixa fuerat Crux Patriarchalis, profluebat ab antiquiſſima conſuetudine, cui vim canonis ineſſe reſpondebatur Epiſcopis non raro contradicentibus, uti teſtatur Balſamon ſcribens in Can. 31. Apoſtolorum. Jure quoque Canonico addita eſt vis veteri conſuetudini. Nam Innocentius III. in Cap. *Auditis*, de Præſcrip. ratam habuit jurium Epiſcopalium præſcriptionem in quibuſdam Eccleſiis, quam Abbas Eveshamenſis opponebat Epiſcopo Wigornienſi: *Verum*, inquit, *tanto tempore probantur per teſtes ab Abbatibus Eveshamenſibus pleno jure poſſeſſæ, ut videantur in jus Epiſcopale legitime præſcripſiſſe*. Et Cap. *Cum olim*, eodem Titulo, confirmat cuidam Abbati Epiſcopalia jura, quæ illi in Capellis plurimis competebant ex vetuſtiſſima conſuetudine: *quia prædictus Abbas ſufficienter oſtendit Monaſterium ſuum ſuper inſtitutionibus, deſtitutionibus, ordinationibus Plebani, & Clericorum, Baptiſmo, & Pœnitentia in levioribus culpis, ſepultura, decimarum perceptione, ac Divinis Officiis celebrandis, tam in plebe, quam in Capellis etiam ſupradictis, in excommunicando, atque interdicendo, & etiam abſolvendo legitima præſcriptione munitum, Abbatem ipſum ab impetitione tua ſuper jam dictis articulis duximus abſolvendum*. Eſtque evulgatum, probatumque inter Juris Canonici peritos axioma, conſuetudine acquiri poſſe, quæ privilegio acquiruntur. Hæc attendens Sapientiſſimus Pontifex, cujus ſumma fuit in rebus eccleſiaſticis peritia, attendens quoque celebrem illam ſententiam Auguſtini ep. 118. cap. 5. *Ipſa mutatio conſuetudinis, etiam, quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat*, rata habuit, probavitque jura illa omnia Magni Capellani. Quemadmodum Cœleſtinus III. Cap. *Quod dilectio*, de Conſanq. & Affin. maluit deferre antiquæ conſuetudini, quam inducta novitate diſſidiis cauſam præbere: *In hac parte conſultius duximus multitudini, & obſervatæ conſuetudini deferendum, quam aliud in diſſenſionem, & ſcandalum populi ſtatuendum, quadam adhibita novitate*.

XXII. Nam huic Majoris Capellani juriſdictioni ſæpe Ordinarii locorum reluctabantur, ut idem refert Sanctiſſimus Pontifex: *Cum autem ex hujuſmodi facultatum uſu, & exercitio plura dubia, quæſtiones, & diſſidia inter Archiepiſcopos, & Epiſcopos Regni Neapolitani, & prædictum Capellanum Majorem exorta fuerint, quæ adhuc vigent, & graviora in diem non ſine fidelium ſcandalo timeri poſſunt, nomine prædicti Caroli Regis pro eximia ſua pietate hujuſmodi malo congrua adhibere remedia cupientis ſupplicavit, ut omnes, & ſingulas facultates, jura, & prærogativas in quaſcumque perſonas, & in quibuſvis locis, Capellano Majori totius Regni Neapolitani pro tempore exi-*

ſtenti ex antiqua & immemorabili conſuetudine, vel etiam ex indulto, & privilegio Sedis Apoſtolicæ, vel alia quacumque ratione competentes, noſtræ confirmationis robore communire. Ut his diffidiis finem imponeret jam olim Clemens VIII. anno 1603. litteras in forma Brevis ediderat, a Chioccarello relatas, quibus conſtituit, Majorem Capellanum curam gerere animarum eorum omnium, quorum eſt in Palatio domicilium; iiſdem per ſe, vel per alios Sacramenta adminiſtrare Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, Matrimonii, Unctionis extremæ; Clericos Palatinos abſolvere in quibuſdam caſibus ab excommnnicatione, & irregularitate; eorum cauſas diſcutere, in prima tamen inſtantia: & Sacris operari in quacumque Eccleſia Prorex præſens adeſſet. Memorat hoc Clementis VIII. Breve Pignatellus tom. 6. Conſult. 80. ubi nonnulla profert Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium Decreta in hac re, Pontificiis illis litteris conſentanea, nempe in Tarentina die 3. Aprilis 1618. Neapolitana 4. Auguſti, ejuſdem anni, Brunduſina die 5. Septembris 1607. Gravinenſi 2. Maji 1615. Salernitana die 16. Februarii 1619. Neapolitana 11. Aprilis 1720. Verum enimvero, quod Pontificiæ litteræ non eam omnem Majori Capellano juriſdictionem permitterent, qua ab antiquiſſima conſuetudine utebatur, Philippus III. Rex Hiſpaniæ, & Proreges Comes Lemoſenſium, & Comes Beneventi, Pontificem exorarunt, ut ne Regiis juribus, & inveteratæ conſuetudini vellet derogatum. Quamobrem annuerunt Romani Pontifices, nedum Clemens VIII. ſed etiam ſucceſſores, ut illarum litterarum executio ſuſpenderetur. Illud tamen cautum voluit litteris ſuis Clemens VIII., ut ſi Neapolim adire contigiſſet Rex Hiſpaniæ, aut ejus ſucceſſores, tunc Majori Capellano Neapolitani Regni omnia competerent jura, quæ Magno Capellano Regis Hiſpaniæ: *Si contingat*, inquit Pontifex, *Majeſtatem tuam, & pro tempore exiſtentes Hiſpaniarum, & utriuſque Siciliæ Catholicos Reges tuos ſucceſſores ad prædictum Neapolitanum Regnum perſonaliter accedere, ibique perſonaliter reſidere, aut commorari: Capellanus Major tibi Regi, tuiſque ſucceſſoribus actu inſerviens, etiamſi forte Capellanus ipſe pro Regno Neapolitano conſtitutus, & deputatus exiſteret, omnibus privilegiis, facultatibus, & gratiis, indultis, & prærogativis per nos, aut Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros Capellano Majori Capellæ Regiæ in Hiſpaniarum Regno exiſtenti, etiam domum, & familiam Regiam ſequentes concernentibus uti, frui, gaudere, illaque exercere etiam in prædicto Neapolitano Regno, quamdiu ibidem Reges moram trahent, juxta privilegiorum eorumdem formam, continentiam, & tenorem ultra præmiſſas gratias, facultates, privilegia, & indulta in præſentibus litteris comprehenſa, libere, ac licite poſſit, & valeat, earumdem tenore permittimus, concedimus, & pariter indulgemus.* Æquum ſane erat, & conſentaneum, ut præſentibus in Aula Regibus uberiora privilegia Magno illorum Capellano conferrerentur. Cum itaque prædictis Clementis VIII. litteris in forma Brevis Prorex Beneventani Comes, & Collaterale Conſilium executionem denegandam ſtatuerint; hinc Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium, annuente Pontifice, indulſit per annos decem, ut conſuetas Major Capellanus exerceret facultates. Interea plurimi (in eorum numero Regens de Ponte) probandum ſumpſere, non perſonæ tantum Caroli V, ejuſque Capellano, ſed Regali etiam Capellæ privilegium a Leone X. fuiſſe elargitum, ideoque, non temporariam, ſed perpetuam, irrevocabilemque inditam ei fuiſſe duratio-
nem,

nem, lapſoque decennio, abrogatas per contrariam conſuetudinem eſſe Clementis VIII. limitationes: & hinc factum eſt, ut Capellanus Major, omiſſis deinceps novis ſuarum facultatum a Romana Curia prorogationibus, in earumdem uſu, ac exercitio, veterem juxta conſuetudinem perſeveraret. Proinde nec defierunt Epiſcoporum querelæ. Hinc Sacra Congregatio Concilii die 23. Novembris 1733. graves dedit ad Celeſtinum Galianum Archiepiſcopum Theſſalonicenſem, & Capellanum Majorem litteras, quod nimius eſſet numerus Regiorum Capellanorum, eoſdem ad Ordines promoveret, Altaria ipſe conſecraret, Confirmationis Sacramentum conſerret, Pontificalia quoque ageret, inconſulto Antiſtite Diœceſano. Verùm, quod hiſce Romanis litteris deeſſet *Placitum Regium* reſcripſit Galianus, haſce quæſtiones diſcutiendas eſſe opera Nuntii Pontificii in ipſa Regis Aula, ſe nulla eſſe præditum facultate ad hæc negotia pertractanda, ac immemorabilem ſervare conſuetudinem hauſtam a ſuis Prædeceſſoribus. Rem narrat doctiſſimus Carolus Gagliardus, nunc meritiſſimus Epiſcopus Muranus Inſtit. Jur. Can. Lib. 1. Tit. 23. §. 18. Tandem diuturnum hoc ſiluit diſſidium ob Benedicti XIV. Conſtitutionem, ad hanc rem latam, de qua dicendum erit Capite ſequenti.

CAPUT V.

DE FACULTATIBUS CAPELLANI MAJORIS REGNI NEAPOLITANI.

Regum noſtrorum plura ſunt in Eccleſiam merita. II. *Omnia Divina Officia celebrari poſſunt in Capella Regis, Sacramenta, & Sacramentalia aſſervari.* III. *Regibus fas eſt cuilibet Presbytero officium, juriſdictionemque Capellani Majoris committere.* IV. *Quæ loca complectitur hujus juriſdictio.* V. *Et quas perſonas.* VI. *Ea juriſdictio eſt ordinaria,* VII. *Ad ipſum ſpectat Clericos, Capellanoſque conſtituere pro ſacro Aulæ miniſterio, Arcium, & Exercitus.* VIII. *De horum numero.* IX. *Deque horum exemptione ab Ordinariorum juriſdictione.* X. *Concionatores Aulici a Capellano Majore facultatem, & benedictionem accipere debent.* XI. *Clerici, & Scholares Regiæ Capellæ, & Eccleſiæ S. Sebaſtiani poſſunt ab eo ad ſacros Ordines promoveri.* XII. *Presbyteri ad audiendas ſacramentales Confeſſiones in Aula, Arcibus, & Exercitu ab eodem habent facultatem, & adprobationem.* XIII. *Horum tamen auctoritas extendi nequit ad alia loca, aliaſve perſonas.* XIV. *Bene vero Aulici, Militeſque poſſunt Sacramenta ſuſcipere a Presbyteris ab Epiſcopo Diœceſano approbatis.* XV. *Aulicis, & Militibus Sacramenta omnia adminiſtrare poteſt Capellanus Major, vel per ſe, vel per alios,* XVI. *Iiſdem permittere tum opera ſervilia, diebus feſtis; tum carnea cibaria, diebus jeiunii.* XVII. *De facultatibus Capellani Majoris quoad milites in ſtatione.* XVIII. *Et quoad eoſdem, dum ſunt in expeditione.* XIX. *Alia quædam privilegia addita recenſentur,* XX. *Quam ampla ſit Capellani Majoris auctoritas.*

SUmmmos Principes, qui de Eccleſia Catholica, deque Apoſtolica Sede meruerint optime, ſpiritualibus beneficiis proſequendos eſſe, præfatur Pontifex in ipſo Conſtitutionis exordio. Neminem vero latere arbitror præclariſſima, quovis tempore, Regum noſtrorum in Eccleſiam merita. Quod nempe regiones haſce pulſis Saracenis, Græciſque, Catholicæ Fidei, & Patriarchatui Romano vindicaverint; Eccleſias plurimas, Sacerdotia, Monaſteria, vel reſtauraverint, vel de novo excitaverint; Romanorum Pontificum leges, jura, dignitatem ſanctiſſime coluerint; eorum clientelæ ſe, ſuoſque commiſerint; Regnum Sedi Apoſtolicæ tributarium fecerint; Chriſtianorum res in Palæſtina copiis, & pecunia adjuverint; Romanis Pontificibus bello, aut ſchiſmate oppreſſis, opem, præſidiumque contulerint. Ita Robertus Wiſcardus Gregorio VII. Willelmus II. Alexandro III. quos exagitabant arma Imperialia; Robertus Clementi V. contra Henricum

ricum VII. & Joanni XXII. contra Ludovicum Bavarum Imperatores, Ghibellinoſque; Joanna II. Martino V. contra Braccium infenſiſſimum Romanæ Sedis hoſtem; Alphonſus Eugenio III. ad reprimendum Franciſcum Sfortiam, milite, pecunia, conſilio, omnique opera ſubſidium validiſſimum præſtitere. Inſignia quoque fuerunt merita Caroli III. erga Urbanum VI. & Ladislai erga Bonifacium IX. atque Gregorium XII. flagrante ſchiſmate Avenionenſi; nec non Ferdinandi I. erga Pium II Romanos Pontifices. Auſtriacæ vero, & Borboniæ nobiliſſimæ gentis, in univerſam Eccleſiam, Sedemque Apoſtolicam merita præſtantiſſima, longum, & operoſum eſſet recenſere. Silentio tamen prætereundum non eſt, Carolum Borbonium religioſiſſimum Principem, in cujus gratiam ſequentia privilegia conceſſa ſunt, atavorum, & prædeceſſorum Regum meritis, ſua quoque plurima adjunxiſſe. Hinc ſcitiſſime exorditur Pontifex, ex illorum Principum numero eum eſſe, *qui ex præclaris Majorum ſuorum meritis, & ſuarum virtutum ornamentis, pietate erga Deum, devotione, & obſequio erga Sanctam Sedem, in conſpectu omnium ſplendere noſcuntur*. Quamobrem Pontificia hæc Conſtitutio recenſenda eſt inter privilegia remuneratoria, non ea tamen, quæ perſonalia ſunt juxta *Leg.* 1. *ff. De Conſtit. Princip.* ubi dicitur privilegia inducta propter merita, *perſonam non egredi*; ſed ea, quæ perpetua ſunt, utpote conceſſa præcipuè rei, ac dignitati, conſequenter vero perſonis. Data eſt anno 1741. Pontificatus primo, die *6.* Julii, quam in hujus Operis calce integram exhibemus: cui additum eſt, anno ſequenti, Reſcriptum aliud, *Motum proprium* nuncupatum, ut innuatur ex mera liberalitate, & ſpontanea conceſſione beneficia hujuſmodi indulgeri; quo Reſcripto, majora in Magnum Capellanum transferuntur jura.

II. Primo itaque annuit Pontifex, ut in Capella Palatina Neapolitani Regis, ad inſtar publicæ Eccleſiæ, Divina omnia Officia peragantur; Miſſæ celebrentur hora una antelucana, & altera poſt meridiem; Sacra Euchariſtia & aſſervetur, publicæ adorationi exponatur, & in ſupplicationibus circumgeſtetur; Sancta quoque Olea cuſtodiantur, & nedum in ea Capella, verum etiam in omnibus Capellis Arcium, & in Regiis Triremibus, ac Navibus bellicis, tempore tamen navigationis. Et olim quidem aſſervatam Euchariſtiam in Sacra Palatina Æde noſtrorum Principum, celebrata ibi quoque fuiſſe ſolemni ritu Divina Officia, compertum eſt ex iis, quæ dicta ſunt, quæque dicenda erunt. Sed & ex litteris datis in forma Brevis die 20. & 23. Decembris 1740. Divinam Euchariſtiam ibi aſſervari permiſerat; & ejus Altare perpetuo jure privilegiatum declaraverat. Oleum infirmorum in Regiis Triremibus aſſervari, olim ad ſeptennium Pontifices concedebant, uti ex litteris Pauli V. anno 1614. Urbani VIII. anno 1624. aliiſque apud Chioccarellum tom. 2. MSS. perſpectum fit. Quoad Divinorum Officiorum celebrationem in Capella Regis, & in Eccleſia S. Sebaſtiani, ſpectat ad Capellanum Majorem, omnem eorum ordinem præſcribere. Nam num. 4. Conſtitutionis declarat Pontifex, quod ad ipſum *pertineat directio, & ſuperintendentia Divinorum Officiorum, aliarumque Eccleſiaſticarum functionnm; quæ in eadem Regia Capella peragi conſueverunt*. Et in Conſtitutionis fine n. 14. permittit Capellano Majori in dicta ſacra Æde, & in Eccleſia S. Sebaſtiani, ea, quæ ad exercitium pertinent Ordinis Epiſcopalis. Hinc Divina ordinare Officia, Collectas imperare, & alia hu-

juſ-

juſmodi in ſupradictis Sacris Ædibus, munia ſunt Majoris Capellani. Verum præſente Rege, aut Regina, aut Prorege, poteſt ipſe in qualibet Eccleſia, etiam Monialium, *per ſe, aut alios Capellanos, cum Scholaribus, & Capellæ Regiæ Miniſtris, Divina Officia, & Miſſas tam privatas, quam ſolemnes celebrare, aut celebrari facere:* exceptis tamen Eccleſiis Cathedralibus, ubi id fieri nequit ſine expreſſo ſuorum Ordinariorum conſenſu, uti decretum eſt num. 5. laudatæ Conſtitutionis.

III. Regi, ejuſque ſucceſſoribus permittit Pontifex Capellani Majoris officium juriſdictionemque, cuilibet Presbytero, ſive e Clero ſæculari, ſive e Regularibus, dummodo tamen ab Epiſcopo ſuo fuerit approbatus, committere; quem declarat exemptum ab omni Ordinariorum juriſdictione, & Prælatitiis inſignibus uti poſſe, excepta tamen *Cruce pectorali*, niſi & ipſe fulgeat Epiſcopali dignitate. Nam Crucem deferre e collo ad pectus pendentem, proprium eſt inſigne Epiſcopalis Ordinis; nec Abbatibus, Canonicis, Prælatiſque inferioribus convenit, quodque, ſicuti & alia quædam Epiſcopalia, ſibi temere uſurpant. Ad Capellanum Majorem quod attinet, is licet eſſe poſſit e Presbyterorum numero, decet tamen omnino, Epiſcopali Ordine auctum eſſe. Dixi namque Capite III hujus Libri pag. *66.* ex ſententia ipſius Benedicti XIV. in epiſtola ad Cardinalem delle Lanze Magnum Regis Sardiniæ Eleemoſynarium data, quam habes Tom. 2. Bullar. ejuſdem Pontificis Conſtit. *36.* Magnum Capellanum in Aulis Principum obire Epiſcopi munia. Et in ea quoque epiſtola laudatus Pontifex adducit, probatque Petri Gallandi teſtimonium, quo dicitur *Magnus Capellanus Aulæ totius Regiæ unicus Epiſcopus quocumque in loco Rex verſetur.* Adnotavi etiam non in uno hujus Operis loco, ex antiquiſſimo more apud omnes fere Principes, nonniſi Epiſcopis ampliſſimum hoc munus collatum fuiſſe. Quin ſuperiori Capite, ubi recenſentur Majorum Capellanorum jura, & officia in Gallia, Hiſpania, Luſitania, & apud Sardiniæ Regem, perſpectum ſit, ea hujuſmodi eſſe, quæ conveniant nonniſi Epiſcopali Ordini, ac dignitati.

IV. Neque dubitandum eſt, quin Magno Capellano ſit ſuum *territorium ſeparatum;* uti ajunt Canoniſtæ. Id enim expreſſe declaravit Benedictus XIV. in reſponſione ad *primum Dubium* circa facultates Magni Eleemoſynarii Regis Sardiniæ; uti dictum fuit cap. IV pag. 98. Reſcripſit namque Pontifex *juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, & diſtinctum territorium tribui Magno Eleemoſynario intra limites tamen præfixos, & quoad perſonas in Brevi deſignatas.* Hinc merito cenſet Clar. Gagliardus *Inſtit. Canon. Lib. 1. Tit. 23. n. 21.* territorium ſeparatum Capellani Majoris hujus Regni, eſſe in Regio Palatio, & Statione Triremium, vulgo *Darſena*, & omnibus Arcibus Civitatis, & hoſpitalibus militum, ſedemque Epiſcopalem in Capella Regia, & in Eccleſia Parochiali *Caſtrinovi* habere; cum iſtæc loca cum perſonis inibi degentibus ſint omnino exempta ab Archiepiſcopi Neapolitani, totiuſque Regni Epiſcoporum juriſdictione. Cum itaque Capella Regis, & Eccleſia S. Sebaſtiani in Arce vulgo *Caſtelnuovo* ſita, ſpectant ad *ſeparatum territorium Capellani Majoris;* hinc Pontifex in dictis locis tantum, ei fas eſſe dicit Pontificalia exercere, etiam abſente Rege. Ita quidem de Pontificalium uſu in celebranda Liturgia, cæteriſque Divinis Officiis ſtatutum legitur n. 4. Conſtitutionis; ut nempe in Capella Regis, & in Eccleſia S. Sebaſtiani, Pontificalia agat cum ſolemni trina benedictione, & Indulgentiarum conceſſione: *In aliis vero Eccleſiis,*

Digitized by Google

ſiis, niſi coram Rege, aut Regina, aut Prorege, & dummodo Epiſcopus loci in eadem Eccleſia præſens non adſit, qui per ſe ipſum ea peragere deſideret, ac velit; & inſuper in Cathedralibus, & Metropolitanis, niſi ab Ordinario licentia obtenta, Pontificalia exercere nequeat. Preterea n. 14. Conſtitut. Pontifex aſſerens Capellano Majori omnimodam juriſdictionem in quoddam perſonarum genus, ei ſimilem, qua cæteri Epiſcopi gaudent in ſuis Diœceſibus, addit: *iis dumtaxat exceptis, quæ ad exercitium Ordinis Epiſcopalis pertinent, quæ in Regia Aula tantum, ubi Rex, & Regina, ſeu Prorex totius Regni moratur, & in Eccleſia Parochiali S. Sebaſtiani ab eo, ſi ſit Epiſcopus, peragi poſſe volumus, & conſtituimus.* Dicendum proinde eſt, poſſe Capellanum Majorem in dictis tantum ſacris Ædibus, quæ ipſius conſtituunt territorium ſeparatum, & ubi ei permittuntur, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis, conſecrare ſancta Olea, feria quinta in Cena Domini, pro illorum uſu, qui ſuæ ſunt ſubjecti curæ; Sacramentum Confirmationis iis tantum adminiſtrare; Sacros Ordines Clericis Regiæ Capellæ conferre; Altaria, Calicesque conſecrare, & alia hujuſmodi agere, quæ ab Epiſcopis fiunt in Eccleſiis ſuarum Diœceſium. Cæterum non illis tantum dictis locis circumſcribitur Capellani Majoris juriſdictio; complectitur etiam ſtationem Triremium, ac itidem Regias Arces clauſas Neapolitanas, & Bajæ, & Iſchiæ. Præterea *ubicumque Rex fuerit*; imo Rege Siciliam adeunte, adhuc ad Capellanum Majorem Regni Neapolitani ſpectare poteſt ſacrum Aulæ miniſterium, & Sacramentorum adminiſtratio; quia id juris ei tribuitur, *ubicumque Rex, aut Regia Curia ſeu Aula fuerint, etiam ruri, recreationis cauſa.*

V. Hactenus de locis egimus, quæ ſpectant ad Capellani Majoris juriſdictionem; progredimur ad perſonas eidem in ſpiritualibus ſubjectas. Has ita recenſet Pontifex n. 8. Conſtitutionis: *Inſuper ut idem Capellanus Major pro tempore exiſtens Regum, Reginarum, ac Filiorum, & ſingulorum utriuſque ſexus ipſorum familiarium, ubicumque Rex, aut Regia Curia, ſeu Aula fuerit, etiam ruri recreationis cauſa, qui eis actu inſervientes ſint, & eorum impenſis, uti familiares, continui commenſales viventes, & aliorum omnium, qui in Regio Palatio, & in viridario, & in navali ſeu interiori portus parte, vulgo Darſena, & in Caſtris, ſeu Fortalitiis clauſis Neapolitanæ Civitatis, ejuſque adjacentiis, nempe in Caſtronovo, in Caſtro Ovi, & in Caſtris S. Erami, Bajæ, & Iſchiæ, & in omnibus aliis locis ſupranominatis ejuſdem Capellani juriſdictioni ſubjectis morantur, & degunt, donec, & quouſque in iiſdem locis commorentur, animarum curam gerat, æque ac ſi eorum Rector, & proprius Parochus exiſteret.* Quare Capellani Majoris juriſdictio complectitur omnes noſtrorum Principum familiares, ſive mares ſint, ſeu feminæ, dummodo eis actu inſerviant, cæteroſque omnes, qui in Regio Palatio (ubicumque Rex fuerit) vel in ſtatione Triremium, vel in Arcibus Neapolitanis, Bajæ quoque, & Iſchiæ, moram fecerint. Quoad Aulicorum familiares, ſive domeſticos, ſi ii una cum ſuis dominis in Regio Palatio, aut in ſupradictis locis degant, ipſi quoque ratione loci ſubduntur ſpirituali Capellani Majoris curæ. Secus tamen ſi extra prædicta loca habitent. Verum Aulici, ideſt addicti ſervitio Regis, etiamſi alibi domicilium habuerint, ratione tamen perſonæ, ad Capellani Majoris juriſdictionem pertinent. Quique in Arcibus captivi detinentur, donec ibi moram fecerint, eodem jure utuntur. De militibus ſive in ſtatione, ſive in ex-

pe-

peditione ſint, dicendum erit infra. Et advertas velim, Capellanum Majorem præter localem juriſdictionem, habere etiam perſonalem ſine locali, nempe in Capellanos militum, Arcium, Triremium, Navium, alioſque omnes, qui Regi extra Palatium, & Aulam, & Neapolitanas Arces, ubicumque inſerviunt; qui quidem omnes ſunt exempti ab Epiſcoporum juriſdictione. Amplior proinde, in hac parte, eſt illius juriſdictio, quam Epiſcoporum, quia hæc territorio cohæret, & finibus Diœceſis circumſcribitur.

VI. Hinc Capellanus Major jus dicere poteſt extra proprium Territorium, quia juriſdictionem habet in perſonas, quocumque ſint in loco. Et ita reſpondit Benedictus XIV. interrogationi, an Magnus Eleemoſynarius Regis Sardiniæ poſſet jus dicere ſuis in Ædibus a Palatio Regio diſſitis: *facultatem habere apertum retinendi Tribunal in domo propriæ habitationis, & ubicumque locorum Regia Majeſtas ſe transferat pro perſonis tantum Curialibus, & ejus ſervitio addictis*, uti dictum fuit pag. 98. Cap. IV. Eſt autem illius juriſdictio ordinaria, non delegata. Nam Ordinarius probe dicitur, qui jure ſuo, vel Principis beneficio juriſdictionem exercet univerſam, ſive in adſignato territorio, ſive in quoddam perſonarum genus, uti tradit Fagnanus in *Cap. Poſt ceſſionem. 7. De Probat.* Et ita expreſſe declaratum legitur n. 14. laudatæ Conſtitutionis, ubi Papa ait Capellanum Majorem quoad omnes perſonas ſuæ curæ ſubjectas habere *omnimodam juriſdictionem ordinariam, atque omnia alia, quæ pro bona animarum curæ directione, Archiepiſcopi, & Epiſcopi, & alii locorum Ordinarii in ſuis reſpective Diœceſibus facere conſueverunt, iis dumtaxat exceptis, quæ ad exercitium Ordinis Epiſcopalis pertinent, peragere poſſe.*

VII. Rex, aut Capellanus Major poſſunt Capellanos Clericoſque ſeligere, & conſtituere ad ſacrum miniſterium Aulæ, Arcium totius Regni, Hoſpitalium militum, & Copiarum, quæ terra marique Regiis ſtipendiis militant: quos tamen conſtet ex litteris teſtimonialibus ſuorum Ordinariorum, ſeu Superiorum, nullius criminis reos eſſe. Ut igitur quis in Cleri Regii Albo a Magno Capellano deſcribatur, teſtimonialibus Ordinarii ſui litteris probandum ei eſt, nullo a ſe commiſſo crimine prohiberi; idque ſcitiſſimè, ne improbis Clericis evitandi ſuorum criminum vindictam, pateat hæc via. Sed anne Regulares poſſunt a Magno Capellano ſacris hujuſmodi miniſteriis præfici? Regi quidem id permitti, nullum eſt dubium. Quoad Capellani Majoris auctoritatem ſpectat, cum Pontifex ab ea conceſſione Regulares minime exceperit; imo cum ad Capellanorum Aulæ Regiæ, vel Exercitus, Hoſpitalium, aut Claſſis ſtatuerit prærequiri litteras teſtimoniales *ſuorum Ordinariorum, aut Superiorum*, quo nomine *Superiores Regulares* indigitari poſſunt; hinc eos quoque ad hæc munera aſſumi poſſe videtur, dummodo ſuorum Superiorum teſtimonio probetur dignos, idoneoſque eſſe.

VIII. Ne vero exemptorum nimia multitudo Ordinariorum juriſdictionem convelleret, Eccleſiaſticamque diſciplinam perturbaret, ſtatuit Pontifex, numerum Capellanorum, Clericorum, & Scholarium Capellæ Regiæ, & Arcium Neapolitanæ Urbis, non ultra centum a Capellano Majore conſcribi poſſe; in Arcibus vero totius Regni, non ultra duos, vel tres in ſingulis Arcibus; denique in Exercitu Regio terra, marique, nonniſi tot Capellanos conſtitui, quot actu inſerviant ſacro miniſterio. Sed his limitibus coercetur tantum Capellani Majoris

ris in hac re auctoritas. Regi namque, ejuſque ſucceſſoribus liberum ſit deſignandi Capellanos ultra præfixos limites, ſi ita eis expedire videbitur. Cautum tamen voluit Pontifex, ut horum Capellanorum & Clericorum nomina exhibeantur, eo petente, Neapolitano Antiſtiti, utpote qui exemptorum ſuæ Diœceſiis conſcius eſſe debet. Prædictis Capellanis Aulæ Regiæ, Arcium, Hoſpitalium militum, Claſſis, & Exercitus cenſet Gagliardus citato loco num. 23. addendos eſſe Capellanos Regiarum Audientiarum, & Tribunalis Campaniæ, quia Rex Carolus die 24. Auguſti 1743. reſcripſit ad Capellanum Majorem Archiepiſcopum Theſſalonicenſem, eos a Capellano Majore *Pagellam* aſſequi debere, & ad ejus forum pertinere, atque conſtituendum eſſe in Provinciis Judicem aliquem, ut eorum negotia facilius expediantur.

IX. Hos vero omnes Pontifex prorſus eximit ab Ordinariorum juriſdictione, & Majori ſubjicit Capellano, ita ut ad hunc ſpectat illorum negotia ſive civilia, ſive criminalia, ſive miſta, Cauſas quoque Beneficiales diſcutere, ac definire; nec ulla ſit provocatio a Majore Capellano ad Judicem alium; niſi illum, quem Rex in ſecunda, aut tertia inſtantia conſtituerit. Exemptionis hujus veſtigium occurrit in ipſo Jure Canonico *Cap. Cum Capella 16. De Privileg.* ubi Innocentius III. Capellam Ducum Burgundiæ, ejuſque Capellanos, quoad ea, quæ ad ipſam Capellam pertinent, ab Epiſcoporum poteſtate eximit. Cum tamen iidem Capellani præeſſent Parochialibus Eccleſiis ſibi ab Epiſcopis collatis, eoſdem, quoad haſce Eccleſias, ſubjectos Epiſcopis dicit. Inde putant nonnulli communicatum omnibus Regum Capellis hujuſmodi privilegium; preſertim quia Tridentinum Concilium Seſſ.24. *De Reformat. Cap.* 11. quoad Regios Capellanos, Conſtitutionem Innocentii III. ſervandam fore decrevit. Id ſane in Aula noſtrorum Principum antiquiſſimi eſt inſtituti. Hinc cum Alphonſus I. Aragonius Fr. Dominicum Xarch ſuum conſtituit Majorem Capellanum, ejus juriſdictioni omnes alios Capellanos ſubjecit *tam ſervientes, quam non ſervientes actu, cum poteſtate eorum cauſas cognoſcendi, & definiendi, ſicut ſemper extitit conſuetum*. Plurimos itidem Capellanos, tam Regali Capellæ actu inſervientes, quam Regiis tantum litteris deſignatos a Joanna II. Alphonſo I. Ferdinando I. ea lege, ut Regio Capellano Majori, præterea nemini Prælatorum, vel Judicum, morem gererent: pluresque Regias litteras, quibus vetitum, ne Epiſcopi jus redderent in cauſis Cappellanorum ad forum Capellani Majoris ſpectantibus, recenſet tom. 2. MSS. Chioccarellus. Quare cum de hac ipſa re, inter alia, Legati Pii V. apud Philippum II. conquererentur, reſcripſit Prorex Granuela Cardinalis, jus eſſe moribus antiquiſſimis introductum, præſcriptam jamdudum Capellano Majori Epiſcopalem juriſdictionem. Ita quoque declararunt Proreges Comes Lemoſenſum die 27. Februarii 1614. Cardinalis Zapata die 2. Novembri 1622. Dux Albæ die 30. Decembri 1624. Habes haſce litteras citato loco Chioccarelli. Habes quoque apud Pignatellum tom. 6. Conſult. 80. nonnullas ad hanc rem declarationes Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium. Et eamdem antiquiſſimam Capellanorum exemptionem, ſubjectionemque Majori Capellano memorant Taſſonius *De Anteſato*, Freccia *De ſubfeudis*, Revertera *Deciſ.* 495. Riccius in *Praxi Rer. Eccl. Reſol.* 499. Curte *Lib.* 2. *Jur. Feud. Cap.* 2. *n.* 178. Maranta *Contr. Jur. p.* 3. *reſp.* 17. aliique plures ex noſtratibus Scriptores. Verum recenti Conſtitutione Benedicti XIV. exemptio hæc, quæ latius olim porrigebatur,

tur, redacta eſt ad Capellanos, Clericos, Scholares Capellæ Regiæ, Arcium, Hoſpitalium, Claſſis, & Exercitus *actu inſervientes*; & Clericos omnes Regio ſervitio adſcriptos, *eo durante*. Quare ſi qui honoris tantum cauſa, ſine ullo miniſterio, Capellani Regii dicuntur, ii laudata Conſtitutione minime comprehenduntur. Secus dicendum de iis, qui vel ob ingraveſcentem ætatem, vel ob adverſam valetudinem, rude donati ſunt, & ſtipendia percipiunt. Hos quidem, quia actu ſtipendiis Regis aluntur, nil vetat haberi tamquam Regi actu inſervientes. Mos quoque invaluit, ut Cantorum, & Miniſtrorum Regalis Capellæ Cauſæ, etſi laici ſint, ad Curiam Capellani Majoris Regiis Reſcriptis ſæpè remitterentur. Cujus rei plura extant exempla dicto tom. 2. Chioccharelli, & in Actis Curiæ.

X. Spectat ad Capellani Majoris auctoritatem Aulicum Concionatorem deſignare, eique concionandi facultatem, benedictionemque concedere. Idque juris ei competit in Capella Regis, & in S. Sebaſtiani Eccleſia, etiamſi in iis locis, neque Rex, neque Regina, neque Prorex præſentes ſint. Tum eodem jure utitur in qualibet Eccleſia, præſentibus Rege, aut Regina, aut Prorege. Cautum tamen voluit Pontifex, ne iis, ſive ſint e Clero ſæculari, ſive e Regularium Ordinibus, Capellanus Major facultatem annueret concionandi, quibus interdicta fuerit ea facultas a ſuis Ordinariis, Superioribuſque. Quoad alias vero Eccleſias ipſius curæ commiſſas, ſtatuit Pontifex, Concionatorem eſſe quidem ab eo deſignandum; ſed concionandi licentiam, & benedictionem ab Epiſcopo loci conſequi debere. Et id quidem ſcitiſſime. Nam cum ad Eccleſias exemptas confluant fideles, quorum ſpirituali curæ Epiſcopus imminet, & cum conciones habere ſpectat ad officium oves paſcendi, hinc æquum eſt, ad hujuſmodi miniſterium, facultatem, benedictionemque Epiſcopi intervenire.

XI. Si Capellanus Major ſit ex Epiſcoporum Ordine, licitum ei eſt, Scholaribus tantum Regiæ Capellæ (ideſt tironibus) primam Tonſuram, & Ordines minores, ſacroſque conferre. Si vero careat Epiſcopali charactere, fas illi erit, eoſdem, datis litteris teſtimonialibus de ætate, moribus, doctrina, patrimonio, cæteriſque ad Ordinationem requiſitis, ad conſequendam a propriis Prælatis ſacram Ordinationem tranſmittere. Quod ſi hi, aut Epiſcopali dignitate careant, aut Ordinationes non habeant, quilibet Regni Epiſcopus, dummodo ne gaudeat ſolo Epiſcopi titulo, acceptis teſtimonialibus litteris Capellani Majoris, licite poterit ad ſacros Ordines, eos promovere. Verum ut Clerici eo fruantur privilegio, conditiones omnes Ordinandis in Neapolitano Regno præſcriptas, præſertim recenti Concordato, habere neceſſe eſt: & ut Regiæ Capellæ, aut Eccleſiæ S.Sebaſtiani, per continuum triennnium actu inſervierint. Itaque Capellani Majoris facultas quoad Ordinum collationem hos Clericos dumtaxat conplectitur, quos non ultra decem in Capella Regis, quatuor in Eccleſia S. Sebaſtiani, deſcribendos ſtatuit Pontifex. Verum cum ad Capellanum Majorem ſpectet in aliis Eccleſiis ſibi ſubjectis Clericos addicere; iis quoque teſtimoniales daturus erit literas, de tota eorum vivendi ratione, deque præſtito ſacro miniſterio, quin tamen ad illorum Ordinationem adigantur Eiſcopi, quibus illi, vel ratione originis, aut domicilii, aut Beneficii ſubjecti ſunt. Sed anne Clerici Regiæ Capellæ, & Eccleſiæ S. Sebaſtiani exhibere debent Capellano Majori, a quo eorum pendet Ordinatio, teſtimoniales litteras ſuorum Epiſcoporum, ad quos pertinent ſive ratione originis, ſive domi-

micilii, juxta Conſtitutionem Innocentii XII. *Speculatores*? Huic dubio olim circa facultates Magni Eleemoſynarii Regis Sardiniæ excitato, reſpondit Benedictus CIV. Clericos illos ordinandos eſſe: *habitis prius litteris teſtimonialibus proprii Epiſcopi originarii, vel domiciliarii, ſi tamen Ordinandus diſceſſit a Diœceſi in ætate, in qua potuerit canonicum impedimentum contrahere, & non alias*. Subdit vero Pontifex: *quod ſi teſtimoniales litteræ denegentur, nullaque juſta cauſa afferatur; tunc, & in eo caſu poſt præmiſſam trinam monitionem adeundus erit Nuncius Apoſtolicus, vel Sancta Sedes ad hoc ut juſtis remediis, vel cogantur Epiſcopi ad tradendas litteras teſtimoniales, vel Ordinatio abſque dictis litteris tuto, & impune fieri poſſit*.

XII. Quoniam vero Aulicis omnibus, ſive familiaribus Regis, iiſque, qui in Palatio, ſtatione Triremium, Arcibus Neapolitanis domicilium habent, Capellanus Major in ſpiritualibus imminet, uti dictum fuit num. V. hinc ejus muneris eſt, Sacramenta illis adminiſtrare. Poteſt itaque *per ſe, vel per alium, ſeu alios Presbyteros ſæculares, vel quorumvis Ordinum Regulares de Superiorum ſuorum licentia, prævio tamen examine ab eodem Capellano Majore approbandos, & ſalva Regi, & Reginæ facultate eligendi ſibi proprium Confeſſarium arbitrio ſuo ex Presbyteris ab eodem Capellano Majore approbatis, ſupradictorum omnium Confeſſiones audire, eiſque Sacramenta adminiſtrare, etiam in mortis articulo, & tempore interdicti eorum corpora Eccleſiaſticæ tradere ſepulturæ, dummodo ipſi cauſam Interdicto non dederint, neque per eos ſteterit, quo minus Interdicto pareatur*: ait Pontifex *n*. 8. Conſtitutionis. Quare in ſupradictis locis ad audiendas fidelium ſacramentales Confeſſiones, approbationem, juriſdictionemque accipiunt Presbyteri a Capellano Majore, facultatem quoque a quibuſvis delictis abſolvendi. Nam num. 14. addit Pontifex: *iiſdemque omnibus, & ſingulis a quibuſcumque eorum peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis quantumvis gravibus, & enormibus, etiam Epiſcopis, & locorum Ordinariis reſervatis, de quibus ore confeſſi, & corde contriti fuerint, ſalutari pœnitentia pro modo, & gravitate culpæ impoſita, debitam abſolutionem vel per ſe, vel per alios impendere, & elargiri libere, ac licite poſſit*. Imo quoad Clericos, Capellanoſque Regiæ Capellæ, Capellanus Major num. 7. auctus eſt poteſtate eos abſolvendi ab excommunicatione Canonis (excepta gravi læſione), & ab Irregularitate, quæ profluit ab illicita Divinorum adminiſtratione. Nullum vero eſt dubium, poſſe Capellanum Majorem intra quos voluerit limites coercere eam poteſtatem abſolvendi, quam tribuit ipſe Presbyteris a ſe approbatis; ideſt poſſe ſibi reſervare quorumdam gravium criminum abſolutionem, ut ab Ordinariis locorum fit in ſuis Diœceſibus. Ab ipſo namque profluit ad inferiores Presbyteros juriſdictio; quam proinde iis communicare poteſt ea reſtrictione, & lege, quæ animarum bono ei magis expedire videbitur.

XIII. Attamen hujuſmodi Confeſſarii a Capellano Majore approbati, non poſſunt illorum Confeſſiones audire, qui non ad juriſdictionem ipſius, ſed ad Epiſcopi Diœceſani ſpiritualem curam ſpectant. Horum namque reſpectu carent abſolvendi juriſdictione; cum Antiſtitis Aulici auctoritas ſit nedum quibuſdam locis, verum etiam quibuſdam perſonis Regio famulatui, & Militiæ addictis circumſcripta; quam ultra perſonas, res, loca, & caſus expreſſos extendere, vetat num. 15. Pontificia Conſtitutio. Nullius autem momenti profertur abſolutio, in

 quos

quos Sacerdos nec ordinariam, nec delegatam habet juriſdictionem. Hinc neque Regulares approbati a ſuis Superioribus Regularibus ad audiendas Confeſſiones, eam facultatem exercere poſſunt quoad laicos, Clericoſque ſæculares; quia in hos juriſdictio ſpiritualis ad Epiſcopum ſpectat. Pariter in nonnullis Eccleſiis, vel Hoſpitalibus exemptis Confeſſarii adprobati ab inferioribus Prælatis nullam habent facultatem quoad cæteros fideles, Diœceſani Epiſcopi auctoritati ſubjectos. At in Aula Regum Sardiniæ, Confeſſarios a Magno Eleemoſynario approbatos Pontifex auxit hac facultate. Nam de hac re interrogatus reſcripſit: *Poſſe Magnum Eleemoſynarium, ſeu Capellanum Majorem, per ſe ipſum, vel alios Sacerdotes ab ipſo approbandos, excipere omnium Chriſti fidelium Confeſſiones in Regiis Capellis, ſed non poſſe abſolvere a caſibus Epiſcopis reſervatis, niſi ſolos Curiales, & Curiam Regis ſequentes.*

XIV. Sed anne Aulici, Milites, aliique, quibus in re ſpirituali Major Capellanus imminet, poſſint in aliis Eccleſiis Epiſcopo Diœceſano ſubjectis Sacramenta percipere, dubitari merito poteſt. Hi quidem ſi extra Palatium, Arces Neapolitanas, ſtationem Triremium vulgo *Darſena*, Majoris ſcilicet Capellani territorium, habeant domicilium; licite, & valide Sacramenta percipiunt a Presbyteris, Parochiſque ab Epiſcopo Diœceſano approbatis. Nam juriſdictio Epiſcopi in ſua Diœceſi omnes complectitur perſonas inibi exiſtentes; eos etiam, qui ad finitimas Diœceſes ſpectant, dum in ſua Diœceſi commorantur. Si tamen in ſupradictis locis degant, quæ Majoris Capellani territorium ſeparatum conſtituunt, poſſunt quidem Sacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, (non tamen in Paſchate,) in Eccleſiis Diœceſano Antiſtiti ſubjectis percipere, non tamen alia Sacramenta, quæ a propriis Parochis ſuſcipienda ſunt. Atque in hac re conſenſum, auctoritatemque Majoris Capellani implicite haberi certum eſt. Hujuſmodi fuit Benedicti XIV. ſententia, cum de hac ipſa re, circa Magni Eleemoſynarii Regis Sardiniæ facultates, fuerit dubitatum; *Curiales, alioſque Regio ſervitio addictos, ſi intra Curiam ſint, poſſe ex ſpeciali favore Sanctitatis ſuæ in Eccleſiis extra Territorium Magni Eleemoſynarii, ſeu Capellani Majoris abſque ulla iſtius licentia a quocumque Sacerdote ab Ordinario adprobato recipere ſola Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta: & cætera Sacramenta ultimæ infirmitatis, & Communionem Paſchalem ſumere debere a Magno Eleemoſynario, ſeu Capellano Majore, aut Sacerdote de iſtius licentia, excepto ſolo Matrimonio, in quo obſervetur forma Sacri Concilii Tridentini. Quod ſi prædicti permaneant extra Curiam, tunc, & eo caſu adminiſtrationem omnium Sacramentorum ſpectare ad Parochum loci, præter illud Matrimonii, in quo pariter ſervetur forma Sacri Concilii Tridentini.*

XV. Quoad cætera Sacramenta: Baptiſmus conferri poteſt a Capellano Majore, vel per ſe, vel per alios ab ipſo deſignatos non ſolum iis omnibus, qui in Palatio, Arcibus, & Statione Triremium nati fuerint; verum etiam infidelibus, quos in præſentia Regis baptizare oportuerit, vel Rex e Baptiſmo ſuſcipere voluerit. De Sacramento Confirmationis nil expreſſe ſtatuit Pontifex laudata Conſtitutione. Verum cum Capellano Majori permiſerit (ſi Epiſcopali dignitate præſtet) ea agere, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis in Capella Regis, & in Eccleſia S. Sebaſtiani, nil vetat, quominus in his ſacris Ædibus poſſit ſacro Chriſmate ungere eos tantum, quos ejus ſpiritualis cura comple-

pleƈitur. Euchariſtiam vero in Paſchate, aut in fine vitæ ad modum Viatici, extremam quoque Unƈionem Aulicis, aliiſque degentibus in Palatio, Arcibus, & Statione Triremium dandas eſſe a Presbyteris a Capellano Majore deſignatis, & hujus auƈtoritate, certum eſt. De Matrimoniis tandem, hæc ſtatuit Pontifex num. 9. *Matrimoniis etiam celebrandis, factis tamen prius denunciationibus, ſeu proclamationibus a Concilio Tridentino requiſitis, ſi uterque contrahens in locis præſignatis habitent, & morentur; Si vero mulier ibi domicilium non habuerit, denunciationes, ſeu proclamationes pro parte mulieris fiant, & matrimonium celebretur in Parochiali Eccleſia, intra cujus fines ipſa mulier commoratur; ſi autem aliqui ex prædictis exteri fuerint, capta prius per loci Ordinarium informatione, ac ab eodem decreto gratis obtento, quod inter eos licite matrimonium celebrari valeat, ſimiliter idem Capellanus Major, vel alius, ſeu alii ab eo deputandi, nulla alterius Parochi licentia requiſita, ſolemniter intereſſe* poſſit. Itaque ſi uterque contrahens degerit in locis ſubjeƈtis jurisdiƈtioni Majoris Capellani, ibi faciendæ ſunt proclamationes, & conjugii benediƈtio danda eſt a Majore Capellano, vel a Presbytero ab eo delegato. Si ſponſæ domicilium alibi fuerit, proclamationes in utriuſque ſponſi Parochiis faciendæ ſunt, conjugium vero celebrandum in Parochiali Eccleſia, ubi mulier habet domicilium. Ita etiam dicendum erit, ſi ſponſus domicilium habuerit extra territorium Majoris Capellani; ſponſa vero inibi habuerit. Exteris vero ſponſis, vel ſervitio Regis addiƈtis, vel in ſupradiƈtis locis degentibus, lato primum decreto ab eorum Ordinario de matrimonio licite inter eos contrahendo, poteſt Major Capellanus, vel per ſe, vel per alios nuptialem benediƈtionem impartiri.

XVI. Habet præterea Capellanus Major facultatem permittendi omnibus ejus curæ ſpirituali commiſſis opera ſervilia, iis diebus feſtis, quibus vetitum eſt, ea exercere. Sed hæc facultas nedum quoad perſonas, verum etiam quoad loca coercetur limitibus ejus territorii, ſcilicet. Regiæ Aulæ, Palatii, Arcium Neapolitanarum, Stationis Triremium, ſive *Darſena*, Hoſpitalium claſſiariorum, & militum. Nil vero hac Conſtitutione ſancitum eſt de uſu carnium Aulicis ac militibus permittendo, in diebus jejunii. Verum ex litteris in forma Brevis, quas Romani Pontifices Benediƈtus XIV. Clemens XIII. & Clemens XIV. qui nunc temporis Eccleſiæ Romanæ meritiſſimè, & feliciter præeſt, ad determinatum temporis ſpatium, conceſſa, tum prorogata, ac renovata eſt Majori Capellano facultas permittendi nedum militibus, nedum Aulicis, ſed etiam eorum familiaribus, & commenſalibus carnium eſum, iis diebus, nec excepto Quadrageſimali tempore, quibus illis veſci Eccleſiaſtica lege vetitum eſt.

XVII. Quæ hucuſque recenſuimus Capellani Majoris privilegia, ad Aulam Regis, Aulicoſque, & eos, qui in memoratis locis degunt ſpeƈtant, etiamſi militari cingulo careant. Nunc enumeranda ſunt Palatini Antiſtitis jura ampliſſima, quæ ad Copias pertinent, ſive terreſtres, ſive maritimas. Qua in re Capellanus Major Regni præſtat cuilibet alteri Magno Capellano; quia non Aulæ ſolum, Aulicisque, adhæret illius auƈtoritas, & officium. Et primo quidem ejus muneris eſt Capellanos, ſeu Presbyteros eligere, & ſtatuere, qui in expeditionibus ſive terreſtribus, ſive maritimis, ubicumque locorum, Regis militares copiæ fuerint, eis Sacramenta Baptiſmi, Pœnitentiæ, Eu-

Euchariſtiæ, Matrimonii, & Unctionis Extremæ adminiſtrent. At ſi in ſtatione, non in expeditione milites verſentur, tunc hujuſmodi Capellani debent de conſenſu Epiſcopi, vel Vicarii generalis, vel Parochi loci, Parochialia munia peragere; iſque conſenſus eis habentibus teſtimoniales litteras Capellani Majoris minime eſt denegandus. Matrimonia militum in ſtationibus exiſtentium celebrari debent coram Parocho loci ſimul, & Capellano caſtrenſi. Cetera Parochialia officia in benedicendis domibus, ducendis funeribus, & aliis hujuſmodi, a Parocho loci agenda ſunt, quod milites præſidiarios, eoſque, qui in Arcibus Regni commorantur; eo vero renuente, agi licite poſſunt ab eorum Capellano. Milites Neapolitani Regis ex iis regionibus, ubi viget hæreſis, e. g. e Germania, Helvetia, Belgio, poſſunt in actuali expeditione abſolvi a crimine hæreſis, aut apoſtaſiæ a fide, auctoritate Capellani Majoris, per Presbyteros, ſeu Capellanos ab eo delegatos. Quod ſi Regiæ copiæ extra Italiam, & adjacentes Inſulas ſint in expeditione, facultas iſtæc Capellani Majoris abſolvendi ab hæreſi, milites omnes complectitur, ſint necne e regionibus hæretica labe infectis. Iiſdem militaribus copiis, imo etiam fœminis, omnibuſque caſtra ſequentibus, cum contra hoſtes arma moventur, poteſt Major Capellanus permittere carnium uſum, ovorum, lacticiniorum, & caſei, iis diebus, quibus nefas eſt hiſce cibis uti. Verum nec in magna Hebdomada, nec omnibus diebus Veneris, & Sabbati totius anni, indulgere ipſis poteſt carnea cibaria. Hujuſmodi diſpenſatio fuerat olim uſitata. Nam Gregorius XIII. petente Joanne Zunica Principe Petreperſiæ, & Regni Prorege, Brevi dato die 3. Martii. anno 1580. apud Chioccarellum. tom. 2. MSS. conceſſit militibus tunc, & pro tempore exiſtentibus in Præſidiis, & Arcibus Neapolitani Regni, ut Quadrageſimæ tempore, ovis, & lacticiniis veſci licite poſſent.

XVIII. Præterea *motu proprio* ejuſdem Sapientiſſimi Pontificis, novis privilegiis aucta eſt Capellani Majoris poteſtas, quoad militares copias, etiam auxiliares, dummodo ſint in actuali expeditione: nempe auctoritate abſolvendi omnes in exercitu Regio exiſtentes a quibuſcumque delictis, etiam Epiſcopis, locorum Ordinariis, aut Sedi Apoſtolicæ reſervatis: commutandi, relaxandi, diſpenſandi, abſolvendi illorum omnium vota, juramenta, irregularitates, & cenſuras Eccleſiaſticas juxta tamen Canones, & Tridentini decreta: concedendi illis omnibus plenariam Indulgentiam, imminente morte, atque in Nativitate Domini, Paſchate, & Aſſumptione B. Mariæ Virginis; tum etiam concedendi Indulgentiam decem annorum illis omnibus, qui in diebus feſtis ad audiendam concionem acceſſerint: celebrandi Miſſam una hora ante auroram, & altera poſt meridiem, & in quocumque loco decenti, & in Altari portatili; quinimo, ſi graviſſima urgeat neceſſitas, etiam bis in die: benedicendi omnia ſacra inſtrumenta, exceptis iis, in quibus ſacra unctio eſt adhibenda: reconciliandi Eccleſias, Capellas, & Cœmeteria, ac Oratoria quomodolibet polluta, in iis locis, ubi Regius exercitus ſteterit: denique celebrandi Miſſam pro expiandis defunctis in quocumque Altari etiam portatili, quæ liberandæ alicui animæ e Purgatorii pœnis ſuffragetur. De Sacro apud Claſſarios celebrando ſilet Conſtitutio. Sed Pontificiis Litteris die 28. Mar. 1754. & aliis Litteris die 27. Julii 1752. permittitur in Regiis Triremibus, ac in iis Regiis Navibus, quæ vulgo *Sciabecchi* dicuntur, Sacrum celebrari, etiam ſi ſint in Statione: *dummodo celebratio Miſſæ*,

eo

eo tempore, quo mare tranquillum & cœlum ſerenum reperiatur, & cum aſſiſtentia alterius Presbyteri, ſeu Diaconi fiat, ita ut periculum effuſionis Sanguinis in dicta celebratione minime adſit.

XIX. Privilegiis hiſce laudata Conſtitutione expreſſis, quædam alia addita deinde ſunt, aut Pontificiis Litteris editis in forma *Brevium*, aut Pontificiis Reſcriptis. Ita quidem, cum in enarrata Conſtitutione de ſola Neapolitana Capella Palatina fiat expreſſa mentio; hinc Reſcripto Pontificio die 24. Maii 1749. decretum eſt, Sanctiſſimam Euchariſtiam aſſervari quoque continuo poſſe in Capellis Palatinis Regiarum Ædium ad delicias extructarum in ſuburbiis, vulgo *Portici*, & *Capodimonte*. *Preſſani* vero, quem locum Rex venationis cauſa, alternis annis, adire ſolet; nonniſi eo tempore, quo ibi Rex moratur, vi Reſcripti Pontificii die 9. Novembris 1752. Divinam Euchariſtiam fas eſt aſſervari. Et pro ſacro Regiarum Capellarum Suburbii Erculani, vulgo *Portici*, & Oppidi *Caſertæ*, miniſterio, indulſit Pontifex Reſcripto dato die 5. Januarii 1754. Capellano Majori facultatem addicendi earum ſingulis Capellanos ſex, Clericoſque quatuor; duos itidem alios Clericos unicuique ex duabus Regiis Capellis exiſtentibus in Neapolitanis Arcibus *Ovi*, & *S. Eraſmi*, quos idem Palatinus Præſul poteſt ad ſacros Ordines promovere. Preterea datis Litteris in forma Brevis die 28. Auguſti 1759. declarata ſunt a Pontifice, jure perpetuo, privilegiata Altaria omnia extructa in Palatinis Capellis Neapolis, & Erculani Suburbii. Sed & aliis Litteris, pariter in forma *Brevis*, emanatis die 18. Januarii 1751. plenariam Indulgentiam, perpetuo conceſſit Pontifex, Regibus, iiſque omnibus, qui poſt Sacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ ritè ſuſcepta, viſitaverint devotionis, religionis, ac orationis cauſa, quolibet anni die, ſacras Ædes Palatinas, Neapoli, & in Suburbio Erculano. Tandem, petente Rege, indulſit Pontifex, edita Conſtitutione die 18. Novembris 1752. decem Capellanis Regiæ Neapolitanæ Capellæ: *ut ipſi de cætero, perpetuis futuris temporibus, in quibuſcumque publicis Regiis functionibus in eadem Capella fieri, & celebrati ſolitis dumtaxat, & non alias, Cappam magnam ſericam vulgo Amuer amaranti, non autem rubri, vel purpurei coloris, cum pellibus vulgo* di Martora, *& caudis Armellinis, nec non Mappa ex ſerico albi coloris ad inſtar roſæ efformata, & in principio femoris ſiniſtri lateris paſſim cum duobus floccis ſericis pariter albi coloris ſubtus pendentibus, & Rochettum cum ſuis manicis ſtrictis hiemali; æſtivo vero temporibus eadem Cappam magnam cum armiſino ſimiliter albi coloris loco pellium, & cum eiſdem Mappa & floccis ſericis albis, & Rocchetum prædictum deferre, & geſtare, illiſque uti libere, & licite poſſint, & valeant.*

XX. Ampliſſima hæc ſunt Capellani Majoris Regni Neapolitani jura; queis ſimilia in aliorum Principum Aulis habet nemo. Et quamvis ejus ordinaria juriſdictio non ultra hujus Regni fines ſe extendat, niſi præſente Rege in quovis loco; attamen quoad militares copias, non hujus Regni limitibus coercetur. Complectitur namque milites Regis exiſtentes in Regno Siciliæ, atque in aliis ditionibus extra Regnum; tum etiam militum Capellanos, ubicumque locorum, terra, marique, Regis Copiæ ſive terreſtres, ſive maritimæ ſint. Nam laudata Conſtitutione expreſſis verbis data eſt Capellano Majori facultas deſignandi Capellanos, & Confeſſarios *pro militaribus copiis tam Regis*

pro-

propriis , *quam auxiliaribus* , *tam in Regno utriuſque Siciliæ* , *quam extra* , *ubicumque ab eis iter faciendum* , *vel morandum eſſe contigerit*. Ex his vero omnibus conficitur, Capellanum Majorem eſſe procul dubio inter Magnates Aulæ, vulgo *Capi della Corte*, recenſendum ; uti ſunt Supremus Præfectus Regiæ Domus, Supremus Præfectus Regii ſtabuli, Magnus Coſmeta Regius, Supremus Curator Regiæ venationis ; quemadmodum in Aulis aliorum Principum, is, qui præeſt ſacris rebus, talem dignitatis, & honoris locum occupat. Eſt etiam *Officium Coronæ*, quia illius munus, & auctoritas minime continetur intra limites Aulæ, & ſacri miniſterii ; ſed cauſas plurimas eccleſiaſticas ad Regem delatas, Eccleſias omnes Regii juris, Scholas publicas, & graviſſima Coronæ negotia in expediendo Placito Regio, nomine Principis, uti mox dicendum erit, complectitur, & moderatur .

CA-

CAPUT VI.

DE ALIIS PRÆROGATIVIS CAPELLANI MAJORIS REGNI NEAPOLITANI.

Capellanus Major eſt ſupremus Rector Gymnaſii Neapolitani. II. *Rem litterariam ordinat.* III. *Juriſdictionem habet in Profeſſores, Auditoreſque.* IV. *Nulli ſine ejus teſtimonialibus litteris poſſunt conſequi Doctoris gradum.* V. *Nec ulli publice docere, neque libri edi poſſunt ſine illius auctoritate.* VI. *Sententiam dicit an Romanis ſcripturis ſit concedendum Regium Exequatur.* VII. *Quo ordine negotium hoc abſolvatur.* VIII. *Imminet Beneficiis, ſeu Eccleſiis omnibus Regii juris.* IX. *Quæſtiones de Patronatu Regio, vel Feudali examinat, & definit.* X. *Jus reddit in Cauſis ad hæc Beneficia ſpectantibus.* XI. *Curam habet vacantium Eccleſiarum Regii juris, idoneoſque Rectores proponit Regi.* XII. *Speciali modo præeſt nonnullis Eccleſiis Regiis.* XIII. *Piorum Confraternitatum Regulas approbat, & quæſtiones ad illas ſpectantes decernit.* XIV. *In negotiis Eccleſiaſticis ad Regem delatis ſuam ſententiam dicit.* XV. *De Conſultore ejus Curiæ.* XVI. *De Appellatione ab hujus Curiæ decretis.*

PRæter ſacrarum rerum in Aula, Arcibus, & Exercitu adminiſtrationem, plures aliæ, eæque præſtantiſſimæ, ſunt partes hujus ampliſſimi Officii: quæ ſingillatim ſunt hoc Capite recenſendæ. Et primo quidem ſupremus ipſe eſt Moderator Gymnaſii Neapolitani, quod a Friderico II. Imperatore excitatum, Carolus I. Andegavenſis pluribus collatis beneficiis, priſtinæ reſtituit dignitati. Sed olim ad jus dicendum Auditoribus, & Præceptoribus Gymnaſii conſtituebatur *Juſtitiarius Scholarium*; rei vero litterariæ præerat Rector Academiæ, qui unus erat e Gymnaſii Magiſtris. Deinde utrumque munus Capellano Majori commiſſum eſt; atque in hac parte Magni Cancellarii locum obtinuit. Nam ſupremam Gymnaſii adminiſtrationem Magno Cancellario demandari conſueviſſe colligitur ex Roberti Regis litteris, quibus anno 1311. præfecit Neapolitanæ Academiæ Mattheum Filamarinum, Cuſtodem Regii Sigilli, deinde Neapolitanum Antiſtitem. In his enim litteris, quas exhibet Chioccarellus in Epiſc. Neapol. dicitur; *quia nunc Cancellarium Regni noſtri, ad quem ipſius Studii cura, regimen, & ordinatio pertinet, non habemus, de tua circumſpectione, ac fide confiſi, ejuſdem Studii gubernationem, ordinationem, diſpoſitionem, & curam, prout ad dictum Cancellarium pertinere noſcitur, tibi præſentium tenore committimus.* Hinc Ingilramus Stella Regius Capellanus, & Conſiliarius, Magnus Regni Cancellarius, & Archiepiſcopus Capuanus, ſupremum egit Moderatorem Neapolitani Gymnaſii. At ſub Aragoniis Regibus, quando-

que Major Capellanus præfuit publicis Scholis, uti Julianus Mirtus Frangipanus, Epiſcopus Cajacenſis, deinde Tropejenſis, Capellanus Major Ferdinandi I. Regis. Ita quoque ſub Auſtriacis Hiſpaniæ Regibus; ſiquidem Antonius Lauro Epiſcopus Stabienſis, Majorque Capellanus, regnante Philippo II. Neapolitanam adminiſtravit Academiam. Et hanc ipſam adminiſtrationem Majori Capellano confirmavit anno 1616.. Prorex Regni, Lemoſentium Comes, cum ampliſſimas extruxit ædes Scholis habendis, & ſapientiſſimas condidit leges ad illarum dignitatem fovendam, augendamque. Rurſumque id confirmatum eſt ab ejus ſucceſſore Duce Oſſunæ, lata Conſtitutione die 22. Novembris, ejuſdem anni, quæ inſcribitur, *De regimine Studiorum*, qua majori Capellano committitur cura Gymnaſii publici, & auctoritas in Scholares omnes quarumvis ſcientiarum. Eo jure utitur uſque ad hæc tempora.

II. Itaque ad Capellanum Majorem ſpectat omnem rem litterariam in Neapolitana Univerſitate ordinare: ut publici Præceptores ne deſint officio ſuo, neve quid Catholicæ Fidei, bonis moribus, Regiis juribus, ſanæ doctrinæ contrarium ſuis lectionibus prodant, diligenter advertere: utque Auditores ſe ſe in officio contineant; & ne res litteraria in publicis Scholis aliquid detrimenti capiat. Qui vacantes Cathedras conſequi exoptant, eos edicto vocat generatim, ſuum ei daturos nomen intra condictos dies. Mox diem indicit habendo certamini litterario, vulgo *concorſo*; & locum cuique proprium prælectionibus agendis adſignat. Deinde textum explicandum, ſive ex Sacra Scriptura, ſive ex Jure Canonico, ſive ex Jure Civili, ſive ex Magiſtro ſententiarum, ſive ex Ariſtotele (prout vacanti Cathedræ convenit) ſingulis Candidatis ter aperit fortuito; ut unum ex eo caput, quod quiſque maluerit, ſibi deligat exponendum craſtino die. Præeſt deinde certamini litterario, & colligendis poſtremo die ſuffragiis, ac renunciandis ex majori votorum numero electis novis Profeſſoribus. Ad hujuſmodi ferenda ſuffragia jus habent præter Capellanum Majorem, nonnulli ex amplioribus Regni Magiſtratibus, & ex ipſius Gymnaſii primariis Profeſſoribus. Interea ipſius eſt deſignare, qui deficientium Profeſſorum ſuppleat vices.

III. Cum a Friderico II. Imperatore execitatum eſt Neapolitanum Gymnaſium, auctumque privilegiis pluribus, Præfecto ſtudiorum ſive Rectori Univerſitatis juriſdictio ordinaria collata fuit in cauſis Scholarium, Doctorumque. *Auth. Habita*. C. *Ne filius pro patre*. At Carolus I. Andegavenſis, qui de eodem Gymnaſio reſtaurando, augendoque præclariſſime meruit, Magiſtratum ad eam rem conſtituit, quem *Juſtitiarium Scholarium* nuncuparunt; qui jus diceret in negotiis ſive civilibus, ſive criminalibus tum Profeſſorum, tum Auditorum. *Mandamus*, verba ſunt illius Conſtitutionis relatæ inter Regni Capitula, Cap. *Inter virtutum dona*. Tit. *Privil. Stud. Neap. quod in omnibus quæſtionibus, tam civilibus, tam criminalibus coram Juſtitiario ſuo, ſive conveniantur, ſive conveniant alios, vel Scholares, vel Cives, tam Doctores, quam Scholares, & Scriptores, eorum apothecarii, & cæteri, qui ibidem ratione Scholarum morantur*: facultate inſuper eis facta adeundi Neapolitanum Antiſtitem, ſi remotis forenſibus tricis, vellent ſua negotia componi. Eidem addidit auctoritatem ſtatuendi pretia vendendarum rerum comeſtibilium, ut in hac quoque parte, Auditorum, & Profeſſorum commodo, & quieti conſuleret. Deſiit deinde, illius Ma-

Magiſtratus inſtitutio, quum facultas definiendi quanti vendenda ſint cibaria ad Optimates Civitatis deducta eſt; jurisdictionem vero in Profeſſores, Auditoreſque Univerſitatis, ſibi Capellanus Major, tamquam Academiæ Rector vindicavit. Quod illi jus confirmatum fuit a Prorege Oſſunenſium Duce, Pragmatica lata die 22. Novembris 1616. quæ eſt *De regimine ſtudiorum*. Idque juri communi conſonum eſt. Iis enim, qui aliquas exercent profeſſiones, nefas eſſe, illorum Judicum, quibus earum eſt cura, juriſdictionem, præceptaque declinare, dixit Anaſtaſius Imperator L. *Periniquum ult.* Cod. *De juriſd. omn. Judic.* Rurſus a Marchione de los Velez Prorege, lata Conſtitutione die 4. Januarii 1680. *Prag.* 1. *De regim. ſtud. Tit.* 1. confirmata eſt Capellano Majori ea juriſdictio, quibuſdam tamen limitibus circumſcripta. Itaque Profeſſores Regiæ Univerſitatis, una cum ſervientibus, quos *Bidellos* vocant, nonniſi Capellano Majori ſubduntur. Inſuper in Scholares, & quoslibet intra eorumdem Studiorum, Scholarumve ſepta delinquentes animadvertit cum voto Regii ſui Conſultoris; non tamen ſi in privatis ſcholis, vel alibi delinquant. Verum ſi civili, vel naturali morte coercendi ſunt, cauſæ olim in Regio Collaterali Conſilio, nunc in Regali Camera S. Claræ referendæ ſunt. Memorant hanc Capellani Majoris juriſdictionem Conſtantius, Taſſonus, Petra, Tappia, Ponte, Curtis, Riccius, Altimarus, Rovitus, aliique a Sorge Tom. 8. Cap. 31. n. 13. relati. Tandem Pontificia Conſtitutione hoc jus illi firmatum eſt, his verbis: *Salvis tamen omnibus juribus, prærogativis, privilegiis, ac facultatibus in Scholares, Lectores, aliaſque perſonas Regiæ Univerſitatis Studiorum*.

IV. Olim ad Magnum Cancellarium, Rectoremve Univerſitatis ſpectabat Juris peritos, Theologos, Philoſophos, ad gradum, honoremque Doctorum evehendos approbare. Verum cum circa annum 1428. a Joanna II. Regina inſtituta fuerint tria Collegia, ſcilicet Juriſperitorum, Philoſophorum ſeu Medicorum, & Theologorum, quibus Magnus Cancellarius immineret, (Diploma habes apud Tappiam Lib. 1. Jur. Regn. de Offic. M. Cancell.) ad ea Collegia jus translatum eſt approbandi illos omnes, qui in ſupradictis facultatibus digni eſſent Doctoris Titulo. Cenſet tamen Petrus Giannone Lib. 25. Cap. 7. non quidem tunc primum ea Collegia excitata, ſed reſtaurata fuiſſe. Illud certum eſt, pluribuſque probari poteſt, ante Joannæ II. regnum, fuiſſe qui Doctoris gradu, & titulo donabantur. Id autem auctoritate Principis, prævio examine, ſeu approbatione a Profeſſoribus publicis danda, abſolvebatur. Audiendus de hac re Rapolla *de Jure Reg. par.* 1. *lib.* 4. *cap.* 4. *n.* 3. ubi: *Neapolitanæ Academiæ non videtur conceſſum jus conferendi Gradum Doctoratus, ſed tantum examinandi, atteſtationiſque litteras conficiendi; unde auctoritate Regia olim acquirebatur ea dignitas... Sed quoniam in uſu tunc erat, ut Regium Diploma conficeretur per Cacellarium; ideo temporis progreſſu defecit auctoritas Academiæ, etiam in ſimplici approbatione Scholarium doctorandorum, eaque translata fuit ad ſeniores, & prudentiores hujus Civitatis, qui vel a Rege eligebantur, vel ab ipſo M. Cancellario, qui erat unus e ſupremis Regni Officialibus, paulatim conſtituerunt illi peculiare Collegium pro Doctoribus examinandis, & quo publica accederet auctoritas; placuit Reginæ Joannæ II. novo Edicto, ſive Privilegio, illud confirmari. Extat tale Edictum in calce Rituum Magnæ Curiæ, ubi, ſtatuto Cancellario tamquam Collegii Præfecto, & uno ex Doctoribus Prio-*

Digitized by Google

re electo, qui ſingulis annis mutari debeat, certa methodus præficitur in examine doctorandi, & approbatione. Nihilominus habet in hac re Capellanus Major ſuas partes. Nam Pragm. die 31. Novembr. 1619. *De regim. Studior.* ſtatuit, ne cuivis liceat gradum Doctoris conſequi, niſi Capellani Majoris præceſſerit adprobatio. Hinc Studentes, qui lauream Juriſprudentiæ, vel Theologiæ, vel Medicinæ conſequi exoptant, debent quotannis ſua nomina deſcribere in libro *matricularum* in ejus Curia ſervato, ut inde teſtimonium accipiant de impleto quinquennali, vel triennali ſtudiorum curſu, quod oportet in Collegio Doctorum proferre ad Doctoris Gradum rite capeſſendum.

V. Ex hac ipſa Capellani Majoris erga publicam rem litterariam cura, & auctoritate, profluunt duæ aliæ præclariſſimæ partes illius Officii. Harum prima eſt, ut ne ulli extra Academiam doceant liberales artes, ſcientiaſque, ſine ejus facultate, & approbatione, ita ut qui ſecus fecerint, ejus arbitrio, ſunt puniendi. Altera vero eſt, ut ne ulli edantur libri, qui Regiis juribus, aut tranquillitati Reipublicæ adverſantur, cujus rei plurima extant exempla Tom. 17. MSS. Chioccarelli. Ibi plura leguntur edicta a Proregibus lata, ne ulli promulgarentur libri ſine Regis conſenſu; quem ipſi Proreges concedebant, explorato antea Capellani Majoris ſuffragio. Utrumque munus præſtantiſſimum, & graviſſimum eſt. Quanti enim intereſt Eccleſiæ, & Reipublicæ, ne ab imperitis, vel improbis Magiſtris adoleſcentuli erudiantur; & ne libri evulgentur, fidei, bonis moribus, aut Regiæ dignitati contraria, quiſquis ſanæ mentis intelligit. Hinc a Concilio Lateranenſi V. ſub Leone X. anno 1515. tum a Tridentino *ſeſs.* 4. *de edit. & uſu lib.* gravibus inflictis pœnis cautum eſt, ne ſine approbatione Diœceſani Epiſcopi, cujus eſt *paſcere*, *& docere*, libri ederentur. Hiſce canonicis ſanctionibus acceſsere Principum leges, quarum vi in edendis, vendendiſque libris, Regia auctoritate, & permiſſu opus eſt. Et quoad nos attinet, primus omnium Prorex Petrus de Toledo, Carolo V. regnante, edixit die 15. Octobris 1544. ne libri ederentur, vel venderentur, niſi eos Capellanus Major dignos publica luce renuntiaverit. Plures deinde ad eamdem rem Pragmaticæ prodiere, quæ leguntur ſub *tit. De impreſſione librorum*. Mos inde invaluit, vigetque, ut qui librum aliquem edere velit, is ſupplici libello facultatem a Rege petat; qui hujus rei curam ad ſuum Capellanum Majorem remittit. Is vero alicui ex Regiis Profeſſoribus examen libri edendi ſolet committere; deinde acceptas Reviſorum cenſuras, relationeſque ad calcem eorumdem librorum exaratas ad Ragem defert. Eodem utitur in hac re jure Neapolitanus Antiſtes. Verum quoad libros alibi impreſſos, ut fas ſit, eoſdem Neapoli, & in Regno evulgare, ac vendere jure recentis Concordati Cap. 7. ſtatutum eſt, ut vir doctus excubet, ne ab exteris regionibus ad nos libri, qui Eccleſiæ, vel Reipublicæ perniciem inferant, tranſvehantur; & Ordinario loci exhibeatur index librorum exterorum, antequam e Regiis Dohanis extrahantur, ut eos arceat, a quorum lectione Fides, Eccleſia, Religio aliquid detrimenti capere poſſint. Optandum ſane eſt, ut in re tam gravi, diligentiſſimam & efficaciſſimam præſtent operam Sacerdotium & Imperium; ne ulla ſit licentia temere ſcribendi.

VI. Inter præcipua atque nobiliora Capellani Majoris munera recenſendum eſt, quod is ſuam dicere debeat ſententiam, an Bullæ, litteræ, Reſcripta Romanæ Curiæ, Sediſve Apoſtolicæ excutionem aſſequi valeant in

in Neapolitano Regno, ſeu an iis ſit concedendum nec ne *Regium Placitum*, quod apud nos dicitur *Regium Exequatur*. Auctor eſt Clar. Gagliardus loco citato n. 30. conſueviſſe olim Capellanum Majorem concedere ejuſmodi *Placitum* ſine Reſcripto Regis, aut Proregis, aut Collateralis Conſilii. Quum enim liqueat ex monumentis Archivi Regalis juriſdictionis apud Chioccarellum Tom. 4. MSS. Proregem Comitem de Ripacorſa die 30. Junii 1508. Archiepiſcopo Nazareno tunc Capellano Majori reſcripſiſſe, ne concederet licentiam notificandi poſſeſſoribus Beneficiorum citationem Curiæ Romanæ, ſed poſt ſummariam informationem de perſonis citandis, & tempore poſſeſſionis Beneficiorum, faceret ipſi Proregi relationem in ſcriptis ad finem providendi, inferre inde liceat, antea Capellanum Majorem facultatem habuiſſe concedendi Regium Placitum, nulla præmiſſa ad Proregem relatione. Fortaſſe id locum habuit in rebus minoris momenti. Tum a Philippo II. die 17. Julii 1569. Proregi Alcalenſium Duci datum eſt in mandatis, ut Regium Placitum litteris, & Reſcriptis Romanæ Sedis & Curiæ ſine mora concederetur, re tamen prius cognita per Capellanum Majorem, addito ei uno ex Regentibus Collateralis Conſilii. Et notat Gagliardus ab eo anno morem cepiſſe, qui etiam nunc temporis obtinet, redigendi in codicem, vulgo *regiſtrum* Regia Placita, ſive conceſſa, ſive ſuſpenſa, aut denegata Romanis litteris quibuslibet: cum nullum de Placitis antiquioribus anno 1570. monumentum ſuperſit in codicibus Curiæ Capellani Majoris. Extant tom. 4. MSS. Chioccharelli Proregis Alcalenſium Ducis litteræ datæ Capellano Majori, quibus ordo præſcribitur concedendi Placiti Regii, quod ne aliqua avaritiæ labe adſpergatur, ſtatutum eſt, ut jura Majori Capellano, ejuſque Miniſtris ex hac re debita, e Regio deinde ærario ſolverentur. Philippus IV. die 24. Decembris 1664. litteras ſcripſit Comiti de Caſtrillo Proregi, ut *Regium Exequatur* minime concederetur a Collaterali Conſilio, niſi præceſſerit relatio Capellani Majoris. Id ſtatutum eſt Pragmatica 14. *De officio Secretarii, ſeu a libellis, & his quæ Regio Cancellario incumbunt* data die 30. Aprilis 1665. ubi etiam cautum fuit, ne Regni Secretarius *Regium Exequatur* unquam expediret ſine ſuffragio Capellani Majoris, ejuſque Conſultoris. Ab eodem Prorege die 23. Novembris 1665. litteris datis ad Joannem de Ceſpedes Capellanum Majorem ſancitum eſt, partes intereſſe habentes audiri debere in Relationibus conficiendis de Placito Regio concedendo, nec ne. Mos inde invaluit, ut ſi quid in Romanis litteris deprehenderetur contrarium Regni moribus, Regiiſque juribus, Curia Capellani Majoris decerneret, *quod ſuperſedeatur in expeditione Regii Exequatur, & certior fiat Summus Pontifex*: quodue hujumodi decretum, non Capellanus Major ob reverentiave Apoſtolicæ Sedis, ut teſtatur Gagliardus, ſed ejus Conſultor tantum ſubſcribebat. Sæpe etiam Romanis litteris permittebatur executio, cum adjectis tamen quibuſdam limitationibus. Plurima occurrunt tom. 4. MSS. Chioccharelli ſuffragia a Capellanis Majoribus lata, ut Proreges conſulerent, an Placitum Regium eſſet nec ne concedendum: atque hi mores nunc temporis etiam obtinent. Nam Capellanus Major cum voto ſui Conſultoris ſententiam dicit de concedendo, vel denegando *Regio Exequatur*, & ad eam rem, partes in contradictorio Judicio audit, informationem, ſi opus eſt, capit, decreta conficit: tum illius ſententia ad ſupremum Magiſtratum, quæ *Camera Realis* dicitur, tranſmiſſa, hujus auctoritate, & judicio vel reſpuitur, vel probatur.

VII.

VII. Sed quo ordine, quibuſve legibus, totum hoc negotium abſolvatur, enarrat citato loco Gagliardus. Nam cum a Glorioſiſſimo Rege Carolo Borbonio ſecreto Concordati articulo promiſſum fuerit, daturum ſe operam, ut in hoc Regno celerem, expeditamque conſequerentur executionem Bullæ, Brevia, ac Reſcripta Romanæ Curiæ; hinc datis litteris die 15. Decembris 1741. ad Archiepiſcopum Theſſalonicenſem, Majorem ſuum Capellanum, plures præſcripſit leges concedendi Placiti Regii, ut majores amoverentur ambages, quibus hoc negotium involuebatur. Summa totius rei hæc eſt. Capellanus Major ſupplices de hac re libellos Regi porrectos accipit, ac de iis refert; quin præviam obtineat a Reali Camera facultatem, niſi agatur de Epiſcopatuum Bullis. Tum Relationem ſuam ad Realem Cameram tranſmittit, quæ mox Regem conſcium faciat ſuffragii ſui. Si poſt Relationem a Capellano Majore factam, ii, quorum intereſt, nova aliqua eaque gravia documenta juris ſui exhibeant, hæc ab ipſa Camera examinari poſſunt. Ut ne Romanarum Litterarum executio impediatur, niſi juſtæ afferantur impediendi cauſæ, ac depoſitum fiat ducatorum quinque, ab iis, qui illarum executionem impediri poſtulant, ſancitum eſt. Beneficium reclamationis adverſus *Regium Exequatur* non eſt indulgendum, niſi cum reclamans in Curia Capellani Majoris, vel Reali Camera nullo modo ſit auditus, vel auditus nova produxerit documenta illati ſibi gravaminis. Si quando autem Realis Camera, aliis ex cauſis peculiaribus cenſuerit reclamantem denuo audire; eas antea referre ad Regem debet, oraculum ipſius acceptura. Ut Epiſcopi *Regium Exequatur* petituri ſuper Bullis Pontificiis collationis Eccleſiarum Cathedralium libellos exhibeant *Secretario Status* expediendis Eccleſiaſticis negotiis addicto, ab eo remitttendos ad Curiam Capellanis Majoris pro relatione, quæ inde ad Realem Cameram tranſmittatur. Hæc vero, ſtatim ac decretum *Regii Exequatur* expediverit, ſine alio intervallo jubeat patentes litteras expediri exhibendas in eadem Secretaria Status pro legitimo earum curſu, quoties nullum interceſſerit impedimentum.

VIII. Beneficia omnia Regii juris, ex vetuſtiſſimo more, commiſſa ſunt curæ Capellani Majoris. Diximus pag. 57. & 60. Archicapellano Regum Galliæ ſecundis ſtirpis, & Magno Eleemoſynario eorumdem Regum tertiæ ſtirpis commiſſa fuiſſe omnia Eccleſiaſtica Regni negotia, præſertim vero Regii juris Beneficia. Diximus quoque pag. 72. Capellano Majori Regni Siciliæ ſubjecta fuiſſe Monaſteria Patronatus Regii. Eodem fere modo res ſe habuit in Aula noſtrorum Principum. Hinc Princeps Petreperſiæ Prorex Regni anno 1509. die 1. Januarii Capellano Majori in mandatis dedit, ut inquireret, operamque omnem impenderet ad vindicanda Regi Beneficia illa, quæ temporum calamitate perierant, & deſcribendos eorum omnium annuos proventus: & ut facilius hoc fungeretur officio, Magiſtratibus omnibus Regni præcepit, ut Archiepiſcopo Nazareno Capellano Majori in hac re opem, præſidiumque conſerrent. Rurſum anno 1559. Dux Alcalenſium Moderator Regni Majorem Capellanum interpellavit, ut Beneficia omnia Regii juris deſcriberet. Protulit hæc monumenta tom. 6. MSS. Chioccarellus; ubi etiam plures leguntur relationes a Magno Capellano datæ, ut vindicaret Regi quædam Beneficia, quorum memoria exciderat. Hinc etiam permutationes, reſignationeſque hujuſmodi Beneficiorum, nonniſi de Capellani Majoris ſuffra-

fragio abſolvuntur; idque ſemper uſitatum fuiſſe dicitur in quadam Conſultatione, quam de hac re ad Proregem dedit Conſiliarius de Curtis Conſultor Capellani Majoris anno 1567. & ita quoque faciendum decreto Regis anno 1569. ſancitum eſt, uti legitur to. 17. MSS. Chioccharelli. Hinc denique in quibuſvis negotiis ad Eccleſias Regias ſpectantibus, Capellani Majoris ſententia eſt expetenda. Ut cum anno 1587 Epiſcopus Puteolanus contenderet ſibi decimas deberi ſulphuris, quod e Puteolanis fodinis percipiebant Moderatores inſignis Noſocomii ſub titulo SS. Annuntiatæ: & cum Eccleſiæ Epiſcopales Regiæ nominationis Brunduſina, & Uritana ab uno, eodemque Epiſcopo adminiſtrarentur; moxque Uritani a Philippo II. Rege enixe petiiſſent, ut ſibi proprius daretur Epiſcopus, quod demum a Rege impetrarunt, explorato prius Majoris Capellani ſuffragio.

IX. Sed & ad Capellanum Majorem ſpectat ſententiam ferre, ſi quæ circa Eccleſiaſtica Beneficia excitantur quæſtiones, an ſint Regii Patronatus, vel Patronatus Feudalis. De qua re Gagliard. Lib. 3. tit. 1. num. 22. Hujus antiquiſſimi moris origo ex eo repetenda eſt, quod res Beneficiales tamquam ſpiritualia negotia nonniſi a Judice Eccleſiaſtico tractanda, & definienda communi opinione exiſtimatum fuerit. Et jus quidem Patronatus eſſe ſpirituale aliquod; ſicuti & Beneficium quod primario, & præcipue Officium ſpirituale involuit; cum Beneficitm detur, ac præſupponat Officium. Et quamvis tam Juri Patronatus, quam Beneficiis ſint bona, & jura temporalia annexa; attamen hæc ſecundaria, & conſequentia, minuſque principalia ſunt. Quod enim in Jure Patronatus, & Beneficiis eſt primum, maximumque, illud ſpirituale eſt. Hinc recenti quoque jure Concordatorum Cap. *6.* n. 4. ſtatutum eſt, ut Cauſæ Beneficiales privativè ſpectent ad Judicis, Foriquc Eccleſiaſtici cognitionem, exceptis tantummodo cauſis, quæ ad Regios Patronatus ſpectant; ibi: *Saranno di privativa giuriſdizione Eccleſiaſtica le cauſe beneficiali, purchè non ſi tratti di jus patronati Regj, o Feudali per quelle ſole Cauſe, la deciſione delle quali principalmente dipende dal vedere, ſe il patronato ſia anneſſo, o no al feudo; o de univerſitate bonorum negli altri patronati laicali.* Quemadmodum itaque Eccleſiæ Regii Patronatus ab Epiſcoporum juriſdictione ſunt exemptæ; ita ab eorum foro ſubductæ ſunt cauſæ, quæ ad eas pertinent. Et quia ad Regem ſpectat directum feudi dominium, inde fit, ut Patronatus Feudales eodem fere jure utantur. At cum hjuſmodi ſint cauſæ Eccleſiaſticæ, quæ primario circa ſpiritualia verſantur, æquum, convenienſquè fuit, ut nonniſi alicui Eccleſiaſtico Judici definiendæ committerentur. Et inde factum, ut in Sicilia Judex Regiæ Monarchiæ; in Neapolitano Regno Capellanus Major in hiſce cauſis, negotiiſque jus reddant. Cui Capellani Majoris auctoritati nil derogatum voluit Benedictus XIV. laudata Conſtitutione *Convenit* anni 1741. ubi n. 15. abrogatis quibuſvis aliis Capellani Majoris juribus in Bulla minime expreſſis, hanc tamen exceptionem addidit: *Salvis tamen omnibus juribus, prærogativis, privilegiis, & facultatibus in Scholares, Lectores, aliaſque perſonas Regiæ Univerſitatis Studiorum Neapoli exiſtentis, tum etiam quoad cauſas, & perſonas, Rectores, ſeu Poſſeſſores nonnullorum Beneficiorum, & Eccleſiarum, vel iiſdem Eccleſiis inſervientes, quæ ad nominationem, ſeu præſentationem, aut jus Patronatus Regium ſpectant, ab immemorabili tempore eidem Capellano Majori, ut aſſeritur, competentibus, quæ per præſen-*

tes

res neque approbare, neque eis ullatenus derogare intendimus.

X. Tamque late patet Capellani Majoris auctoritas circa Beneficia Patronatus Regii, vel Feudalis, ut omnia hujus generis negotia ejus forum complectatur, etiamſi agatur de jure aliquo intuitu Feudi & ſuper re, vel jure Feudali acquiſito; atque ſive rei, ſive actoris partes, Dominus Feudi agat. Idque ex antiquiſſimo more; cui cum ſæpe repugnatum fuerit a Fiſci Patrono, contendente in his caſibus rem eſſe ad alios Magiſtratus deferendam, ſæpe etiam hoc jus Curiæ adhæſit. Nonnulla exempla a Gagliardo loco cit. n. 29. adducuntur. Antonius David Regiæ Cameræ Præſes, & Capellani Majoris Conſultor anno 1586. in Regio Collaterali Conſilio retulit, audito Fiſci Patrono, diſcutiendam cauſam Octavii Farneſii Altimuræ Domini, qui ad ſe pertinere jus conferendi Archipresbyteralem illius Civitatis dignitatem contendebat, uti legitur apud Sanfelicium *Prax. Jud. ſect.* 24. *n.* 24. Idem Sanfelicius refert deciſionem Collateralis Conſilii editam anno 1645. in cauſa Comitis Galaſſi Domini Nuceriæ ad ſe vindicantis jus præſentandi ad Dignitates, & Canonicatus illius Cathedralis Eccleſiæ. Et Reverterius Deciſ. 347. tradit plures a ſe, tamquam Conſultore Capellani Majoris cauſas relatas in Collaterali Conſilio, audito Regio Fiſco, præſertim de jure Baronum Gryptæminardæ, & Mileti. Addit Gagliardus, proceſſu temporum, & Reges, & Collaterale Conſilium, & Delegatum Regalis juriſdictionis controverſias Regiorum, & Feudalium Patronatum maluiſſe ad Curiam Capellani Majoris remittere decidendas, audito Regalis Patrimonii Fiſco, tam in poſſeſſorio, quam in petitorio. Videantur Petra *ſuper Ritu* 295. *n.* 220. Reverterius *Deciſ.* 495. ibique de Marinis, Capiciuslatro *Conſult.* 153. n. 26. & 48. Id etiam nunc temporis viget. Nam Regalis Camera S. Claræ die 21. Julii 1749. definivit, procedendum, audito Regio Fiſco, in Curia Capellani Majoris in cauſa jurium funebrium lecti, equi, aliorumque inter Archiepiſcopum Hydruntinum, quæ Eccleſia eſt Regii juris, & Marchionem Granaſci, Baronem Starneziæ, quæ ſoluta juxta ſolitum non erant in obitu trium Baronum, qui præceſſerant. Cumque Patronus Fiſci, tunc Matthæus de Ferrante, contendiſſet judicium illud ad Cameram Summariæ ratione Feudi ſpectare; decreto Regis die 1. Novembris 1749. ſtatutum, declaratumque eſt, ut in Curia Capellani Majoris hoc judicium abſolveretur.

XI. Pronum exinde eſt, ut Eccleſiæ Regii juris, ſuis Rectoribus viduatæ, Capellani Majoris curæ commiſſæ ſint. In quibuſdam litteris Proregis Alcalenſium Ducis ad Regem datis anno 1568. quas exhibet tom. 3. Chioccarellus, dicitur ex vetuſtiſſimo more fructus vacantium hujuſmodi Eccleſiarum adminiſtrari ab eo, quem Prorex deſignaverit, atque de Majoris Capellani ſententia in ipſarum Eccleſiarum uſum expendi. Nunc vero temporis, deſignat ipſe Œconomum Regium ad colligendos adminiſtrandoſque fructus vacantium Eccleſiarum Regiæ nominationis; unum ſcilicet ex Capellanis Aulicis, quorum ſingulis gradatim hoc demandatur munus, ac fruuntur conſtituto ſtipendio, uti a Carolo Rege decretum fuit. Si quid in iis Eccleſiis reſarciendum, reſtituendum, renovandumque eſt, de Capellani Majoris mandato abſolvitur. Tum ipſius muneris eſt, idoneos Rectores vacantibus Eccleſiis dandos perquirere, ac Regi proponere. Nam quoties agitur de promovendis Epiſcopis ad Eccleſias Cathedrales Regiæ nomina-

minationis; vel præſentandis ad vacantia Beneficia Regii Patronatus, vel conferendis Beneficiis Regiæ Collationis, ipſe, prævio tamen juſſu Regis, ternos idoneos viros Regi proponit, quorum unum Rex eligere conſuevit. Nec immerito coniicit Gagliardus ex antiquiſſimo more id in Aula noſtrorum Regum uſitatum, cum Petrus Bleſenſis gravem ſcripſerit epiſtolam ad Gualterium Guillemi II. Siciliæ Regis Capellanum, ut pro ſuo ipſe officio Regem hortaretur, ac curaret, ne indignos ad Epiſcopales ſedes promoveret. Dictum quoque alibi fuit Archicapellanum, Magnumque Eleemoſynarium eodem fere munere functum eſſe in Aula Regum Francorum.

XII. Ex Eccleſiis vero Regiis, nonnullæ ſpeciali jure ad Capellanum Majorem ſpectant. Hujuſmodi eſt Barenſis Eccleſia S. Nicolai, quam circa undecimi ſæculi finem a nonnullis Barenſibus mercatoribus conſtructam, & Sancti Epiſcopi Reliquiis illuc advectis ditatam, ab Urbano II. & Patribus Melphitani Concilii conſecratam, a Paſchale I. & a Normannis Principibus pluribus privilegiis auctam, Carolus II. Andegavenſis uberioribus cumulavit beneficiis, Capellæ Regiæ dignitate decoravit, Canonicorum itidem Collegio, quorum unum ſe ſe, ſuoſque ſucceſſores eſſe voluit, ob ſummam ejus erga Beatum Epiſcopum pietatem, quod maritimo prælio victus, & captus ad illius opem confugiſſet. Inſigni huic Eccleſiæ, & ejus Clero præeſt Antiſtes, Prioris nomine (is nunc eſt genere, & virtute eximius Nicolaus Caracciolo ex Ducibus S. Viti, olim Archiepiſcopus Hydruntinus) a cujus foro datur provocatio ad Majorem Capellanum. Is proinde Judicem agit illius Cleri in gradu appellationis. Verum id munus conſuevit ei committi Regiis Litteris, vulgo *Diſpaccio*; uti die 1. Januarii 1745. Cœleſtino Galiano; eoque e vivis ſublato, Epiſcopus Puteolanus ſucceſſor meritiſſimus, eamdem habuit a Rege provinciam die 18. Auguſti 1753. Præter laudatam S. Nicolai Barenſis Eccleſiam, ſunt & aliæ quædam in Neapolitano Regno Eccleſiæ Regiæ, quarum Præſules juriſdictionem aliquam exercent; earumque Capellanus Major Judicem agit in gradu appellationis. Hujuſmodi ſunt Eccleſia Altamuræ, quæ ab Archipresbytero cum juriſdictione regitur; Eccleſia S. Petri ad Curtim Salerni ſita; Eccleſia S. Petri de Laureto; S. Egidii de Altavilla; & Eccleſia S. M. Catholicæ in Civitate Rhegii. Noviſſime addita eſt Eccleſia S. M. Balneariæ in ulteriori Calabria, cui Abbas, ſive Prior datus eſt; quam Regii juris declararunt.

XIII. Confratrias, quæ pietatis, religioniſque cauſa in Civitate, & Regno plurimæ excitatæ ſunt, vel excitantur, ut firmæ, ratæque ſint, Regis auctoritatem, quam *aſſenſum* vocant, implorare neceſſe eſt. Hujus vero rei examen conſuevit Princeps Capellano Majori committere; cujus proinde muneris eſt, illarum Regulas, & Statuta ad examen vocare; ſi quid in iis delendum eſt, corrigere; ſi quid addendum eſt, imperare; tum Regem totius rei geſtæ certiorem facere; a quo Regium Placitum nonniſi cum clauſulis, & conditionibus a Capellano Majore appoſitis, concedi conſuevit. Imo in Regio aſſenſus Diplomate ſingillatim inſeruntur, quæ addenda, vel reſtringenda in illis Statutis, Capellanus Major decreverit. Cumque hujuſmodi Confratriæ fere omnes ex laicis coaleſcant, hinc nonnulla eorum negotia, ut plurimum Capellanis Majoris judicio ſunt definienda. Proinde quæſtiones de præcedendi jure in publicis ſupplicationum proceſſionibus ad Capellanum Majorem definiendæ re-

 mit-

mittuntur, iſque ſolet potiorem locum iis concedere, qui prius Regium aſſenſum obtinuerint. Quamobrem ſolet Capellanus Major vel per ſe, vel per aliquem ex Regiis Capellanis ab ipſo delegatum, una cum Neapolitani Populi Tribuno adeſſe prope januam majorem Cathedralis Eccleſiæ Neapolitanæ, dum omnes Civitatis Confratriæ inde ad publicas ſupplicationes in feſtivitatibus Corporis Chriſti Domini, & S. Januarii procedunt, a Cancellario ipſius Curiæ ſingulatim ordine vocatæ.

XIV. Preterea in aliis quibuſdam eccleſiaſticis negotiis, quæ ad Principem deferuntur ab iis, qui ejus opem, & protectionem implorant, conſueverunt olim Proreges, nunc vero Reges, Majoris Capellani ſententiam, ſuffragiumque expetere. Ut enim ſtatutum eſt antiquis noſtris legibus a Roberto Rege editis, quæ dicuntur Capitula, atque inſcribuntur: *Ad Regale faſtigium: Conſervatorium pro laico contra Clericum: Conſervatorium pro Clerico contra Clericum: De ſpoliatis pro laico contra Clericum:* Neapolitani Principes protectionem ſuam impendunt Clericis, laicisque, ad eos confugientibus, ne ſuis juribus deturbentur. Hujuſmodi negotia ad Principem delata, olim ſub Aragoniis Regibus, a ſupremo Principis Senatu, ſeu Conſilio S. Claræ remittebantur ad Magnam Curiam Vicariam, cum hac clauſula, *ſervata forma Capitulorum Regni*. Sed imperantibus Auſtriacis remitti conſueverunt ad Magnum Capellanum, uti conſtat plurimis exemplis tom. 13. MSS. Chioccarelli relatis, cum ea pariter formula, *ut provideat ſervata forma Capitulorum Regni*. Idque æquiore, & ſaniore conſilio; cum ad negotia eccleſiaſtica, & ubi de eccleſiaſticis perſonis agitur, Eccleſiaſtici viri ſententiam, judiciumque intervenire, magis eſt juſtitiæ, & religioni conſonum. Sicuti enim neque decet, nec æquum eſt, ut Eccleſiaſticus Judex de re militari, aut feudali, jus reddat, vel ſuam dicat ſententiam; ita nec laicum Judicem de eccleſiaſticis negotiis judicium ferre. Et olim quidem ſub Aragoniis, plures in S.Claræ Conſilio ſedebant Conſiliarii ex Epiſcoporum, vel Clericorum numero; ſicuti antiquioribus noſtris Regibus plures adhærebant Clerici, vel Epiſcopi, qui eorum Conſiliarios agebant, ſicuti alibi adnotavimus; proinde nil mirum ſi hujuſmodi negotia a Conſilio Principis definiebantur. Et quandoque Capellanus Major nedum *Conſiliarii* officio functus legitur; ſed etiam ſub Proregibus *Regentis Collateralis Conſilii.* Sed cum progreſſu temporis mos ille defierit, & Conſilium Regis ex ſolis laicis coaluerit, ſapientiſſime factum eſt, ut eccleſiaſtica negotia ad Principem delata, hujus nomine a Capellano Majore tractarentur. Et jam alibi pag. 57. dictum fuit, præcipuum munus Archicapellani Regum Galliæ fuiſſe, ut de eccleſiaſticis negotiis delatis ad Principem ageret, at ſententiam diceret. Hinc in Regno Siciliæ ultra Pharum eccleſiaſticis negotiis nomine Regis expediendis præeſt Judex Regiæ Monarchiæ, qui e Clericorum numero eſſe debet, & ſæpè etiam fulget Epiſcopali dignitate. Is nunc eſt ſpectatiſſimi moris, meritique Præſul Hieronymus Palermo, olim Teatinus, & Epiſcopus Mazarienſis. Hinc etiam recenti jure Concordati, ad eccleſiaſtica quædam negotia pertractanda Tribunal mixtum, in quo nonnulli ſedent e Clericorum numero, excitatum eſt; tum ſecreto quodam articulo ſancitum, ut ſi quid ad Regem contra Eccleſiaſticas perſonas deferretur, illius Magiſtratus ſuffragio examinandum eſſet. Nec omittendum eſt, Capellanum Majorem ſepè huic Tribunali præeſſe. Ita in ejus origine

ne, inito Concordato, primus ei Præſes datus eſt Galianus Capellanus Major, ex tribus Eccleſiaſticis viris a Rege exhibitis, quorum unum Pontifex eligit. Galiano defuncto ſucceſſit in eodem loco, eodemque modo Nicolaus Roſa Epiſcopus Puteolanus, & Capellanus Major. Ex dictis vero patet, quam merito in negotiis eccleſiaſticis ad Regem delatis interveniant Capellani Majoris auctoritas, & ſuffragium.

XV. Ad haſce partes adimplendas ſui præſtantiſſimi officii, eas præſertim, quæ judiciarium expetunt ordinem, Juriſque peritiam, habet Capellanus Major ſuum Forum, ſuum Vicarium in ſpiritualibus, Cancellarium, & quoad forenſia negotia miniſtros ad jus dicendum requiſitos, Conſultorem nempe, unum e Conſiliariis Sacri Regii Conſilii, quem Rex eligit e tribus a Capellano Majore nominatis. Et olim quidem Capellanus Major in forenſibus negotiis expediendis ſuffragium alicujus Juris periti expetebat, qui cum aliquando inter Regios Conſiliarios numeraretur, non poterat eo officio fungi ſine Proregis conſenſu. Invaluit deinde ut is, cui res omnes judiciariæ definiendæ committuntur, nonniſi auctoritate, & conſenſu Principis conſtitueretur. Itaque quemadmodum Epiſcopale forum Vicarius generalis, vel Aſſeſſor, Doctor utriuſque Juris moderatur; ita Curia Capellani Majoris regitur ab ejus Conſultore. Is audit partes conluctantes, ordinat omnes juſtitiæ actus, relationes efformat, decreta conficit, quibus Capellanus Major ſubſcribit. Et quod ſubſcribere teneatur etiam in caſu, quo ipſe contrariæ a ſuo Conſultore adhæreat ſententiæ, aſſerunt nonnulli, & ita deciſum fuiſſe a Collaterali Conſilio refert Petra *in Rit. 295. n.240.* Verum Regiis Litteris vulgo *Diſpaccio* die 31. Julii anno 1744. declaratum fuit, poſſe Capellanum Majorem ſubſcriptionem ſuam Relationi ſui Conſultoris denegare, aliamque Relationem nomine ſolum ſuo ad Regem tranſmittere: *Enterrada S.M. de quando rappreſenta la Real Camera de S.Clara, en ſu Conſulta de 30. del Meſe paſado acerca de la diverſidad de parecer occurrida entre el Pro-Capellan Major, y el Conſultor Conſejero D. Ferdinando Porcinara toccante a la ſpedicion del Regio Exequatur al Breve Pontificio de los cien mil ducados, que por los Eccleſiaſticos de eſt Reyno deve pagarſe: Ha reſuelto, que (paraque no quedan prejudicadas las razones del Capellan Major) ſi en adelande ſobravienere otra diverſidad des pareceres entre de lo dicho Capellan Major, y el riferido Conſultor, ſe obſerve, que cadauno haga relacion a parte ſinque el uno eſt obligato a firmar la dell' otro, haſta tanto, que bien informada S. M. de las razones, de una, y de otra parte, pueda reſolver, y ordenar lo que en buena conſcientia doverà hacerſe, y que al miſmo tiempo ſea conveniente a ſuo Real ſervicio. Palac. 31. Jul. 1744.* Quamvis huic edendo Regio Diplomati occaſionem præbuerit ſententiæ diverſitas inter Capellanum Majorem, Conſultoremque in concedendo Placito Regio; attamen ex ipſis verbis Regiæ Legis perſpicuum eſt, eam complecti, ac extendi ad omnia alia negotia, in quibus Capellanus Major diverſimode ſentiat a ſuo Conſultore. Ait enim Rex ſe id decreviſſe, *ne deturbentur jura Capellani Majoris:* quia ſcilicet ad hunc primario ſpectat ſententiam pronuntiare de iis rebus, quibus expediendis ipſe imminet. At ſi vel invitus teneretur ſui Conſultoris opinionem ſequi, eo jure deſtitueretur, quod omne ſolius eſſet Conſultoris. Certum tamen eſt, & ex dictis conſtat, Principes nonniſi ſuis Magnis Ca-

R 2 pel-

Pellanis, ob eorum dignitatem, pietatem, religionemque, quædam negotia eccleſiaſtica commiſiſſe; qui ſi ut juſtitiæ, & veritati rectius deſervirent, uſi ſunt aliorum coſilio; non inde tamen fit, ut ſui ſerendi ſuffragii, ipſi excidant poteſtate. Certum quoque eſt, ex prima inſtitutione, & ex ipſo nomine *Conſultoris*, huic nonniſi *conſulendi* munus commiſſum fuiſſe; perſonæ vero, & officio Capellani Majoris auctoritatem decernendi. Hinc decreta omnia, & relationes omnes non a ſolo Conſultore ſubſcribuntur, ſed a Capellano Majore. At Vicarius generalis, ſeu Aſſeſſor Epiſcopi, & quiſque alicujus Tribunalis Officialis, qui definiendi habet inditam poteſtatem, ſolus ſuis decretis ſubſcribit. Quapropter ſcitiſſime laudatis Regiis Litteris dictum fuit *deturbari jura Capellani Majoris*, quod idem eſt, ac everti ejus Officium, ſi in ſui Conſultoris ſententiam ire cogeretur. Tum generali lege, ſine ulla exceptione ſtatutum a Rege fuit, *ut quoties caſus occurreret diverſitatis ſententiæ inter utrumque, ne alter cogatur alterius decreto adhærere, quiſque ſuam Relationem ad Regem tranſmittat*. Verba hæc generalia ſunt, & nulla limitatione coerceri poſſunt ad ſolum caſum concedendi nec ne Placiti Regii; quamvis ea occaſione lex edita fuerit; ſed omnem complectuntur caſum, in quo Capellanus Major diverſæ a ſuo Conſultore eſſet ſententiæ. Ratio hujus ſapientiſſimæ Regiæ declarationis graviſſima eſt, neminem ſcilicet cogi poſſe, & debere mentiri, ſeu contra mentem ire, vel contra propriam conſcientiam agere. At ſi Capellanus Major cogeretur ſubſcriptione ſua probare eam ſui Conſultoris ſententiam, quam ipſe falſam, erroneam, injuſtam, vel iniquam judicat, ipſe contra ſuam mentem iret, & contra ſuam conſcientiam ageret: nam id probaret, vel decerneret, vel conſuleret, quod neque probandum, neque decernendum, nec conſulendum exiſtimat. Quod ſi quandoque a Collaterali Concilio contrarium deciſum refert Petra; id ſcilicet in aliquo caſu particulari locum habuit, cum nulla juſta cauſa, vel gravis ratio aderat Capellano Majori, ut ab æqua ſui Conſultoris ſententia diſcederet, & diſſentiret.

XVI. A decretis Curiæ Capellani Majoris ad Regem immediate appellatur. Eſt enim ſupremum, & diſtinctum Tribunal, cui nullum aliud imminet. Itaque mandato Regis Judex alius conſtituitur, qui latum a Conſultore decretum ad novum examen revocet, ac in gradu appellationis ſententiam proferat; ſique hujus ſuffragium ſit a primo diverſum, tertius datur a Rege Judex, plerumque Realis Camera, ut rurſus Cauſa judicio ſubjiciatur, donec duo decreta conſona rem conficiant judicatam. Hæc praxis quoad cauſas eccleſiaſticas Capellanorum, Clericorum, & aliorum, qui ad Capellani Majoris juriſdictionem ſpectant, innititur etiam laudata Benedicti XIV. Conſtitutione; ibi enim n. 2. poſtquam Pontifex facultatem dederit Capellano Majori examinandi & definiendi illorum Cauſas *tam civiles*, *quam criminales*, *ſeu mixtas*, *atque etiam Beneficiales*, exceptis cauſis hæreſis, aliiſque Summo Pontifici reſervatis, *tam in prima*, *quam in ſecunda*, *& tertia inſtantia*, addit: *ita tamen ut a dicto Carolo Rege*, *ejuſque in Regno ſucceſſoribus, loco Ordinarii Aſſeſſoris, alii novi Conſultores tam in ſecunda*, *quam in tertia inſtantia*, *ſinguli in ſingulis*, *eo modo*, *qui nunc ſervari ſolet*, *niſi gravitas cauſæ plures in qualibet inſtantia eligendos exigat*, *deſtinentur*. Is vero appellationis Judex a Rege conſtitutus, etiamſi plures ſimul eſſent in Collegium conjuncti,

ꝺi, uti Realis Camera S. Claræ, tamen in cognoſcendis, definiendiſque cauſis Curiæ Capellani Majoris, ipſam exhibent, ſeu repræſentant Curiam, hujuſque nomine agunt; & proinde Cancellario, Magiſtro actorum, cæteriſque hujus Curiæ Officialibus utuntur. Id enim pluries a Rege, dato Diplomate, ſtatutum eſt. Ita in Cauſa S.M. Balneariæ die 22. Julii 1757. *Aviendo reſuelto el Rey, que el decreto hecho en tercera inſtancia por la Real Camera de S. Clara en la cauſa ſobre el Real Patronato de Bagnara le haga la miſma Real Camera publicar luogo por medio no ya de uno de ſus Aſtitantes, ſi no de los Subalternos de la Curia del Capellan Major come ſimpre ſi è praticado*. Rurſus Regiis Litteris die 5. Januarii 1765. *Per Regal ordine, e per intelligenza della Real Camera di S. Chriara partecipo a V. S. d'avere S. M. deſtinato eſſa Real Camera per Giudice di terza inſtanza, ed appellazione prodotta da' Monaci Ciſtercienſi di Real Valle nella Cauſa, che tengono nella Curia del Capellan Maggiore col R. Abbate Canonico di Andrea, ben inteſo però, che la Real Camera debba fare attitare nel terzo Giudizio per mezzo de' Subalterni della ſteſſa Curia del Capellan Maggiore*. Pariter cum cauſa quædam Juris Patronatus Regii in Diœceſi Beneventana ad Realem Cameram in gradu appellationis remiſſa fuerit his Regiis Litteris die 22. Novembris 1766. *Eſſendoſi propoſta al Re la Conſulta della Camera di S. Chiara ſul ricorſo dell' Arciveſcovo di Benevento per la nuova udienza dimandata nella cauſa della Collegiata di S. Giovanni di Monteſuſco con que' Canonici, S. M. ſi è uniformata alla detta Conſulta de 25. del paſſato Agoſto, e vuole, che reſtando fermi li Conſervatorii Regii ſpediti a favor de' proviſti, e'l legitimo poſſeſſo in cui ſi trovano abbia la ſuddetta cauſa a trattarſi, e rivederſi nella Real Camera inteſo l'Arciveſcovo di Benevento, l'Avocato Fiſcale del Real Patrimonio & i Canonici della ſuddetta Chieſa*: cautum deinde fuit aliis Litteris Regiis die 2. Maii 1767. ut Realis Camera iiſdem uteretur Officialibus Curiæ Capellani Majoris: *In occaſione d' aver S. M. commeſſa alla Real Camera la reviſione de' decreti proferiti dalla Curia del Capellan Maggiore in prima, e ſeconda inſtanza per la cauſa del Real Patronato di S. Giovanni di Monteſuſco la Curia ſuddetta ha rappreſentato alla M. S. che uno de' Scrivani di mandamento ſia andato a chieder l' atti, ed i proceſſi concernente tal cauſa, che nella Curia eſiſtono, e gl' ha umiliati li motivi per li quali crede, che la Cauſa ſuddetta debaſi continuare ad attitare dal Cancelliero della ſua Curia come in varii altri rincontri s' è pratticato per eſſer la Curia del Capellan Maggiore un Tribunale ſupremo, e non ſubordinato, che all' immediata Sovrana determinazione. E ritrovando il Re ſoſſiſtenza ne' motivi rapportati dalla Curia, mi ha comandato dire alle Signorie voſtre Illuſtriſſime, che nella reviſione della cauſa ſopradetta la Real Camera ſi avvalga di Subalterno della Curia del Capellan Maggiore*. Quod ſæpiſſime Realis Camera Judex a Rege conſtituatur in gradu appellationis a decretis Curiæ Capellani Majoris, id ſapientiſſime fit; ne cauſæ graviſſimæ unius, vel alterius Judicis decreto abſolvantur; quas æquum, rectumque eſt, plurimum Judicum, eorumque, qui dignitate, auctoritate, doctrina, prima obtinent ſubſellia, ſuffragiis definiantur. Idque preſertim locum habere debet, cum de re agitur, in qua ſingularis Judex facile poſſet Fiſco potius, quam juſtitiæ, & veritati deſervire.

CA-

CAPUT VII.

DE LITURGIA PALATINA.

De Liturgia in Oratorio Palatino Imperatorum Orientis. II. *Ordo Divinorum Officiorum.* III. *Et agendæ Liturgiæ.* IV. *Et celebrandæ Magnæ Hebdomadæ.* V. *Et curandi ſtrumas in Capella Regis Chriſtianiſſimi.* VI. *Ordo agendi Divina Officia in Capella Regis Catholici.* VII. *Et Sacrum ſolemne celebrandi.* VIII. *Ritus, qui ibi obſervantur in Magna Hebdomada.* IX. *Ac in aliis quibuſdam feſtis.* X. *Ordo ſacrarum rerum in Capella Regis Luſitaniæ.* XI. *Et ſacrum ſolemniter faciendi.* XII. *Quonam ritu alii feſti dies inibi colerentur.* XIII. *Ordo Liturgiæ in Aula Luſitana, qui nunc temporis obtinet.* XIV. *Et de feſtis diebus, qui ibi celebrantur.* XV. *Ordo Liturgiæ in Capella Regis Sardiniæ.* XVI. *Normanni Reges Siciliæ, quam fuerint Divinis Officiis addicti.* XVII. *De ritu acclamationum Regi, deque Collecta pro Rege in Liturgia.* XVIII. *De ſacris ſolemniis ſub aliis Siciliæ Regibus.* XIX. *De permiſſu agendi opera ſervilia in nonnullis diebus feſtis.* XX. *Ordo ſolemnis Liturgiæ in Sicilia, præſente Prorege.* XXI. *Neapolitani Reges Andegavenſes, quam ſtuduerint celebrandis Officiis Divinis.* XXII. *Itidem Reges ex Aragonia familia.* XXIII. *Quo ritu ageretur ſolemnis Liturgia in Capella Palatina, regnantibus Aragoniis.* XXIV. *Et quinam fuerit ordo ſedendi, ac decantandi ſolemniter Veſperas.* XXV. *Rurſus is Ordo explicatur.* XXVI. *Proregum tempore, quinam mores viguerint.* XXVII. *Ritus, qui modo obſervantur in Capella Palatina.* XXVIII. *De Regia menſa in magnis ſolemnibus.* XXIX. *De benedictione Regiæ menſæ.* XXX. *Cæremoniæ olim uſitatæ in menſa Regum Neapolitanorum.*

Capellæ Palatinæ Summorum Principum publicis Eccleſiis æquiparantur, ubi Divina Officia omnia, ſolemni ritu peraguntur a Clericis pluribus illarum obſequio addictis, quibus ſæpe Reges adeſſe ſolent, non privatim tantummodo, ſed Regia plane pompa, tuncque ſacrum ipſum miniſterium, vulgo dici ſolet, *Cappella Reale*. Id quidem jam diu in more fuit apud Imperatores Orientis, utpote qui inſigniores anni feſtivitates Paſcha, Magnam Hebdomadam, Nativitatem Domini, Feſtum Spiritus Sancti, Exaltationem Sanctæ Crucis, in Oratorio Palatino celebrarunt ſolemni pompa, ac ſplendido apparatu, uti refert Codinus in libro de Officiis Aulæ, & Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ. His diebus Imperator accedebat ad Eccleſiam Palatinam, Imperialibus indutus ornamentis, ferens dextra manu Crucem, ſiniſtra lampadem: præibant Lampadarius præferens accen-

accenſam lampadem, ut mos fuit Græcis Imperatoribus; nonnullique Proceres Aulæ ferentes duodecim flammula, ſeu vexilla, in quibus expreſſæ erant imagines Crucis, quorumdam Sanctorum Pontificum, aut Martyrum. Imperatorem comitabantur Magnates Aulæ, & Imperii, quorum quilibet ſui Ordinis gerebat indumenta. Sed in feſto Palmarum parabatur ambulacrum ab Imperatorio cubiculo uſque ad Oratorium floribus, ramiſque ſtratum. Deſpotæ ſua etiam habebant vexilla, ſuas itidem lampades. Ingrediente Imperatore Eccleſiam Palatinam, Cantores, Lectoreſque acclamabant: *Diuturnum faciat Deus imperium tuum*; & hujuſmodi acclamationes frequentiſſimæ erant in ipſa Liturgiæ celebratione. Tum Imperator oſculabatur Imagines, vel Crucem, aut Evangelium; atque Solio inſidebat, in ædicula extra cancellos Bematis, quæ dicebatur Solea, eique adhærebat Magnus Domeſticus tenens manu enſem Imperatorium. Proceres vero adſtabant, ſervato ordine ſuæ dignitatis, Imperatrix, & cœteræ Auguſtæ conſiſtebant in quibuſdam aulis, ſeu cubiculis medio in Templo poſitis, quæ dicebantur ſedes Imperatricis, uti legitur apud Cangium lib. 3. Conſtantinopolis Chriſtianæ. Sacris operabatur Patriarcha, aut Protopapa Palatii. In Paſchate, decantatis Matutinis, & inchoata Liturgia, ante Apoſtoli lectionem accedebant ad Imperatorem Solio inſidentem Proceres cuncti, & illius oſculabantur pedem, manum, & genam. Feria quinta Magnæ Hebdomadæ Patriarcha, Epiſcopi, cæterique Præſules adibant Palatium ad ſalutandum Imperatorem in ſella Regia confidentem; quem Patriarcha thure adolebat, tum oſculabatur; cæteri vero Præſules oſculabantur Imperatoris manum, & genam. Eadem feria quinta, hoc ritu agebatur ab Imperatore lotio pedum, quem ita deſcribit Codinus cap. 12. *Conſtituunt duodecim pauperes, eoſque ſubuculis, ſive tunicis, curtis braccis, ſeu caligis, & calceis veſtiunt; & poſita pelui in Imperatoris conclavi, Protopapa ad januam conſiſtens, recitat illud:* Benedictus Deus noſter, *cum Triſagio. Deinde lecto per illum Evangelio, quando proceſſit uſque ad illa verba:* Mittit aquam in peluim. *Poſtea adducunt jam antea præparatos pauperes ſigillatim quemlibet, quorum quivis manu cereum ardentem geſtat; & hoc quidem ſedente, Protopapa autem Evangelium legente, illudque pronuntiante:* Cœpit lavare pedes diſcipulorum; *idque ſæpius, donec ſcilicet omnium pedes abluuntur; lavat Imperator dextrum cujuſque pedem, lotumque ſindone, qua præcinctus eſt, abſtergit, & oſculatur. Quo peracto, terminatur officium lotionis. Dantur autem cuilibet pauperi tria aurea numiſmata: poſtmodum inchoatur Liturgia, ſeu Miſſa.* In magno Sabbato poſt Apoſtoli lectionem tres e Lectorum Ordine efferentes ex Eccleſia lauros, eas ſpargebant ante Imperatorem. In Paſchatis officio accipiebat Imperator a Protopapa lampadem, dum legebatur Evangelium, Proceres vero a cæteris miniſtris cereos; ſed circa veſperam adibat Eccleſiam S. Sophiæ ad audiendos Veſpertinos Hymnos, ubi ipſe & ſinguli Proceres thure colebantur a Patriarcha. Addit Codinus, olim morem viguiſſe, ut in his Veſperis ingrederetur Imperator Sanctuarium, & ſanctam Menſam thure adoleret, tum etiam Clericis dono daret centum libras auri. Præter has ſolemnitates memorat Codinus cap. 9. Feſtum adorationis Crucis, quod Dominica quadam ad id deſignata in Palatio celebrabatur. Eo die Archidiaconus cum Cantoribus afferebat Crucem ex Eccleſia Palatina; cui Imperator, circumſtante

Au-

Digitized by Google

Aulico comitatu, obviam ibat uſque ad januam, eamque ſemel, atque iterum adorabat, & oſculabatur. Memorat etiam cap. 19. benedictionem quamdam ſingulis menſibus in Palatio faciendam, hoc ritu. Decantato Matutino, & Officio benedictionis, Protopapa accedebat ad Imperatorem medius inter Archidiaconum ferentem Crucem, & Protopſaltem ferentem urceolum, ubi ſanctificationis materia continebatur. His obviam ibat Imperator; tunc Protopapa acceptam ab Archidiacono Crucem imponebat fronti Imperatoris cum precibus, iſque Crucem oſculabatur, acclamantibus omnibus: *Ad multos annos*. His peractis, ſi quod in promptu erat Reſcriptum a Principe ſubſignandum in alicujus gratiam, ſignabatur, omnibus pariter accinentibus: *Ad multos annos*. Fuit & alia inſignis cæremonia Aulæ Conſtantinopolitanæ, quum ſingulis annis, deſinente Quadrageſima, ad Aulam deferebatur e Monaſterio, ubi aſſervabatur, celeberrima apud Græcos Imago SS. Virginis Victoriæ, ſeu Hodegetriæ; quam ſumma religione Greci coluerunt, atque in bellicis expeditionibus deferre conſueverunt. Atque hæc feſta in Palatio agebantur, ut tradit Codinus, qui cap. 15. alia quædam recenſet, quæ extra Palatium celebrabat Imperator, ſive in Eccleſia S. Sophiæ, ſive in aliis Eccleſiis, ad quas accedebat aut ad Veſpertinum Officium, aut ad Liturgiam; præeuntibus nonnullis Imperatoriis miniſtris cum lampade, & vexillo Imperatorio, qui ibi Principem expectabant, uſque ad Rei Divinæ finem. Et hinc patet, antiquum, uſitatumque eſſe morem, ut in magnis ſolemniis Principes Regia pompa adſint Rei Divinæ, quæ celebratur, miniſtrantibus Clericis ſuis in Eccleſia Palatina.

II. Olim Francorum Reges conſueviſſe in Aula ſua inſigniores ſolemnitates ſingulari cultu, & apparatu celebrare, non obſcure colligitur ex antiquis Scriptoribus, qui adnotare ſolent loca, ubi Reges Paſcha, vel Natale Domini celebrarunt, hac phraſi, *Tenuit Rex Natale*, qua indicatur, peculiari quadam ratione, hæc ſolemnia in Aula Regum peracta fuiſſe. Quibus vero ritibus Liturgia Palatina olim abſolveretur minime conſtat, uti obſervavit Peiratius lib. 2. cap. 37. & ſequentibus; neque enim aliud e veterum monumentis colligitur, niſi quod hiſce feſtis diebus Principes Regalia induebant ornamenta, ſplendidis epulis Aulicos excipiebant, donis, ac beneficiis quoſdam cumulabant, Comitia, ſive Placita generalia agebant. Quod etiam Angliæ Regibus uſitatum fuit; ſiquidem Anglicanarum rerum Scriptores frequentiſſime innuunt habita Placita generalia a Regibus in magnis ſolemniis. Neque ſilentio prætereundum eſt, olim Epiſcopos Galliæ, inſtante Natalis Domini feſto, conſueviſſe munuſcula quædam ad Regem tranſmittere, eumdemque per epiſtolas ſciſcitari, an bene valeret, ut pro illius valetudine preces apud Deum funderent, quarum litterarum formula exſtat apud Marculphum lib. 2. cap. 44. & 45. In celebrandis vero Divinis Officiis tradit Peiratius lib. 2. cap. 10. ſervatum fuiſſe in Capella Palatina Regum Galliæ, primò ritum Gallicanum, tum ſub Carolo M., & ejus ſtirpe ritum Romanum; at imperantibus Regibus tertiæ ſtirpis ritum Eccleſiæ Pariſienſis; & hinc Guillelmus Carnotenſis refert, S. Ludovicum Regem celebraſſe Divina Officia *ſecundum morem Pariſienſis Eccleſiæ*; hinc etiam Bullæ Clementis VI. a Tilletio relatæ permittunt Capellanis Regiis ritum Pariſienſem; huncque viguiſſe uſque ad Carolum IX. & Henricum III. quo temporis Romanus ritus in Capella Regum Galliæ obtinuit.

In

In ea Capella is eſt ordo agendi ſolemnia, & Liturgiam, quem ex Dumontio, & Rouſſetio libr. 3. cap. 1. §. 6. Ceremonialis Galliæ, & ex Peiratio toto libro ſecundo de Oratorio Regis Galliæ, aliiſque deſumpſimus. In magnis ſolemniis quandoque Epiſcopus aliquis, quandoque aliquis Capellanus Regis Rem Divinam facit in Capella Regis. Nam in feſtis Pentecoſtes, Circumciſionis, & Purificationis, Sacrum facit Epiſcopus aliquis, qui ampliſſimæ Societati Equeſtri Spiritus Sancti ſit adſcriptus. In Paſchate, Natali Domini, Feſto omnium Sanctorum, pariter Antiſtes aliquis operatur Sacris, tum ad Miſſam, tum ad Veſperas, quæ iis diebus ſolemniter a Muſicis Capellæ Regiæ decantantur. At in aliis feſtivis diebus, ut in Aſcenſione Domini, Aſſumptione Deiparæ Virginis, Dominica Palmarum, Feria quinta Cœnæ Domini, Paraſceve, Sabbato Sancto, aliiſque feſtis, quibus Rex ſolemni Liturgiæ adeſſe vellet, Sacrum facit aliquis e Capellanis Regis. Is etiam agit ſacrum miniſterium in Veſperis: quæ olim decantabantur in Capella Palatina ſingulis Dominicis, & feſtis diebus; ſed juſſu Regis anno *1669.* ſtatutum eſt, ut nonniſi in recenſitis ſolemnitatibus decantarentur. Pariter a Capellano aliquo Regis, cerei in die Purificationis, & rami olivarum in Dominica Palmarum benedicuntur; & Regi traduntur a Magno Eleemoſynario, qui etiam initio Quadrageſimæ, cinere adſpergit Regium caput. Ad Capellanum quoque Regis ſpectat ſingulis diebus Sacrum facere coram Rege, & dum Miſſa celebratur, decantari ſolet a Muſicis Palatinis aliquod Reſponſorium. In Capella Palatina Capellani Regis dextram occupant; Epiſcopi, Abbates, Capellani Reginæ, & Delphini ſiniſtram: prope Regem adeſt Magnus Eleemoſynarius, huic adhæret Primus Eleemoſynarius; ex altera vero parte adeſt prope Regem ejus Confeſſarius. Locum inter Altare, & Regem occupant Eleemoſynarii Regis Rocchetto, & Mantelletta induti; poſt hos conſiſtunt Capellani, Clericique Capellæ Regiæ.

III. Quum vero Rex Chriſtianiſſimus ſolemni Liturgiæ adeſt, pergit ad Palatinam Eccleſiam, præeuntibus militibus prætorianis, ſonitu tympanorum, ac tibiarum, & iis, qui Regis ſunt a cubiculo; ſequentibus vero Magatibus Aulæ, & Sociis Equeſtris Confratriæ Spiritus Sancti: tum, ſi Euchariſtico pane reficiendus eſt, ingreditur Oratorium, ubi Regem expectat Confeſſarius, cui peccata ſua confitetur. Interea ſilent bellica inſtrumenta, atque ſex milites agendis apud Regem excubiis deſtinati, cum eorum Duce conſiſtunt ad Oratorii fores. Sacra Confeſſione expleta, redit ad Eccleſiam, ibique ſub umbrella, ſeu baldachino conſiſtit, ſuppoſito genibus pulvinari. Tum Epiſcopus, qui Sacris eſt operaturus, ſalutato Rege, eumdem adſpergit aqua benedicta, & Sacrum inchoat: quo incipiente, Rex Eleemoſynario, qui ei proximus eſt, ſervandas tradit chirothecas, pileumque; ac a Magno Eleemoſynario, vel primo Eleemoſynario accipit libellum precum, vel Divini Curſus. Decantato Evangelio, Diaconus Sacrum Codicem porrigit Magno Eleemoſynario, qui illum præbet Regi deoſculandum, his verbis: *Hæc ſunt verba ſancta*, quibus Rex: *Credo, & Confiteor*. Quandoque tamen honoris cauſa alicui Epiſcopo, ex iis, qui adſunt, traditur Evangeliorum liber, ut ad Regem deferatur. Ad Offertorium fit a Rege Oblatio. Et olim quidem, ut refert Peiratius lib. 2. cap. 45. quotidie, ac bis in Miſſa Rex offerebat, nempe ad Offertorium, & ad finem Liturgiæ: utraque tamen

Oblatio exigui fuit valoris, & nonniſi ſub Ludovico VIII, & Ludovico XI. aucta eſt ad aureos duos. At uberiores erant Oblationes in Paraſceve Domini ad adorationem Crucis, & in aliis ſolemnitatibus, præſertim Epiphania, quo die Reges conſueverunt offerre aurum, thus, & myrrham. Hæ Oblationes olim concedebantur Capellanis Regiis; ſed jubente Henrico II. anno 1548. conceſſæ fuerunt Parochis locorum, ubi Rex degebat: & hinc mos invaluit, ut ubicumque Regium fuerit domicilium, Parochus illius loci, ſingulis diebus nummum aureum accipiat nomine quotidianæ Regiæ Oblationis. Nunc vero temporis, una tantum in Miſſa fit a Rege Oblatio unius nummi, ſequenti ritu. E Clericis Regiæ Capellæ unus porrigit primo ex Principibus Regiæ ſtirpis, vel alicui Magnati ex illorum numero, quos vocant Officiales Coronæ, nummum offerendum: interea ab aliquo Eleemoſynario Regis apponitur pulvinar ad infimum Altaris gradum, ac prope ipſe ſiſtit flexis genibus, ex altera vero parte ſiſtit Magnus Eleemoſynarius flexus & ipſe genibus, tenens argenteam concham. Tum Rex ad Altare accedit, eumque ſequuntur duo prætoriani milites cum eorum Duce, procumbit in genua, nummum accipit a Principe Regiæ ſtirpis, atque in concham injicit; deinde Patenam oſculatur, & ſalutato Altari, redit ad locum unde diſceſſerat. Ad elevationem ſanctæ Hoſtiæ, Cantores Palatini decantant hos verſiculos: *O ſalutaris Hoſtia: Quæ cæli pandis oſtium: Bella premunt hoſtilia: Da robur, ſerva lilium*. Hujus moris initia repetit Peiratius lib. 2. cap. 55. a Ludovici XII. ætate; quum anno 1512. plures Europæ Principes, initio fœdere, illi bellum indixere. Ea occaſione, Epiſcopi Gallicani pro Regis, Regnique incolumitate, preces illas effundendas decrevere; quod nedum in Regia Capella, ſed & in aliis quibuſdam Gallicanis Eccleſiis obſervatur. Cum ad pacis oſculum Sacerdos pervenit, Diaconus porrigit pacis inſtrumentum Magno Eleemoſynario, vel digniori Epiſcopo præſenti, a quo defertur ad Regem. Si a Rege ſumenda ſit ſacra Euchariſtia, id hoc ritu peragitur. Antequam Sacerdos conſecrandum panem offerat, Magnus Eleemoſynarius accipit a Clerico aliquo Capellæ Regiæ capſulam argenteam ſerico velo tectam, & in argentea concha poſitam, in qua capſula plures continentur Hoſtiæ, illarumque unam tradit eidem Clerico prægustandam, ut periculum faciat, Rege præſente. Deinde reliquæ Hoſtiæ exhibentur Regi, ut illarum unam ſeligat, quam ſerico velo involutam deferunt ad Antiſtitem Sacra facientem, conſecrandam pro communione Regis. Hauſto ab Antiſtite Chriſti Domini Sanguine, apponuntur prope Altare pulvinaria duo, ſcabellum, ubi Rex genua flectit, & mappa, quam manibus ſuffulciunt duo Principes Regiæ ſtirpis, vel in horum abſentia duo Proceres Regni, Magnus Eleemoſynarius, & Primus Eleemoſynarius. Tum Antiſtes Sacra faciens verſus ad Regem, eumdem paucis alloquitur ad rem, de qua agitur, & conſueto mox Eccleſiæ ritu, illi Euchariſtiam porrigit. Quo facto, Præfectus Domus Regiæ præbet eidem vinum hauriendum, ut facilius Euchariſtiam deglutiat, Olim uſque ad Henrici IV. tempora, Reges Galliæ utramque ſpeciem ſumebant; exinde mos invaluit, ut nonniſi in Coronatione ſua, communionem utriuſque ſpeciei perciperent. Præterea in Liturgia Capellæ Palatinæ Regum Galliæ ſervatur mos vetuſtiſſimus Eulogias, ſeu panem benedictum diſtribuendi. Nam Clericus aliquis Regiæ Capellæ exhibet Antiſtiti celebranti panes nonnullos in argen-

tea concha ab eodem benedicendos; tum iidem panes Magno Eleemoſynario traduntur, qui accepto ex iis uno, diſſectoque in partes duas, haſce prægustandas tradit Clerico, & Eleemoſynariorum uni ad periculum faciendum. Prægustatione facta, Magnus Eleemoſynarius defert Eulogias ad Regem, Reginam, Regiamque prolem, ab iis, quas velint, ſeligendas: cæteris vero Principibus Regiæ ſtirpis, & Aulæ Magnatibus inferior Eleemoſynarius Eulogias diſtribuit. Huic ritui ſimilis eſt alter, quo in Parochia Regii Palatii benedicuntur panes Regio ſtemmate diſtincti, qui ab Aula ad Eccleſiam magna pompa deferuntur, Rege adſtante Rei Divinæ ſub umbella, atque ad Offertorium cereum offerente. Panes illi benedicti dicuntur Eulogiæ Regis. Atque hi ſunt præcipui ritus in ſolemni Liturgia Capellæ Palatinæ Regum Galliæ.

IV. Ibi ſolet Rex Chriſtianiſſimus adeſſe Divinis Officiis in præcipuis ſolemnitatibus, præſertim vero in magna Hebdomada, & feria quinta Cœnæ Domini pauperum pedes abluere, hoc ordine. Die præcedenti, ab aliquo ex Eleemoſynariis Regis, & a Medico, Chirurgo, Tonſore Aulicis, tredecim ſeliguntur pauperes, quos nulla lue, nulloque ulcere infectos probaverint, eorumque nomina deſcribuntur. Hi ſequenti die ad Ædes Regias ducuntur, ubi lotis eorum pedibus, amputatis unguibus, ac capillis, tunicam induunt rubei coloris ad genua uſque demiſſam; tum ab eorum conſanguineis deducuntur ad Aulam quamdam Domus Regiæ, ubi ſacra cæremonia eſt peragenda. Ibi ſedent in ſcamno, e regione Antiſtitis, qui ſellæ inſidens brevem habet ad eos concionem, tum dicto Pſalmo *Miſerere*, eis abſolutionem impertit. Quo facto, ſingulis Rex Chriſtianiſſimus dextrum pedem abluit, & oſculatur; Magno Eleemoſynario pelvim, altero Eleemoſynario pedem pauperis fulcientibus. Lotione expleta, ibidem accumbunt menſæ; ſingulis tredecim fercula apponuntur, Rege eis miniſtrante, Regemque adjuvantibus Principibus Regiæ ſtirpis, aut Magnatibus Aulæ. Singulis etiam tredecim nummi a Rege donantur. His omnibus peractis, Rex una cum Aulico comitatu pergit ad Liturgiam audiendam in Capella Palatina; tum ferens accenſum cereum comitatur Sanctiſſimum Chriſti Corpus ad Monumentum. Eadem die, tredecim pauperum puellarum pedes a Regina abluuntur. In Paraſceve, Rex Sanctam Crucem adoraturus accedit poſt Sacerdotem, Diaconum, ac Subdiaconum, atque offert tredecim nummos; Euchariſtiam a Monumento ad Altare deferendam comitatur; & ſacro miniſterio peracto, accumbit menſæ, foliſque herbis, ac leguminibus veſcitur. Tum nonnullis alieno ære oppreſſis veniam facit, ſoluta pro eis pecunia; tandemque ad Matutinum Officium pergit. Pariter in Magno Sabbato, ac Paſchate, Divinis Officiis in Capella ſua intereſſe ſolet: quo die quandoque ſtrumoſis manus imponit, uti etiam in Pentecoſte, Feſto omium Sanctorum, & Natali Domini.

V. Nam Chriſtianiſſimi Galliæ Reges eam vim curandi ſtrumas divinitus accepere; quam quidem a Clodovæo Rege, qui primus Chriſtianæ Religioni nomen dedit, profluxiſſe nonnulli opinantur. Sed obſtat ſilentium veterum, præſertim Gregorii Turonenſis, qui nullos memorat Reges primæ, aut ſecundæ ſtirpis hac virtute præditos, quamvis horum facta accurate deſcribat. Obſtat etiam, quod illorum Regum plurimi, non unctione cæleſtis olei, ſed elevatione ſuper clypeo, ut olim moris erat, inaugurati fuerint Reges. Quin etiam leguntur

S 2 non-

nonnulli tertiæ ſtirpis Reges curaſſe ſtrumas, qui tamen Remenſi oleo e cœlo delapſo ad Clodovæum ungendum, minime perunċti fuere. Prima hujus moris veſtigia occurrunt in vita Roberti Regis, filii Hugonis Capeti, quem Helgaldus ſcribit impoſitione manuum infirmos curaſſe: & de S. Ludovico diſertius teſtantur Guillelmus Nangius, atque Gauffridus de Belloloco, illum ſigno Crucis ſtrumoſos ſanaſſe. Exinde Galliæ Reges ad hæc uſque tempora hunc morem ſervarunt, de quo plura tradunt Galli Scriptores. Itaque inſtantibus præcipuis anni feſtivitatibus, ſi Rex velit ſtrumoſis manum imponere, Magnus Eleemoſynarius eum conſcium facit quot, & qui curandi ſint: notumque fit univerſis, Regem, ſtatutis die, & loco, curaturum ſtrumoſos, quibus interea temporis eleemoſyna e Regio ærario conceditur. Stata die, primo Medici ac Chirurgi Aulæ diligenter explorant, an revera ſtrumis laborant, qui curandi ſunt; tum hi flexis genibus Regem expectant, qui ſingulis manum in fronte imponens, profert hæc verba: *Rex te tangit*, *Deus te ſanat*. Singulis deinde Magnus Eleemoſynarius nummum elargitur, inquiens: *Orate pro Rege*. Hanc ſtrumarum curationem ſibi quoque vindicant Angliæ Reges: de qua re Polydoris Virgilius lib. 4. Hiſt. Angl. ſcribit: *Eduardus I. Rex Anglorum, qui & ſanctus appellatur, ſolebat divinitus ſolo tactu ſanare ſtrumoſos, quod quidem immortale munus jure quaſi hæreditario ad Reges poſteriores manavit: nam Reges Angliæ etiam nunc tactu, ac quibuſdam hymnis, non ſine cæremoniis prius recitatis, ſtrumoſos ſanant*. Et Petrus Bleſenſis ep. 150. ad Clericos Aulæ Regiæ probat ex hac ipſa virtute ſanctitatem Regiæ Majeſtatis: *Sanctus, & Chriſtus Domini eſt, nec in vanum accepit unctionis ſacræ ſacramentum, cujus efficacia ſi neſcitur, aut in dubium venit, fidem ejus pleniſſimam faciat defectus inguinariæ peſtis, & curatio ſcrophularum*. Hinc nunc temporis Angliæ Reges Catholici e Stuarda familia, de Eccleſia, & Fide Catholica præclariſſime meriti, ſtatis quibuſdam diebus, poſt recitatum a Capellano ſuo Evangelium, & quaſdam preces, ſtrumoſis manum imponunt; uti a Jacobo III. Principe religioſiſſimo ſactum novimus. Hiſpanis vero Regibus cæleſtem vim ineſſe ſanandi vexatos Dæmone ſcribunt Borellus in libro de præſtantia Regis Catholici, aliique. Denique in Capella Regum Galliæ, abſoluta Liturgia, Epiſcopi recens promoti præſtant fidelitatis juramentum, de qua re alibi agendum erit.

VI. Hiſpaniæ Reges in magnis ſolemniis adeſſe ſolent Rei Divinæ in Capella ſua Palatina, ad quam ſe conferunt hoc ordine, uti apud Dumontium, & Roſſuetium in Cæremoniali Hiſpaniæ legitur. Præcedunt duo Officiales Aulæ, quos *Alcaldos* vocant, virgas manu ferentes, ſequuntur Adoleſcentes Aulici, Cubicularii, Præfecti Domus Regiæ, Magnates Hiſpaniæ, Rex, & Aſturicenſium Princeps: prope Regem Cardinales, ac Oratores Principum, poſt Regem Dux Prætorianorum militum. Ingredientem Regem Major Capellanus, aut Apocriſiarius Pontificius, vel aliquis Antiſtes adſpergit aqua benedicta. In Capella locus Regis eſt prope Altare a dextra illius parte, ſeu cornu Evangelii, ubi in tabernaculo quodam velis obducto, quæ dicuntur *Regiæ Cortinæ* conſiſtit; prope adeſt Præfectus Regiis Cortinis, cujus muneri incumbit vela obducere, atque referare. Olim in ſcamnulo prope Regem ſedebat Supremus Præfectus Domus Regiæ; ſed decreto Philippi V. Regis anno 1705. uti referunt Dumontius, & Roſſuetius, ea ſedes conceſſa eſt Duci Prætorianorum militum, vul-

vulgo *Capitano della Guardia del Corpo*: quare Supremus Præfectus Domus Regiæ ſedet primo loco in ſcamno Magnatum Hiſpaniæ, etiamſi ex illorum numero minime ſit. Dextram quoque Altaris partem occupant Major Capellanus, & Antiſtes, ſiqui adſunt, ſedentes prope Aram, tum Magnates Hiſpaniæ ſcamno inſidentes. Ex altera vero parte, ſeu cornu Epiſtolæ conſiſtunt Præfecti Domus Regiæ, Legati Principum, & Capellani Honorarii. Regina Hiſpaniarum intra ligneos cancellos adeſt in ædicula quadam, cui proximus eſt locus Matronis Aulicis deſtinatus. Ita vero rem hanc deſcribit Turturetus in libro de Sacello Hiſpano cap. 4. *Prope Aram, & juxta Cornu Evangelii eriguntur Regiæ Cortinæ, ad quas per nullos gradus eſt aſcenſus, ſed contingunt imum pavimentum. Sub iis Rex moratur, & conſidet in ſella. Proximus ſequitur Præfectus Regiis Cortinis deducendis, & reducendis, qui ſemper adſtat. Primus Magiſter, ſeu Majordomus Regiæ juxta ſedet in ſella humiliori, quam vocamus Hiſpanice* Silla raſa. *Subſequuntur cæteri, qui adſunt Hiſpaniæ Magnates capite operto, & aſſidentes in prælongo ſcamno, quod tantum veſtit non inelegans tapetum. Adſtant e regione Cortinæ Regiæ, & prope alterum Aræ cornu cæteri Majores Domus Regiæ, ſuis baculis innixi, ſed capitibus nudi. Hos excipiunt, ſed ſedentes in ſuo ſcamno, quod eſt veſtitum ſerico villoſo, & operti capita, Legati Principum hoc ordine, Pontificius, Cæſareus, Gallus, Venetus. Cæteris Legatis jus ſedendi coram Rege non eſt datum; unde in Sacello Regio non ſolent adeſſe. Legatis Principum ſunt proximi Aulæ Capellani in ſuo etiam ſcamno ſoliti aſſidere (vulgo dicuntur* de Honor, *& e re, & ſeſſione* de Banco) *ſuperinduti ſupparo lineo, & tecti capita tegumento illo nigro, & quadrato, quod birrettum appellatur, inter quos, ut etiam inter Magnates, nulla in ſeſſione habetur ratio antiquitatis: modo Receptor, & Juridicus præceſſerint, quem quiſque invenerit locum, eum occupat in ſedendo. Capellanis etiam cum Concionatoribus Regiis ita convenit, ut ſibi præferri patiantur ex Capellanis unum ſaltem, præter Receptorem, & Juridicum; qui deinde venerint, alternatim ſedeant, adeout Capellani, & Concionatores ſibi mutuo ſuccedant. Idem ordo in publicis ſupplicationibus eſt ſervandus. Quoties in Sacello concio habetur, portatile ſuggeſtum erigitur inter Legatos Principum, & Capellanos, adeo ut Concionator Regem alloquatur. Summus Capellanus, & ſi quis Antiſtes forte adeſt, ſedent proximi Altari, & in cornu Evangelii, capitibus opertis. Cum vero contingit, adeſſe in Sacello Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Purpuratum aliquem Patrem, penè æquatur in ſeſſione cum ipſomet Rege, e cujus conſpectu ſedere ſolet, & habere præter ſellam, Regiæ haud multum abſimilem, pulvinar ſubſtrato pedibus tapete.*

VII. In celebranda vero Liturgia hi præcipui ritus ſervantnr. Si Sacrum facit Cardinalis aliquis, vel Antiſtes, aut Pontificius Apocriſiarius, tunc quidem ad Altare induit Pontificalia ornamenta, præſente Rege; ſed cum ſandalia induit, pedes velamine obducuntur. Inchoata Miſſa, Major Capellanus, niſi Sacris operetur, medius inter Receptorem Capellæ Regiæ, aliumque Capellanum, monente Præfecto Cæremoniarum, accedit ad Regem, & prope recitat Introitum, atque Confeſſionem; duobus aſſiſtentibus Capellanis provolutis in genua. Si vero Major Capellanus Sacris operatur, id muneris præſtat Cardinalium, aut Epiſcoporum aliquis, ex iis, qui adſunt. Ubi Dia-

co-

conus thure coluit Sacra facientem deſert thuribulum ad Cardinalem, vel Antiſtitem aliquem, aut Apocriſiarium Pontificium, qui medius inter duos Capellanos Honorarios, accedit ad Regem, & Principem Aſturicenſium, quos thure colit, ter ducto thuribulo. Si nullus adſit Antiſtes, a Diacono Rex donandus eſt thure. Decantato Evangelio, Sacer Codex a Diacono porrigitur pariter Cardinali, aut Antiſtiti alicui, aut Pontificio Legato, ut ab eo deferatur ad Regem, Principemque Auſtricenſium oſculandus; facto tamen prius periculo a Præfecto Regiarum Cortinarum, qui locum a Rege, & Principe deoſculandum tergit velo quodam, quod mox ſuo ori admovet. Si Rem Divinam facit aliquis e Cardinalium, vel Epiſcoporum ordine, tunc ei in lotione manum miniſtrant antiquiores duo Præfecti Domus Regiæ, vulgo *Maggiordomi*. Spectat ad Cæremoniarum Præfectum innuere Magnatibus, quum in Liturgia eis ſtandum eſt, aut genua flectendum, ſique inter eos aliqui adſcripti ſint Societati Velleris aurei, iidem in quibuſdam ſolemniis Torquem Societatis deferunt, uti etiam Rex, & Princeps Auſtricenſium. Et illi omnes, quibus ad Altare eundum, redeundumque eſt, ſalutato Altari, Regem, Reginam, Magnates, Oratores Principum eodem obſequio colunt. Abſoluta Liturgia, ſolemnis benedictio dari ſolet a Cardinali aliquo, vel Epiſcopo; ſi ex illorum numero minime ſit, qui Sacris operatur.

VIII. Qui vero feſti dies in Capella Palatina Regum Hiſpaniæ præcipue colantur recenſet Turturetus cap. *6.* ubi ſcribit, quolibet menſe, feria quinta, & ſabbato unius hebdomadæ in publico Aulæ Sacello, Aram decenter exornari, & ſanctiſſimam Euchariſtiam publicæ adorationi exponi, a Sacellanis Pſalmos pœnitentiæ Davidicæ alternis vicibus recitari, præſente Rege intra ligneos cancellos, ſolemni ritu peragi Miſſæ Sacrificium, ac eo finito, Sanctum Domini Corpus per Sacelli ambitum circumferri, deferentibus umbraculi, ſeu baldachini haſtas ipſiſmet Sacellanis, & ſequentibus viris illuſtribus Palatinis. Addit, Regem Catholicum in Sacello, & in publicis actionibus, ſemper primas concedere Collegio Eccleſiaſtico Palatino. Ita cereum in feſto Purificationis, cinerem initio Quadrageſimæ, poſt omnes Sacellanos Aulicos, & minores Clericos, qui Sacello inſerviunt, accipere conſuevit. Itidem in Paraſceve, poſtquam Antiſtes, qui Sacris operatur, & ceteri Sacerdotes Palatini adorarunt ſanctiſſimam Crucem, tunc demum Rex ipſe eamdem flexis genibus adorat, progrediens ad Altaris gradus. At Crux ipſa, quam illi ſunt deoſculati, invertitur; & ſublato operculo, fruſtulum ſanctiſſimæ Crucis Rex oſculatur. Tum flexus genibus ante eamdem Crucem, reis quorumdam criminum veniam facit, quos tamen puniendos urget dumtaxat Fiſci Patronus. Pro iiſdem vero intercedit Magnus Capellanus, deponens ante Regem criminum tabulas, quas Forenſes vocant proceſſus. Ea die, nullus in Capella conſpicitur Regius apparatus, nec Regiæ Cortinæ, nec tapetum Regiis pedibus ſubſternitur, dumtaxat nigrum pulvinar genibus ſupponitur. Feria quinta in Cœna Domini, poſt peracta in Capella Palatina Divina Officia, inde itur ad ampliſſimam aulam proximam Regiis cubiculis, præcedente ſacra ſupplicatione, & viris Palatinis; Regem Oratoribus Principum ſubſequentibus. Ubi ad locum deventum eſt, decantatur Evangelium Joannis: *Ante diem feſtum Paſchæ;* & ſimul atque ea verba proferunt: *ponit veſtimena ſua*, Rex enſem, & pallium deponit. Ad illa verba; *Cum accepiſſet linteum*, linteo præcingitur: tum flexus

flexis genibus progrediens, duodecim pauperum pedes abluit, abſtergit, iiſdemque pollicem, atque indicem in modum Crucis decuſſatos ſperimponit, & oſculatur. Hoc peracto, inſtruuntur menſæ pauperibus ibidem, Regio apparatu: quibus Rex ipſe fercula diſtribuit. Eiſdem conceduntur veſtes, nummi, & omnia menſæ utenſilia, cibaria inſuper, quorum magna eſt copia, quæ ſuperſunt. Eodem die ſolet Rex plures adire Eccleſias adorandi cauſa Chriſti Corpus in Monumento poſitum: & ſpectat ad Magnum Capellanum tot aureos nummos in concham argenteam iniicere, quot ſunt Regiæ familiæ Principes. Atque hi ſunt inſigniores ritus, quibus colitur magna Hebdomada ab Hiſpanis Regibus.

IX. Prætera in pervigiliis Natalis Dominici, & Epiphaniæ, Rex Catholicus Matutinis Officiis, quæ modis muſicis decantantur, conſuevit intereſſe, ſed intra ligneos cancellos. In feſto Epiphaniæ Sacrum facit ſolemni ritu, & Pontificali apparatu Antiſtes ex inſignioribus, qui in Aula degunt, vel Apocriſiarius Pontificius, vel Magnus Capellanus; & ante oblationem Hoſtiæ, Rex e Cortinis Regiis ad Aram pergit, ibique procumbens in genua offert Antiſtiti celebranti tres calices argenteos, deauratoſque. Is vero ad Regem converſus, utraque manu Patenam tenens, eamdem Regi exhibet oſculandam, poſtquam ſacto Crucis ſigno, Regi pro oblato munere diuturnam valetudinem, atque adfluentem rerum ſecundarum copiam fuerit a Deo precatus, pollicituſque illis verbis: *Centuplum accipies, & vitam æternam poſſidebis*. Calices vero ob ſeſti myſterium continent, primus fruſtulum auri, alter grana thuris, tertius parum myrrhæ; iique donari deinde ſolent alicui Eccleſiæ, aut Monaſterio, jubente Magno Eleemoſynario: ex iis tamen unus ſingulis annis conceditur celebri Monaſterio Eſcorialenſi. In feſto Corporis Chriſti Rex Catholicus e Palatio ſe confert ad Templum S. Mariæ, ubi poſtquam Antiſtes Rem Divinam ſolemniter fecerit, ſupplicatio inſtituitur. Præcedunt piæ ſodalitates, & Regularium Ordines, Senatores Regii, Conſilium Cruciatæ, Ordinum Equeſtrium, Regii ærarii, Italicum, Aragonicum, Quæſitorum fidei, & Caſtellanum. Sanctam Euchariſtiam deferunt Sacerdotes ſub umbraculo, quod ſuffulciunt Capellani Regis uſque ad fores Templi, exinde vero Decuriones Civitatis. Sequitur Antiſtes, qui Sacris eſt operatus, & qui Capellani Regii illi miniſtrarunt. Tum Proceres Aulici, Magnates Hiſpaniæ, Regia ſoboles, Rex ipſe geſtans cereum accenſum. Proximi Regi incedunt Cardinales, ſi qui adſunt. Sequuntur Legati Principum, Conſiliarii Status, Cubicularii, tamdem claudunt agmen milites Prætoriani. Feria quarta infra octavam, Rex cum omni comitatu Aulico adeſt ſupplicationi, quæ fit intra Eccleſiæ ambitum in Cœnobio Monialium SS. Virginis Annunciatæ. Itidem in octava ejuſdem feſti, intervenit ſupplicationi in Regio Cœnobio Diſcalceatorum. Denique ſolet Rex Catholicus adire Eccleſias Regularium, eo die, quo ſacrum celebrant ſui Ordinis Fundatori.

X. Jam de Liturgia dicendum eſt, quæ olim viguit in Capella Regis Luſitaniæ, antequam Patriarchalis Eccleſiæ dignitate ornaretur, Ordinem hujus Liturgiæ ſub Joanne IV. conſtitutum eruimus e monumento quodam Luſitano idiomate edito ab Antonio Cajetano Souſa tomo 4. pag. 783. Hiſtoriæ Regum Luſitaniæ. Is ergo ita ſe habet. Regem in iis feſtis ſolemnibuſque diebus, quum Regia pompa adeſt

Divi-

Divinis in Capella ſua Officiis, Magnus Capellanus conſcium facit, omnia in promptu eſſe, horamque imminere faciendæ Rei Divinæ. Tum ſpectat ad illum, qui eſt a ſummis imperii negotiis, Oratores Principum admonere, ut ad aſſociandum Regem conveniant: Dynaſtæ vero, ſeu Titulati convocantur ab Oſtiario Regii Cubiculi, quem nuncupant *Porteiro da Camera*. Deinde hoc ordine ad Capellam itur. Præcedunt cauſarum capitalium Prætor, Aulici, Patritii, quos *Fidalgos* appellant, & Titulati. Sequuntur tres conſpicui Proceres Aulæ dicti *Officieaes da Cana*, nempe Magnus Oſtiarius (*Perteiro mos*) medius inter Œconomum Domus Regiæ a dextra (*Vedor*) & Architriclinum (*Meſtre Salla*) a ſiniſtra. Magnus Aulæ Magiſter virgam manu geſtans paulo ante Regem incedit, etiamſi aliqui Duces adſint. Verum ſi adſint infantes, hi proxime præcedunt Regem. Cardinales proxime ſequuntur Regem, & poſt Cardinales ſequuntur Oratores Principum, Archiepiſcopi, Epiſcopi. Magnus Capellanus ſi ex Epiſcoporum numero ſit, inter Epiſcopos incedit; ſin minus, inter cæteros Aulicos. Prætoriani Milites inſtructi in acie conſiſtunt in Capellæ veſtibulo. Ad hujus fores, Archiepiſcopus, vel eo abſente ſenior Epiſcopus, vel ſi nullus adſit Epiſcopus, Magnus Capellanus Regem adſpergit aqua benedicta. Porro Regis locus in Eccleſia eſt ædicula quædam velis ſeu Cortinis obducta; ubi tum Rex, tum Princeps hæres imperii prope Regem ſedent, cæteri Infantes aliquo interjecto ſpatio aſſident; ſed Infantum filiis non ſedes, ſed pulvinaria ad ſedendum conceduntur. Spectat ad Præfectum Stratorum, ſeu *Repoſtiero mor* ſedes Regi, & Infantibus admovere, eorumque genibus pulvinaria ſupponere. Spectat vero ad Præfectum Regiarum Cortinarum (*Sumilher da Cortina*) vela ducere, ac reducere, & hinc prope Regis ædiculam adſtat, circumſtant Milites. Cardinales inſuſſident ſedibus cum poſtergali a cornu Evangelii inter Altare, & Regis ædiculam; illos ſequuntur Epiſcopi aſſidentes in ſcamno tapete tecto, quorum antiquiores propius Altare accedunt. Magnus Capellanus, ſi ſit Epiſcopus ſedem occupat ſine poſtergali prope ædiculam Regis, a cornu Evangelii; & Rege haud in Capella præſente, ſedet primo loco inter Epiſcopos, etiamſi ſenior non ſit, quia eſt Antiſtes Aulæ. Si vero Epiſcopali dignitate minime fulgeat, ſtat prope Regias Cortinas. Oratores Principum conſident e regione Solii Regii in ſedibus ſerici villoſi ſine poſtergali, ſed cum ſcamnulo, & pulvinari ad genua flectenda. Ducibus prope Regium Solium ſedilia ſine poſtergali, pulvinaria, & tapetum, ubi procumbant in genua, conceduntur. Magnus Aulæ Magiſter ſedem occupat poſtergali deſtitutam; & hunc ſequuntur Marchiones ſimilibus inſidentes ſubſelliis; tum Comites in ſcamno cum dorſuali fulcro, & tapete. Prædicti tres Proceres Aulici, Magnus Oſtiarius, Œconomus, & Architriclinus virgas manu geſtantes ſtant e regione Solii Regii prope Oratores Principum.

XI. Univerſis hoc ordine conſtitutis, Sacrum inchoatur, ſique in ipſo Miſſæ initio, Fideles ſint ſacris aquis adſpergendi, Magnus Capellanus accedit ad Regis ſedem, eoque ſalutato, eumdem aſpergit ſacris aquis; deinde ex eodem loco aſpergit Reginam, quæ in abſide adeſſe ſolet, tum Principem hæredem imperii, denique Infantes, horumque filios. At Infantes, & eorum filii tantiſper a ſuis recedunt locis, cum a Magno Capellano aſperguntur. Si is ex Epiſcoporum numero ſit, ſenior Epiſcopus hoc officio fungitur.

In

Inchoato Sacro Magnus Capellanus prope Regem recitat Introitum, Confeſſionem, *Gloria*, & *Credo*, Divinumque Curſum. Is idem thure Regem colit, eique præbet Evangelii, paciſque oſculum: ſed antea Præfectus Regiarum Cortinarum locum tergit Sacri Codicis, ſacrique inſtrumenti, quo pax datur, a Rege deoſculandum. Rex, & Princeps hæres imperii ſedent, dum oſculantur; Infantes tamen ſurgunt, & aliquantulum verſus Magnum Capellanum progrediuntur, ut pacis oſculum accipiant. At ſi Magnus Capellanus ex Epiſcoporum Ordine minime ſit, tunc hæc munia præſtanda ſunt ab Epiſcopo antiquiore; & a Magno Capellano detergenda ſunt loca, quæ Princeps oſculatur. Si nec ullus Epiſcopus, neque adſit Magnus Capellanus, Decanus Capellæ Regiæ hoc miniſterium exequitur. Si a Rege facienda ſit Oblatio, ea hoc ritu peragitur. Præfectus Stratorum (*Repoſteiro mor*) accepto, oſculatoque pulvinari, illud prope infimum Altaris gradum collocat. Tum Rex e loco ſuo ad Altare pergit, Regemque comitantur Magnus Aulæ Magiſter, treſque illi Proceres Aulici, quos vocant *Officiaes de Canna*. Infantes ex ædicula recedunt, atque extra eam manent, donec Rex ad ſedem ſuam redeat. Oratores quoque Principum, & Antiſtites ſurgunt, ac aliquantulum a ſuis recedunt ſedibus, pariter donec Rex ſuo ſe loco reſtituat. Idque totum obſervandum eſt, ſemper ac Princeps e ſede ſua ad Altare, vel alio progreditur. Regi ad Altare provoluto in genua, Antiſtes ſacra faciens oſculandas exhibet ſacras Imagines, ſique ſit Epiſcopus, anulum. Eleemoſynarius vero Oblationem Regis in bacili poſitam porrigit Antiſtiti; demum accepta ab Antiſtite benedictione, Rex ſedem ſuam repetit. Tum Princeps hæres imperii, cæterique Infantes ad faciendam Oblationem accedunt; ſed Infantes genua flectunt extra infimum Altaris gradum.

XII. In Epiphania Eleemoſynarius præbet Oblationem Principi, Princeps Regi, Rex eam ſuis manibus in concham iniicit: cæteris vero diebus, Oblatio Regis porrigitur ab Eleemoſynario. In feſto Purificationis cereos ab Antiſtite Sacra faciente accipiunt primo Præſules, tum Capellani, deinde Rex, Regina, Infantes: acceptumque cereum Rex tradit Magno Capellano, a quo rurſum ei porrigitur ſupplicatione progrediente, quam Rex ſtipatus Equitibus Ordinis Chriſti ſequitur poſt Antiſtitem ſacra facientem. Eodem modo res ſe habet in Dominica Palmarum. Cæterum in aliis ſacris Proceſſionibus, cum a Rege deferendus eſt cereus, is ei a Magno Aulæ Magiſtro porrigitur, quod non fuerit ab Altari acceptus. In die Cinerum, Rex, Regiique Pincipes ad Altare aſperguntur cinere ab Antiſtite ſtante & ſine Mitra; qui deinde accepta Mitra adſpergit cinere Oratores, Duces, Marchiones, Comiteſque; ſedens deinde cæteris hoc officium præſtat. In magna Hebdomada, Rex, & Equites Ordinis Chriſti induti Veſtimento Ordinis adſunt Divinis Officiis; & in Paraſceve ad Crucem adorandam accedunt primo Antiſtites, deinde Capellani, tum Rex, Princeps, Infantes, Oratores, Duces, Marchiones, Comites, Patritii. In Paſchate Euchariſta circumfertur ab Antiſtite, quem ſequuntur Equites Ordinis Chriſti induti Veſtimento Ordinis, eoſque Rex ſequitur, cujus tamen Veſtimenti ſyrma haud a Cubiculario defertur, uti cæteroquin fit, quod in iis Proceſſionibus, in quibus Euchariſtia circumfertur, Veſtimentum Regis ad terram uſque demittitur. Eo die, Rex, cæterique, Equites Chriſti, Euchariſtica communione donantur. Regi Euchariſtiam Antiſtes porrigit, Magnus Capellanus purificationem; aut

 ſi

ſi Magnus Capellanus Sacris operatur, Decanus Regiæ Capellæ: duo Præfecti Regiarum Cortinarum ſuffulciunt mappam: Præfectus Stratorum ſupponit Regiis genibus pulvinar; ſed Rex ſolet nuda humo procumbere. Atque his præcipue ritibus olim ſolemnis Liturgia Palatina agebatur in Capella Regum Luſitaniæ ſub Joanne IV. & ſucceſſoribus Regibus.

XIII. Nunc vero temporis, quod Capella Regia ſit ſimul Eccleſia Patriarchalis, quod ibi Patriarcha Sacris operetur, quodque eccleſiaſticum miniſterium ex Clericorum diverſis Ordinibus, privilegiiſque, majori ſplendore, & pompa peragatur, alii & diverſi ritus obtinent. Itaque ſtata ad Liturgiam agendam hora, Patriarcha induit ſacra ornamenta, & præcedente Cruce, inſigni Clericorum, Principalium, Pronotariorum, aſſiſtentium comitatu progreditur ad Eccleſiam; quo pariter Rex e ſuis ædibus, Aulicorum præeunte multitudine, ſe confert. Ubi Rex, & Patriarcha ſibi invicem occurrunt, mutua ſalutatione facta, præcedunt Aulici, ſequuntur Clerici cum Cruce, Patriarcha cum Principalibus, Protonotariis, & Aſſiſtentibus, Rex denique, ad Eccleſiam accedunt. In hujus limine, olim Cardinalis Patriarcha accepto a Sacriſta aſperſorio, adſpergebat ſacris aquis Regem, Regioſque Principes: ſed hanc cæremoniam nunc deſiiſſe accepimus. Tum in Eccleſia primo ad Sacellum, ubi aſſervatur Euchariſtia brevi fuſa oratione, deinde ad Aram principem procedunt univerſi; ubi Patriarcha in ſua ſede precatoria genua ſubmittit; Rex Solium conſcendit, ibique procumbit in genua. Dum vero Liturgia celebratur, Rex ſtat, aut ſedet, vel procumbit in genua; ſtantibus, vel ſedentibus, aut genua ſubmittentibus ſacris Miniſtris. Decantato Evangelio, Subdiaconus ſacrum Codicem Patriarchæ oſculandum exhibet, deinde accepto altero Evangelii Codice a Præfecto cæremoniarum, hunc oſculandum præbet Regi, Regiiſque Principibus. Ad Offertorium poſtquam Patriarchæ thus datum fuerit a Presbytero Aſſiſtente, is idem Regem, Regioſque Infantes thure colit, ter ſingulis ducto thuribulo. Sed ſacris operante Patriarcha, Diaconus ipſe, qui ad Altare miniſtrat, hoc officio fungitur. Pacis oſculum Patriarchæ primum, tum Regi, Regiiſque Infantibus aliquis e Principalium Ordine exhibet; & Rem Divinam faciente Patriarcha, ſtatim poſt acceptam a Celebrante pacem, Rex, & Infantes donantur oſculo pacis. In Epiphania offeruntur a Rege in Liturgia aurum, thus, & myrrha, quæ in argenteis vaſibus a tribus Aulicis delatis poſita ab Eleemoſynario accipit, porrigitque Patriarchæ ſtanti in Solio, is Diacono; interim ſtant Regii Principes, donec ad Solium redeat. In feſto Purificationis, ac Dominica Palmarum, Rex, Regiique Principes accedentes ad Patriarchæ ſedem, flexis genibus (quod tamen religionis cauſa ſit, ac præter ordinem) Cereum, Palmamque ab eo accipiunt; ſequuntur Principales. Sed in die Cinerum, hi adſperguntur cinere ante Regem, Regioſque Principes. Pariter in Paraſceve Sanctam Crucem Principales primum, deinde Rex, Regiique Infantes adorant; & a Magno Eleemoſynario aurei centum pro Oblatione Regis donantur. In feſto Corporis Chriſti, ab Eccleſia uſque ad definitum locum, Rex, Regii Principes, Equiteſque Ordinis Chriſti deferunt baldacchini haſtas, cum Euchariſtia circumgeſtatur; eaſque rurſum in definito loco accipiunt, redeunte ad Eccleſiam ſupplicatione.

XIV. Porro Rex Luſitaniæ conſuevit ſolemni pompa adeſſe Divinis

nis Officiis in Epiphania, die Cinerum, Feſto Purificationis, Dominica Palmarum, Feria quinta in Coena Domini, Paraſceve, Paſchate, Feſto Corporis Chriſti, hujuſque Feſti octava die ad Veſpertinum Officium, Feſto Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis. Præterea intervenit Sacris Rebus in Eccleſia S.Vincentii, die *16.* & 18. Januarii, cum ibi Divina Euchariſtia publicæ adorationi exponitur. Inſignis quoque fuit Joannis V. Regis erga Beatam Virginem ſine labe conceptam pietas; cujus feſtum diem ſolemni ritu celebrandum in omnibus Regni Eccleſiis ſtatuit lata lege anno 1717. Neque id ſolum: ſiquidem anno 1733. die 15. Decembris, in Capella Palatina Brigantinorum Ducum, edito ſacramento, una ſimul cum Sociis Regalis Academiæ Hiſtoriæ Luſitanæ, tuendæ, ac vindicandæ Immaculatæ Conceptioni Virginis Deiparæ fidem obligavit ſuam. Quod etiam præſtiterat Joannes IV. an. *1646.* cum & in Comitiis generalibus Regni ſancivit Beatam Mariam ſine labe conceptam totius Luſitani imperii Protectricem habendam eſſe. Sed & Sancti Joſeph ſolemnia agi, tum in Patriarchali Eccleſia, tum in omnibus Eccleſiis Regni, præmiſſo ſacro novemdiali, Joannes V. curavit, imperavitque. Feſtum quoque diem S. Franciſci ſumma religione in Franciſcanorum Eccleſia S. Joſeph de Riba-mar ſingulis annis coluit; peractiſque ſacris rebus conſuevit eo die cum Cœnobitis diſcumbere. Poſtrema anni die, in Jeſuitarum Eccleſia aderat ſolemni gratiarum actioni, Patriarcha ſacris operante: & alia plurima pietatis in Deum, Divoſque argumenta Princeps religioſiſſimus edidit in diem.

XV. Solent etiam Sabaudiæ Principes, ſive Sardiniæ Reges ſtatis quibuſdam feſtis diebus, ſolemni pompa adeſſe celebrationi Liturgiæ in Metropolitana Eccleſia, aut alibi: tum quidem ſe ſe ad Eccleſiam conferunt, prætorianis militibus ſtipati, tympanis, tibiiſque reſonantibus. Ad Eccleſiæ oſtium Magnus Eleemoſynarius Regem adſpergit aqua benedicta, quam Clericus Capellæ Regiæ in vaſculo defert. At in Eccleſiam Cathedralem pergit ad Templi fores Epiſcopus; hunc invitat Magnus Eleemoſynarius, ut ſacra aqua adſpergat Regem. Cæterum in omnibus Eccleſiis, ad quas Rex ſe confert, id muneris ſpectat ad Magnum Eleemoſynarium. In Eccleſia Solium paratur tribus gradibus ab humo erectum, ubi ſella Regia baſellæ impoſita, pulvinaria ad ſedendum, & genua flectendum, ac ſimilis quoque ſella pro Regina apponuntur. Si adſint Principes Regiæ ſobolis, iis, locus datur in eodem Solio, ſed eorum ſedilia carent dorſuali fulcro, & baſi, ac pulvinaribus. Antiſtes Sacra faciens ſedet in humili ſella; neque enim præter Regium, aliud eſt in Eccleſia Solium. Prope Regis Thronum ſedent Magnus Cancellarius, Conſiliarii Status, Senatores, Magiſtratus; ex adverſo vero Equites Regalis Ordinis SS. Annuntiatæ, & Aulici Magnates, ſuo quiſque ordine. Tum e Sacrario, præeunte Capitulo, progreditur ad Altare Antiſtes celebraturus, Pontificalibus indutus ornamentis, & Sacrum incipit. Poſtquam thus dederit Altari, Præpoſitus Metropolitanæ Eccleſiæ, accepto thuribulo, accedit ad Regem, quem ſtantem thure colit, uti & Regios Principes, ter ducto thuribulo. Diaconus vero, reddito ei thuribulo, Canonicis thus offert: eodemque tempore Capellanus Aulicus Alba, & Tunicella indutus, e Sacrario prodiens, aliud ferens thuribulum, Equitibus Ordinis Sanctiſſimæ Annuntiatæ eumdem honorem impendit, bis ſingulis ducto thuribulo. Decantato Evangelio, ab eodem Metropolita-

næ Eccleſiæ Præpoſito Evangeliorum liber defertur ad Regem, qui illum oſculatur. Pariter idem Præpoſitus Metropolitanæ Eccleſiæ pacis ſignum porrigit deoſculandum Regi, & Regiæ familiæ Principibus: Capellanus vero Aulicus, ſacris indutus veſtibus, idem præſtat ſingulis Equitibus Ordinis SS. Annuntiatæ. Si a Rege, & Regina ſumenda ſit ſacra Euchariſtia, Eleemoſynarii manu tenent accenſos cereos, mappulam vero ſuffulciunt Præfectus Domus Regiæ, & Aulica Matrona; redeuntibus Rege, & Regina ad Solium, duo Cubicularii Regii pocula porrigunt aqua plena, flexo poplite, quam prægustaverant: deinde Magiſter Regiæ Domus, flexo etiam poplite, linteum præbet, quo os abſtergatur. In die feſti Corporis Domini, peracta ſolemni ritu Liturgia, de more cui Rex interfuit, ſupplicatione indicta, Rex, & Principes Regiæ familiæ deferunt umbraculi fulcimenta, ſeu baldacchini haſtas, uſque ad fores Eccleſiæ; ibi eas aliis tradunt, ſupplicationemque ſequuntur. Si nulli adſint Regiæ cognationis Principes, haſtas ſimul cum Rege efferunt antiquiores Equites Regalis Ordinis SS. Annuntiatæ, Torque, & Veſtimenta Ordinis induti. Pariter feria quinta Majoris Hebdomadæ cum ſanctiſſimum Chriſti Corpus ducitur ad Monumentum, Rex, Regii Principes, vel antiquiores dicti Ordinis Equites, haſtas ferunt. Quo die, in aula quadam ampliſſima Regiæ Domus, extructa Ara portatili, decantato Evangelio a Diacono, Rex præcinctus linteo, quod ei Magnus Eleemoſynarius porrigit, tredecim pauperum pedes abluit, & oſculatur. Tum hi accumbunt menſæ, ſingulis tredecim apponuntur fercula, quæ Regii Principes, & Magnates Aulici Regi præſentant, & is diſcumbentibus. Ea deinde inferiores Eleemoſynarii e menſa auferunt, atque tradunt illorum conſanguineis domum adſportanda. Singulos Magnus Eleemoſynarius donat aureo nummo. Denique madido linteo a Cubiculario porrecto, Rex manus abſtergit. Eodem ritu a Regina, cui miniſtrant Aulicæ Matronæ, lavantur pedes tredecim puellarum. Sed antea, Concionator Metropolitanæ Eccleſiæ brevem habet concionem. In Paſchate ſolet Rex Veſtimentum induere Ordinis SS. Mauritii & Lazari. Die ſeptima Septembris, Nativitati B. M. Virginis ſacra, Rex Veſtimentum Ordinis SS. Annuntiatæ, ac Torquem geſtans, tum ſolemni Liturgiæ celebrationi, tum ſupplicationi, in qua circumfertur B. Virginis ſimulachrum intereſſe ſolet: Regem ſequuntur Principes, Equiteſque ejuſdem Ordinis, univerſi pileati, ac torquati. Tandem commemoranda omnino eſt inſignis cæremonia Aulæ Regum Sardiniæ, cum ſingulis annis in Ædibus Regiis, publicæ adorationi, ſanctam Syndonem Taurinenſem, qua involutum ferunt ipſum Chriſti Corpus in Monumento, exponunt. Supplicatione indicta, Rex, Regii Principes, Equites Ordinis, Epiſcopi, Canonici Metropolitanæ Eccleſiæ, Clerici Capellæ Regiæ conveniunt: capſam ubi aſſervatur, quatuor Sacerdotes deferunt; umbellæ fulcra Rex & Regiæ cognationis Principes ab Altari uſque ad Eccleſiæ fores, tum Equites Regalis Ordinis, ac alii aliis ſuccedentes, ad locum uſque publicæ adorationi ſtatutum, deferunt. Ibi & concio habetur, & primus Regis Miniſter explorat, an integra ſint Regia ſigilla, quibus capſa obſignatur. Tandem eadem pompa ad Sacellum, ubi aſſervari ſolet, reducitur.

XVI. Quod in Aula Regum Siciliæ, Divina Officia omnia decentiſſime, & religioſiſſime perſoluta fuerint, ſuadent inſignis Eccleſia Palatina a Rogerio Rege conſtructa, Parochialis dignitas ei collata, numero-

ſum

ſum Clericorum Collegium ſacro illius miniſterio addictum, ſumma Rogerii, & ſucceſſorum Regum erga res ſacras religio. Conſtat vero ex Rogerii Regis litteris datis anno 1148. in gratiam Joannis de Nuſco Abbatis Regii Monaſterii S. Joannis de Eremitis, quas exhibet Pirrus in notitia hujus Abbatiæ, morem fuiſſe, ut in Capella Palatina in magnis ſolemniis, vel Major Capellanus Regis, vel Epiſcopus aliquis, illo permittente, Sacris operaretur. Ita enim in illis litteris dicitur: *Statuentes, ut idem Abbas ſemper in omnibus feſtivitatibus ſolemnibus tamquam Præcipuus Capellanus noſter, quem nobis Patrem ordinavimus, & ſpecialiſſimum Confeſſorem ad celebrandum Divina in Capella ſupradicti noſtri Palatii Panormi, Prælatis Regni noſtri cæteris præponatur; ut qui nobis in noſtro Palatio majori vicinitate lætatur, ampliori gaudere debeat prærogativa honoris, nec alius Prælatus præter ſui continentiam, & conſenſum, vel eo invito, in prædictis feſtivitatibus in Capella prædicta celebrare præſumat.* Hinc patet in Capella Palatina præcipuos feſtos dies ſolemni ritu celebratos, Sacra faciente Epiſcopo aliquo: Rogerium vero decreviſſe, ut illius Monaſterii Abbas, tamquam primus Capellanus Regis ibi ſolemnia ageret, vel Antiſtes aliquis, illo conſentiente. Neque debitandum, quin huic ſolemni Liturgiæ Palatinæ, Reges adeſſe conſueverint inſigni pompa: hinc enim nonniſi a Magno Capellano Regis, vel ab Epiſcopo aliquo ſolemnia celebranda erant; & hinc quoque idipſum habebatur loco honoris, & privilegii. Paterno inſtituto adhæſiſſe Guillelmum filium probatur teſtimonio Romualdi Guarnæ Archiepiſcopi Salernitani, auctoris coævi ſcribentis de Guillelmo in Chronico edito primum ab Antonio Caracciolo Teatinæ familiæ ornamento, tum inter Scriptores Itabos a Clariſſimo Muratorio: *Divino officio* ait ille, *extitit multum intentus, & perſonas eſt eccleſiaſticas multum veneratus. Capellam S. Petri, quæ erat in Palatio, mirabilis muſibii fecit pictura depingi, ac ejus parietes pretioſi marmoris varietate veſtivit, & eam ornamentis aureis, & argenteis, & veſtimentis pretioſis ditavit plurimum, & ornavit. Clericos in ea multos, & præbendas inſtituit, & Divinum in illa Officium decenter, & tractatim, & cum Dei reverentia, & timore celebrari diſpoſuit.* Veriſimilimum eſt, a Rege Divinis Officiis addictiſſimo, præcipuas anni feſtivitates Regia pompa, & ſplendido apparatu in Capella ſua coli conſueviſſe; & ad illarum nobiliorem celebritatem ornamenta aurea, & argentea, ſupellectilem omnem pretioſiſſimam, in Capellam ſuam contuliſſe. Quem etiam Sacro adeſſe ſolitum ſingulis diebus, indicat idem Romualdus, quum narrat conjuratos in Regem, ſeditionem inchoaſſe, prima feria quinta Quadrageſimæ, dum Rex ad audiendam Miſſam pergeret. Pariter, regnante Guillelmo II. conjurati in Stephanum Regis Cancellarium conſilium iniere de interficiendo homine, Dominica Palmarum, cum Rex e Palatio, juxta morem egrederetur: quod de ſupplicatione, quæ eo die celebrari ſolet, & quam Reges Siculi comitabantur, intelligendum videtur. Quamobrem pro comperto habendum eſt, Normannos Siciliæ Reges, & privatim, & publice Divinis Officiis in Capella ſua adſuiſſe. Verum non adſuere tantum, cum & iis rite, decenterque celebrandis omnem operam contulerint. In quodam rerum Liturgicarum Codice MS. Panormitanæ Eccleſiæ, ut refert Canonicus de Joanne in libro de Divinis Siculorum Officiis cap. 14. num. 9. legitur, *Kyrie Regis Guillelmi*. Conjicit vir doctus nomen Guillelmi præfatis

tis *Kyrie* affixum , nihil aliud preſeferre , quam iterum in Eccleſiis Siculis decantari cœpiſſe , Guillelmo Rege promovente , non quidem Guillelmo I. ſed Guillelmo II. quandoquidem in Miſſali quodam Gallo-Siculo Eccleſiæ Panormitanæ, quod Normannorum ætatem ſapit, nullum omnino veſtigium *Kyrie* apparet : hac fortaſſe ratione, quod Guillelmi ætatem, Codicis ætas præceſſerit . Potuit tamen hujuſmodi inſtitutio Guillelmo I. adſcribi , utpote quem Romualdus Guarna ordinandis , ac celebrandis Divinis Officiis plurimum ſtuduiſſe teſtatur . Et veriſimile eſt eamdem inſtitutionem a Capella Palatina ad cæteras Eccleſias Siculas derivaſſe . Illud ſane certum eſt , quod pluribus momentis evincit in laudato libro Clariſſimus Auctor , a Normannis nempe Principibus, abrogato Græcorum ritu , invectum fuiſſe in Eccleſias Siculas ritum Gallicanum , cui Siculi patrias nonnullas cæremonias addiderunt , & hinc originem ſumpſit Liturgia Gallo-Sicula , quam ille accurate deſcribit , quæque viguit in Sicilia uſque ad Concilii Tridentini , & Pii V. ætatem . Jam vero conſequitur Normannos Principes præſertim in Capella ſua Gallicanum Ordinem induxiſſe , hunc ibi potiſſimum viguiſſe , & a Capella Palatina ad cæteras profluxiſſe Eccleſias ; plane ut de Ordine Romano diximus a Capella Caroli M. ad reliquas Galliæ Eccleſias traducto.

XVII. In eo Ordine Gallo-Siculo occurrit ritus acclamationum Regi factarum in Liturgia poſt Collectam . De veteri acclamationum ritu plura tradunt Bona lib. 2. Rer. Liturg. cap. 5. Mabillonius Tom. 2 Vet. Analect. Catalanus in Com. ad Conc. Œcum. & Pontificale Romanum. In Sicilia vero hujuſmodi acclamationes fiebant Regi , dicta oratione poſt Hymnum Angelicum , atque his verbis exprimebantur, uti legitur in antiquo Codice membranaceo Panormitanæ Eccleſiæ , teſte eodem de Joanne lib. de Divin. Sicul. Offic. cap. 14. num. 14. *Acclamationes Regis Friderici. Chriſtus vincit , Chriſtus regnat , Chriſtus imperat :* Chorus reſpondebat: *Exaudi Chriſte. Domino noſtro Regi Friderico, Magnifico , & Triumphatori , ac Invictiſſimo vita perpetua:* Choro reſpondente: *Exaudi Chriſte. Salvator Mundi , Redemptor Mundi , Sancta Trinitas , S. Maria , S. Michael , S. Gabriel , S. Raphael, S. Joannes Baptiſta :* Choro reſpondente ſingulis vicibus ; *Tu illum adjuva. Regi noſtro Friderico , Glorioſo , & Triumphatori pax ſempiterna :* Chorus reponebat : *Exaudi . S. Petre , S. Paule , S. Stephane , S. Laurenti :* Chorus reponebat: *Tu illum adjuva . Pacifico Rectori , & piiſſimo Gubernatori Regi noſtro Friderico lux indeficiens , & pax æterna:* Choro reſpondente: *Exaudi . S. Sylveſter , S. Maria Magdalena , S. Criſtina , S. Agatha :* Choro reſpondente : *Tu illum adjuva .* Tum repetebatur Antiphona *Chriſtus vincit .* Hunc Fridericum Regem Siciliæ, fuiſſe hujus nominis tertium, cenſet vir doctus. Quin etiam in antiquo Codice Capellæ Palatinæ, ut tradit Amatus , legitur Collecta pro Guillelmo I. Rege. Deinde decreto Synodi Montiſregalenſis ſub Cardinali Farneſio celebratæ tit. 9. cap. 26. omnibus diebus Dominicis precandum erat in ſolemni Miſſa , nedum pro Civitate, populo, ſed & pro Papa, Rege, & Epiſcopo, eorum poſt ultimam Collectam, etiam in Poſtcommunione, additis nominibus . Et Synodus quoque Panormitana ſub Archiepiſcopo Jacobo de Palafox p. 3. cap. 1. num. 8. ſanxit in Miſſa ſolemni Collectam recitandam eſſe pro Rege. Hodie hic mos viget dumtaxat in Eccleſia Palatina S. Petri: quinimo in quacumque Eccleſia Rex, aut Prorex Siciliæ ſolemni

pom-

pompa adeſt Liturgiæ, additur Collecta pro Rege. Præterea in Metropolitana Eccleſia Panormitana, nomen Regis additur in Canone, & preces pro Rege funduntur ad Liturgiæ finem. De qua re ita ſcribit laudatus Canonicus de Joanne cap. 52. n. 2. *Panormitana hæc Urbs, reliquis Sicilienſibus illuſtrior, utpote quæ Prima Sedes, Coronæ Regni, & Regni Caput præfiſcine nominaretur, & eſſet, Regi proprio benedictionem a Deo precatur quotidie. Sane in Miſſæ Canone, poſt Summi Pontificis nomen, illud quoque Regis ponitur; pro quo, in argumentum amoris, & obſervantiæ in Miſſa tum ſolemni, tum privatam Collectam haberi, in Diœceſana Synodo ſua ſanxit Archiepiſcopus Jacobus de Palafox; imo dicente Sacerdote Evangelium S. Joannis:* In principio erat Verbum, *alternatim canit Chorus Pſalmum* 19. Exaudiat te Dominus; *inde Sacerdos ſtans ante Altare, reſpontentibus more Romano Miniſtris, preces cum competenti oratione ſubjungit. Ritus iſte præſenti hoc ſæculo antiquior non eſt: inſtitutus enim fuit poſt ſolemniſſimam Coronationem Victorii Amadei olim Siciliæ Regis, auctore D. Mamiliano Cajetano Cozio, Cathedralis noſtræ Canonico, & ad Regem Oratore. Nova hæc inſtitutio veteri non caret exemplo: apud enim eoſdem Panormitanos jam inde ab antiquis temporibus uſus invaluit, doctis cælum precibus fatigare, ut proprio Principi indulgens foret, atque propitium. Sane in exceptis ex pervetuſto Codice in charta membrana S. Petri Palatii Panormitani pro Rege Guilielmo I. publicas ſupplicationes fieri, obſervat Panormitanæ eruditionis indagator diligentiſſimus Johannes Maria Amato lib. 13., capite 1. de Principe Templo Panormitano. In Codice membranaceo Cathedralis noſtræ, cui inſcriptio:* Cantus diverſi ad uſum S. Panormitanæ Eccleſiæ, *adſunt piæ obſecrationes, publicarum inſtar Litaniarum pro Friderico Siciliæ Rege*. Ex his patet olim ſub Normannis in Liturgia Capellæ Palatinæ preces effuſas eſſe pro Rege, itidem in Liturgia Eccleſiæ Panormitanæ: & hujus antiqni inſtituti veſtigia ſupereſſe, tum in Capella Palatina, ubi Collecta recitatur pro Rege, tum in Metropolitana Eccleſia, ubi nomen Regis additur Canoni, atque pro eo preces recitantur ad Liturgiæ finem. Jam vero hunc morem precandi in Liturgia pro Rege, ab Apoſtolo Paulo in 1. ad Timotheum cap. 2. inductum, atque a vetuſtiſſimis Chriſtianis obſervatum, a Conciliis quoque Emeritenſi cap. 3. Toletano XVI. cap. 8. Remenſi I. cap. 40. imperatum, Normanni Principes a Gallicano Ordine hauſerunt. Nam in antiqua Liturgia Gallicana Sacerdos his verbis precabatur: *Suſcipe S. Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus pro Rege noſtro, & ſua venerabili prole, & ſtatu Regni, & pro omni populo Chriſtiano*. Et ut ad hanc rem Fideles magis impellerent Romani Pontifices, Indulgentiis eos donarunt, qui pro Rege, & Regno Deum exorarent, uti ab Innocentio IV. & Clemente V. factum eſſe refert Joannes Feraultius in tractatu de juribus, & privilegiis Regni Franciæ. In Anglia etiam nunc temporis viget hujuſmodi antiquiſſima conſuetudo: ſiquidem in Eccleſia Weſtmonaſterienſi contigua Regio Palatio, ubi tumulantur Regum defunctorum corpora, Canonicus ad hoc munus ordinatus, ſingulis diebus, ſtata hora ſe confert ad Regiam Capellam, ibique cunctos monet, ut pro Regibus, Reginis, eorumque filiis vita functis precentur.

XVIII. Sed ad Svevos Siciliæ Reges progrediamur. Hos etiam conſueviſſe magna ſolemnia agere in Aula ſua, Regio apparatu, indi-

dicant veteres rerum Sicularum Scriptores, dum adnotant loca, ubi præcipuos feſtos dies illi celebrarunt: uti jam de antiquis Scriptoribus, & Regibus Galliæ diximus. Ita Mathæus Spinellius Juvenacenſis, ſcriptor illius ævi, in ſuis Diariis, quæ edidit to. 7. Script. Ital. Clariſſimus Muratorius, loquens de Mamfredo Rege, ad annum 1255. *Eodem anno*, ait, *Natalem Dominicum celebravit Teate, & per omnia Oppida Aprutii creavit Equites*. Et rurſus de eodem Mamfredo refert: *Secunda Decembris venit Barlettam, & multis ibi menſibus ſubſtitit, etiam ibidem Natalem Dominicum magno cum triumpho. Quotidie agebantur choreæ, & omnis conditionis mulieres ſpecioſiſſimæ eo confluxerant, quibus Rex largiebatur munera æqualiter omnibus, ſic ut ſciri nequiret, quænam eis præ cæteris placuiſſet*. Idem notat celebratum a Mamfredo S. Martini feſtum, & ad hanc celebritatem invitatos Neapolitanos quamplures. Quidam igitur feſti dies in Aula noſtrorum Principum ſolemni pompa agebantur. Nec ſilentio prætereundum eſt, quod idem narrat Spinellius, ſcilicet Mamfredo ingredienti Barulum, obviam iviſſe cives ferentes manibus palmas, atque accinentes: *Benedictus, qui venit in nomine Domini*. Erat tunc temporis uſitatum, hiſce honoris, ac lætitiæ ſignis Principes excipere. Hinc & Carolum Andegavenſem Romani obviam euntes excepere canendo: *Hoſanna pium*, uti refert Nicolaus de Jamſilla in Hiſt. Rer. Sic. tom. 8. Script. Ital. Muratori. Rogerium quoque Comitem, Saracenis bellum inferentem Troynenſes cives, qui Græci erant, Græcorum more exceperunt cum Cruce, thuribulis, ac thure, uti ſcribit Fazellus lib. 7. cap. 1. Sed ad rem noſtram redeamus. Subſequentes Siciliæ Reges, ſtatis quibuſdam ſolemnitatibus, ſplendido apparatu in Capella ſua Divinis Officiis adſuiſſe veriſimilimum eſt. Et id de Martino Rege Catanæ degente colligitur ex diplomate ab eo dato in gratiam Capellæ Regiæ Catanenſis S. M. de Eleemoſyna, tom. 2. Siciliæ Sacræ. Ibi enim Rex ait, ſe hanc Capellam beneficiis proſequi, quod Divina Officia, & Sacramenta in ea adminiſtrentur, *& nos ſæpè ſæpius illuc accedimus in ordinariis noſtris functionibus eccleſiaſticis, noſtra Capella*. Erant itaque Regibus quædam functiones eccleſiaſticæ, quas in Capella ſua agebant. Præſertim vero ſub Joanne Rege Siciliæ, & Aragoniæ, Alphonſi Neapolitani Regis fratre, & Ferdinandi Catholici parente, viguiſſe Liturgiam Palatinam, indicat Fazelli lib. 9. cap. 10. de eo teſtimonium: *Princeps hic Chriſtianæ religionis fuit longe omnium ſtudioſiſſimus. Quotidie Sacris intererat. Divorum omnium, ac Deiparæ Virginis ſacra ſtata caſte, ac jejunio, Quadrageſimam præterea a vigeſimo ætatis anno ad ſeptuageſimum uſque jejunio, & abſtinentia celebrabat. Feſtos dies, ac Dei cultum revereri ab omnibus inviolabili lege ſancivit, a Saracenis imperio ſubjectis Mahometi nomen invocari vetuit, indignum ac ſacrilegum prope facinus exiſtimans in Chriſtianorum Principatu, hominis perditiſſimi falſum nomen venerationi eſſe. Chriſti Corpus cum per vicos, & in feſto ſuo die, & item alias (ut fit) deferebatur, non modo a Chriſtianis, verum a Judæis quoque, & Saracenis, detecto capite, ac genuflexo adorari ſub mulcta conſtituit*.

XIX. Quod a piiſſimo Rege Joanne factum refert Fazellus, id noſtris hiſce temporibus præſtitit quoque religioſiſſimus Princeps CAROLUS BORBONIUS Rex utriuſque Siciliæ. Nam edita Conſtitutione, hoc ipſo anno 1749. *Feſtos dies, ac Dei cultum revereri ab omnibus in-*

inviolabili lege ſancivit : æmulatus pietatem nedum Conſtantini Magni, Theodoſii, Leonis, & Anthemii, quorum leges de obſervandis feſtis extant in Codice ; ſed & Caroli Magni in Capitulari Aquiſgranenſi anno 789. cap. 79. relato lib. 1. Capitul. cap. 75. ubi ſtatutum eſt, ut diebus Dominicis nulla opera ſervilia, nec ruralia, nec textilia, nec venationes agantur ; & aliorum Regum Francorum lib. *6.* Capitul. *6.* cap. 205. jubentium, ut Dominicis diebus, pietati, Divinis Officiis, & concionibus vacent univerſi . Tum Ferdinandus I. Neapolitanus Rex, ut populorum querelis ob nimium feriarum numerum faceret ſatis, Pragmaticam dedit die 1. Martii anno 1476. relatam a Toppio par. 3. de Orig. Tribun. qua ſuffragantibus Archiepiſcopo, & Regio Conſilio, dies ſtatuit, in quibus eſſet ab operibus ſervilibus, & a jure dicendo feriandum . Conſtitutionem illam edidit religioſiſſimus Carolus arrepta occaſione, quod a Summo Pontifice Benedicto XIV. ſtatutum fuit, ut in Ditionibus illius imperio ſubjectis, exceptis diebus Dominicis, ac feſtivitatibus Chriſti Domini, Deiparæ Virginis, nonnulliſque aliis; cæteris feſtis diebus, fas eſſet opera ſervilia agere, dummodo Sacrum audiretur . Hanc eamdem diſciplinam olim viguiſſe in Sicilia indicant nonnulli veteres feſtorem indices, quos exhibet Canonicus de Joanne in libro de Divinis Siculorum Officiis cap. 37. Illorum primus ſpectat ad Diœceſim Panormitanam, cujus Archiepiſcopi auctoritate, conſentientibus Prorege, & Senatu editus eſt anno 1425. atque complectitur Nativitatem Domini cum duabus diebus ſequentibus, Epiphaniam, Reſurrectionem Domini cum duabus diebus ſequentibus, Pentecoſten, feſtum Corporis Chriſti, feſta Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, & Aſſumptionis B. M. Virginis, feſta Apoſtolorum, & S. Joannis Baptiſtæ, atque omnes dies Dominicas . Alter ſpectat ad Syracuſanam Diœceſim, cujus Synodi auctoritate prodiit anno 1553. ſub Epiſcopo Hieronimo de Bononia, atque præter recenſitas feſtivitates, excepta Conceptione Deiparæ Virginis, enumerat feſta Innocentium, Circumciſionis, duas dies ſubſequentes Pentecoſten, ac feſta inventionis S. Crucis, Dedicationis S. Michaelis, S. Luciæ, S. Laurentii, omnium Sanctorum, Patroni cujuſque civitatis intra ipſius civitatis ambitum, additque : *In cæteris autem feſtivitatibus quacumque ratione vel inſtitutis, vel receptis, & quæ ſub præcepto celebrari debeant, permittimus, liberumque cuique facimus, ut Miſſa audita (de qua ſuam cujuſque oneramus conſcientiam) ad operas ſuas, quibus ſuam, & ſuorum alimoniam quærere cogitur, redire poſſit, niſi aliter ex ſanctæ Apoſtolicæ Sedis præcepto, eſſet obſervandum.* Tertius feſtorum index a Synodo Eccleſiæ Montis Regalis ſub Alexandro Cardinali Farneſio anno 1554. editus, recenſet præter feſtos dies memoratos in indice Syracuſano feſta S. Mariæ Magdalenæ, S. Lucæ, S. Martini, S. Silveſtri, Transfigurationis Domini, Conceptionis B. M. Virginis, Commemorationis omnium Defunctorum durantibus dumtaxat Miſſis, S. Marci durantibus pariter Miſſis, S. Caſtrenſis in Civitate tantum; additque pariter : *In cæteris feſtis quacumque ratione vel inſtitutis, vel receptis, liberum unicuique facimus, ut, audita Miſſa, ad operas ſuas, quibus ſuam, ſuorumque alimoniam quærere cogitur, redire poſſit .* Inde patet, diſciplinam permittendi opera ſervilia in quibuſdam diebus feſtis, urgente adhuc præcepto audiendi Sacrum, & manente ritu diei feſti, ante annos biſcentum in illis regionibus obtinuiſſe.

XX. Jam vero rem noſtram repetamus. In Capella Palatina Panormitana Proreges Siciliæ, cum toto Regio Conſilio, Senatu Panormitano, Proceribus Regni, quos Titulatos vocant, ſtatis quibuſdam feſtis, Solio inſidentes adeſſe ſolent Rei Divinæ, præſertim in Dominicis Adventus, & Tempore Quadrageſimæ ad ſermones audiendos. Ibi nulli licet niſi Proregi, vel Cardinalibus uti ſericis ſedibus, ac cervicalibus: ſed anno *1629*. Prorege Duce Alburquerque permiſſa eſt Petro de Nyla Judici Regiæ Monarchiæ ſolemniter celebranti ſedes ſerica cum tapete, ſicque etiam ſuis ſucceſſoribus. Præterea in quibuſdam ſolemnitatibus Proreges ad Metropolitanam Eccleſiam, vel Eccleſias Monialium, aut Regularium (uti in feſto S. Joſeph ad Eccleſiam Teatinorum) ſe conferunt magna cum pompa ad audiendam ſolemnem Liturgiam. Solium Proregis pluribus gradibus ſublime excitatur in cornu Evangelii, & prope Proregem ſedentem aſtat Tribunus Celerum vulgo *Capitano della Guardia del Corpo*; ſedent vero in ipſius Solii gradibus, qui in negotiis tum civilibus, tum criminalibus jus dicunt, Curatores ærarii Regii vulgo *Procuratori del Fiſco*, & Protonotarius, & Secretarii Regni. Inter Altare & Solium Proregis inſident ſedibus tres Supremi Magiſtratus, quos Præſides vocant, & Aſſeſſor Proregis, quem Conſultorem nuncupant; hos ſequuntur in ſcamno Magiſtratus, qui adminiſtrant Regium Patrimonium: ex altera vero Solii parte conſidet in ſede primus e Dynaſtis vulgo Titulatis Regni, & hunc excipiunt ſcamno inſidentes Magiſtratus, quos appellant Conſiſtorii. E regione Solii aſſident ſcamno Magiſter Juſtitiarius Civitatis, ſeu *Capitano*, Prætor, & Patres conſcripti, ſeu Senatores Panormitani. Ad Introitum Miſſæ, Diaconus, qui ad Altare miniſtrat, ad Proregem accedens prope eum recitat Introitum, atque Confeſſionem; tum quoque tres Clerici, Diaconorum veſte induti, idem præſtant officium erga tres Supremos Præſides, Senatores, & primum Regni Dynaſtam. Pariter Diaconus in Altari miniſtrans thure colit Proregem, iſque ſtans, opertoque capite, thus accipit. Evangeliorum librum dignior e Clero (uti in Capella Palatina Cantor, vel Judex Regiæ Monarchiæ) Pluviali amictus, præcedentibus Caduceatoribus, & Præfecto cæremoniarum defert ad Proregem, hujus oſculo excipiendum. Si Liturgia celebretur in Metropolitana Eccleſia, præſente Archiepiſcopo, alter e dignioribus Cleri defert alterum ſacrum Codicem ab Archiepiſcopo deoſculandum. Poſt Triſagium deſcendens e Solio Prorex, ſuppoſito genibus pulvinari procumbens adorat Sanctam Euchariſtiam inter primum Dynaſtam Regni a dextra, & Prætorem civitatis a ſiniſtra. In Solium reverſus, oſculatur pro pacis ſigno auream Deiparæ iconem a digniore Cleri advectam, quemadmodum Archiepiſcopus aliam ab alio digniore delatam. Tum tres Clerici, Diaconorum indumento amicti, pacis oſculum præbent Senatoribus, Dynaſtis, atque Magiſtratibus. In Metropolitana Eccleſia ſepties in anno Prorex ſolemni pompa, præſentibus Archiepiſcopo, & Senatu adeſſe ſolet Rei Divinæ; nempe in Epiphania, Die Cinerum, Dominica Palmarum, Paſchate, Pentecoſte, Inventione S. Roſaliæ, & Nativitate Domini, uti teſtatur Amatus lib. 7. de Principe Templo Panormitano cap. 3.

XXI. Certum quoque illud eſt, in Capella Palatina Regum Neapolitanorum Andegavenſium Divina Officia perſoluta fuiſſe, Euchariſtiam aſſervatam, Oblationes factas, & Capellanos, atque Paraphoni-
ſtas

ſtas Divinum miniſterium peregiſſe, ſacras res moderante Magiſtro Regalis Capellæ. Hæc enim ſatis perſpecta ſunt ex iis, quæ hucuſque diximus. Veriſimile eſt ordinem ritumque Gallicanum, qui in Capella Regum Galliæ vigebat, Andegavenſes Principes in Capellam ſuam transfudiſſe. Et quidem in benedicendis Regiis nuptiis Gallicanos ritus ibi obſervatos, dicendum erit alibi. Veriſimile quoque eſt, a Carolo II. Rege omnem datam operam, ut ſacrum miniſterium in Aula decentiſſime ageretur; utpote quem Triſtanus Caracciolus in vita Joannæ I dicit nedum modeſtia, & humanitate, ſed & pietate, cæteriſque virtutibus inter Chriſtianos excellentiſſimum. Præſertim vero, imperante Roberto Rege ſacris rebus addictiſſimo, Rem Divinam in Aula Neapolitana, pie, rite, ſolemniterque celebratam, nullus ibit inficias. Cujus tanta fuit in Deum pietas, tantumque ſtudium erga Divina Officia, ut Minoritas plures ad ea perſolvenda in Regiis Ædibus aleret, cum quibus una, noctu, diuque illis celebrandis vacaret; Moniales quoque e clauſtris educeret, quæ Joannam neptem Divinis Officiis, Chriſtianiſque cæremoniis imbuerent. Eoque egregii Principis exemplo pariter Joannam I. incubuiſſe, ut in Capella ſua Divinus cultus efflorеſceret, conjicere fas eſt. Hinc peritiſſimos, & graviſſimos viros adgregabat Clero Capellæ Regiæ, quorum opera Divinum miniſterium ibi decentiſſime abſolveretur. Jam tum conſueverunt Neapolitani Principes in magnis quibuſdam ſolemniis, Regia pompa adeſſe Liturgiæ. Id enim a Carolo III. factum legitur anno 1383. cum Urbanus VI. Summus Pontifex, qui Neapolim adierat, & in Epiſcopio diverſabatur, die prima Januarii, Sacrum ſolemni ritu fecit in Ara principe Metropolitanæ Eccleſiæ, Rege præſente, ac vexillum manu tenente, quod Pontifex benedixit, creavitque Regem Vexilliferum, vulgo Conſalonerium Romanæ Eccleſiæ, tum Aloyſium Andegavenſem æmulum Regni diris devovit. Et die ſecunda Februarii, quæ feſtiva eſt Hypapantes, pariter in eadem Metropolitana Eccleſia Rex, & Regina, Regia pompa interſuerunt Rei Divinæ, Summo Pontifice Sacris operante, cereoſque benedictos diſtribuente Regi, Reginæ, Cardinalibus, ac Nepoti ſuo; cæteris vero Magnatibus cereos exhibente Cardinali Ravennatenſi. Ladiſlaum quoque Neapolitanum Regem Romæ degentem anno 1393. ſolemni pompa in die Paſchatis adfuiſſe Liturgiæ a Summo Pontifice celebratæ, conſtat ex Ordine Romano XV. edito a Mabillonio to. 2. Muſæi Italici, ubi ita legitur: *Anno Domini MCCCXCIII. die Sabbati, XVIII. Aprilis in vigilia Paſchæ, Dominus Ladiſlaus Rex Neapolitanus Romam intravit, & in Sancto Paulo omnes Cardinales ſibi obviam inverunt. Romani vero cum pallio in porta prope metam eum cum pallio receperunt, ſub quo ſolus per totam urbem uſque ad gradus S. Petri equitavit. Duo vero Diaconi Cardinales, qui eum aſſociabant ante Banderenſes equitabant, & illi vexilliferi Romanorum immediate ante Regem equitabant: poſt Regem immediate Patriarcha Gradenſis, & poſt eum Comes Laurentii, & alii milites, & Prælati. Die vero Sanctæ Paſchæ in Miſſa Rex ſemper ſervivit Papæ de aqua, & ſemper ſedebat inter duos primos Epiſcopos Cardinales: deinde Patriarcha Conſtantinopolitanus poſt priorem Presbyterum Cardinalem, qui erat tertius in illa ſede, deinde Subprior, deinde Patriarcha Gradenſis, & ſic omnes alii. In prandio vero dictus Rex in menſa etiam ſedebat inter duos primos Epiſcopos Cardinales*. Regi itaque Neapolitano ſedes data eſt inter duos primos Epiſcopos Cardinales,

At Friderico Aragonio Principi Altamuræ filio Ferdinandi Regis adeunti Romam anno 1492. ſub Alexandro VI. Pontifice, ut paterno nomine obedientiam Pontifici profiteretur, locus adſignatus eſt tum in ſolemni Miſſa, quam in die Nativitatis Domini Pontifex celebravit, tradito ei enſe benedicto, inter duos ultimos Diaconos Cardinales; quem locum etiam occupaverat, cum ſub Paulo II. Romam venerat. Ordinem totius rei geſtæ narrat Joannes Brocharthus Præfectus cæremoniarum Pontificiarium in ſuis Diariis manuſcriptis, quæ aſſervantur in Bibliothecis Vaticana, & Caſanatenſi.

XXII. Sub Aragoniis Regibus, quam ſplendida pompa, quam inſigni cultu in Aula Neapolitana Res Divina celebrata fuerit, colligitur ex Alfonſi Regis ſumma circa ſacras res pietate, & munificentia. Cujus teſtis eſt præclariſſimus Pontanus, qui diu in Aula Aragonum Regum operam ſuam præſtitit, ſcribens libro de Apparatu cap. 4. Alphonſum ornaſſe & Regiam, in qua habitabat, & Templum, ubi ſacra faciebat, vario & nobiliſſimo ornamentorum genere; & libro de Magnific. cap. 13. referens ſacra ſolemnia ab eo peracta ſumptuoſiſſimo apparatu: *Suis temporibus*, ait, *Rex Alphonſus vicit omnes ætatis illius Reges, tum in iis comparandis, atque exhibendis, quæ ad ſacrificiorum apparatum, & Sacerdotum ſpectarent ornatum, tum in Deorum, ac Dearum ſtatuis, quas plurimas, & in iis duodecim Apoſtolorum ex argento conflatas habuit, nihil ætas illa aut ſacris ſolemnibus, aut publicis ludis ab eo editis vidit magnificentius*. Et hi quoquo ludi ad ſacras ſolemnitates ſpectabant. Nam idem Pontanus lib. de Magnific. cap. 14. memorat ludos publicos Neapoli agi ſolitos, cauſa honoris, & religionis erga Divinam Euchariſtiam. De his etiam ludis ab Alphonſo magnificentiſſime editis ſcribit Panormita lib. 1. de dictis, & factis Alphonſi n.3. *Ludos Chriſtianos magnificentiſſimo apparatu quotannis edentem Alphonſum perſpectavimus, devotiſſima, ac ſolemni repræſentatione*. Et Bartholomæus Facius lib. 9. de rebus geſtis Alphonſi Regis, ſacros illos ludos memorat, quos, Friderico Imperatore Neapoli degente, in Templo Regio S. Claræ inſtituit Alphonſus: *Ludos imprimis Chriſtianos*, inquit, *magno apparatu (quibus ſacra myſteria obitus, & reſurrectionis Chriſti Dei noſtri referebantur, in quibus cæremoniis ſe ſe ſemper magnificentiſſimum præbuit) in Claræ Templo auguſtiſſimo, ac maximo, iiſdem ſpectantibus, per noctem edidit, tanta hominum frequentia, ut nonnulli inter turbam prope enecati fuerint*. Horum omnium teſtimonio habes Alphonſum Regem agendis ſacris ſolemniis, Chriſtianis celebritatibus, Eccleſiaſticis cœremoniis, Sacrificiorum apparatui, Sacerdotum ac Templi orna ui, addictiſſimum. Atque adeo indubium eſt, Liturgiam Palatinam tunc temporis ſummopere excelluiſſe; eo præſertim, quod Regis pietas reſponderet inſigni magnificentiæ. Nam & illud in more habuit, quod ſummæ pietatis non leve eſt argumentum, ut non antea cum hoſte arma conferret, quam Rem Divinam in caſtris peregiſſet; pariterque ſtatim ab accepta victoria, ante rem omnem, ſacris rebus incubuiſſet. Ita refert Panormita lib. 3. n. 50. *Erat Rex in vico Juliano Rem Divinam ſolemniter, & devotiſſime de more, rituque agens, Rei Divinæ cultum, gloriæ, ac vitæ præponens, non prius, quam peractis Sacrificiis capere arma contra hoſtes juſſit*. Et lib. 2. n. 25. aliud inſigne illius pietatis exemplum ſuggerit: *Accepta victoria in Samnio haud procul Boviano, non prius exarmari, aut pulverem extergi paſ-*

ſus

ſus eſt, licet in mediis & æſtatis, & diei, & Apuliæ caloribus, quam Rem Divinam fecerit, Jeſuque gratias egerit jejunus, armatus, & prælio defatigatus. Ad eam rem habebat ſecum in expeditionibus Regios Sacerdotes; quorum unum, uti narrat Facius lib. 8. in obſidione Catanſarii miſit ad Antonium Centiliam, quocum de deditione ageret. Jam vero ſi in caſtris *ſolemniter, devotiſſime, de more, rituque*, præſente Rege, Sacrificia peragebantur, ipſo urgente prælio; quanta majori cum pompa, & religione, præſertim in magnis ſolemniis, Res Divina Celebranda fuit in Aula, & Capella, Rege præſente. In ea ſane nil quod ad pietatem ſpectat ſibi reliquum fecit Alphonſus. Nam & die Cœnæ Domini ſacra conſuevit pauperum ad ſexaginta uſque, pedes abluere, eiſdemque diſcumbentibus miniſtrare; uti refert Panormita lib. 4. n. 1. *Singulis annis per Quadrageſimam pie & religioſe facere conſuevit; quod die quidem Dominicæ Cœnæ ad veſperam linteo præcinctus ſexaginta pauperibus mendicis ſordidatis, humillime, & ſubmiſſe ſuis manibus pedes lavat, atque exterſos deoſculatur. Poſt hæc diſcumbentibus illis propinat, atque miniſtrat, cœnatos vero omnes dimittit cum pecunia, & veſtibus novis*. Eodem etiam teſte lib. 1. n. 53. Regi in more fuit Domini noſtri Jeſu Chriſti Corpus pedibus comitari, quocumque deferreretur. Cur a tanti parentis veſtigiis receſſiſſet Ferdinandus filius, tum præſertim, quod ad ſacrum rerum cultum excitabatur exemplis Iſabellæ Claromontiæ religioſiſſimæ, atque ornatiſſimæ conjugis? Quam vero hæc Divino cultui, & pietati ſtuduerit, illud imprimis probat, quod ſuperata ad Ænariam inſulam hoſtium claſſe, qua victoria Ferdinandus ultimam bello Neapolitano manum impoſuit; cum univerſi publice, privatimque lætarentur, quod mare liberum, quod navigatio ſecura, quod tamdem pax terra marique omnino eſſet parta, choreas agerent, convivia pararent; Iſabella, teſte Pontano lib. 6. de bello Neapolitano, victoriam Deo acceptam referret, ipſa Mariæ aras, ipſa Sanctorum Templa adiret, veneraretur, parvos liberos ante ſe ferret, cum iis ante illorum imagines procumberet, gratias ageret, vota ſolveret, ſupplicia pluribus diebus faceret: nihil civitas univerſa, nihil nobilis, ignobilis, Sacerdos omiſit, quod ad declarandam lætitiam; nihil Iſabella, quod ad gratum animum erga Deum, ac Sanctos teſtificandum pertineret. Regnante Alphonſo II. in Capella Palatina celebrari conſueviſſe Liturgiam ſolemni pompa, Rege ſolio inſidente, cum univerſo Aulico comitatu, ex iis, quæ mox ſubdemus, perſpectum erit. Ferdinandus II. & Fridericus noſtrorum Regum poſtremi, brevi eo tempore, quo imperium irruentibus hoſtibus tenuerunt, non pauca ſuæ pietatis argumenta reliquerunt. Intererant ſæpe Divinis Officiis in Eccleſia Montis Oliveti ab eorum parente pluribus beneficiis aucta, illiuſque Monachis fuerunt addictiſſimi: Proregibus quoque, qui primi, pulſis Regibus Aragoniis, Neapolitanum Regnum vicario nomine adminiſtrarunt, mos fuit adeundi Eccleſiam illam in magnis ſolemniis, præſertim in Hebdomada Sancta, uti refert Capaccius.

XXIII. Cum igitur Neapolitani Reges ſtudioſiſſimi, ac amantiſſimi fuerint agendæ Rei Divinæ; illud expendendum eſt, quonam ritu Palatina Liturgia abſolvebatur. Quod quidem a noſtrarum rerum Scriptoribus omiſſum, impervium eſſet, niſi Joannes Brochartus Præfectus cæremoniarum Pontificiarum, qui ſub Alexandro VI. Neapolim adiit anno

anno 1494. ut omnem ordinem Coronationis Alphonſi II. a Cardinale Joanne Borgia Archiepiſcopo Montis-Regalis peragendæ moderaretur, rem aperiret in ſuis Diariis manuſcriptis Romæ aſſervatis in Bibliothecis Vaticana, Caſanatenſi, & S. Andreæ de Valle. Narrat ille in hiſce Diariis conjugium celebratum in Capella Palatina Arcis Novæ inter Sanciam Regis filiam notham, & Joffredum Borgiam Alexandri VI. nepotem, tum ſolemnem deſcribit Liturgiam, quæ in Palatina Æde, hac occaſione peracta eſt. Itaque refert, die Dominica, quæ undecima erat menſis Maii, Regem, Legatum, D. Joffredum ſponſum, D. Sanciam ſponſam, una cum omnibus Dynaſtis, Proceribus, atque Regiæ cognationis Principibus adiiſſe Capellam Arcis Novæ: eis occurriſſe ad Capellæ fores Epiſcopum Gravinenſem Pontificalibus indutum ornamentis, ibique benedixiſſe annulum nuptialem: ea finita cœremonia (quam agentes de Regum conjugio enarraturi ſumus) univerſos ingreſſos eſſe Eccleſiam, atque Miſſam inchoatam: *Legatus, & Rex*, ait, *fecerunt orationem ante Altare in faldiſtoriis ipſis ibidem præparatis, Legatus ad dextram Regis, finita oratione, depoſita ſunt ambo faldiſtoria, & portata ad thalamum, ibidem paratæ duæ ſedes de broccato juxta murum, una verſus Altare pro Legato, alia juxta illum verſus portam Capellæ pro Rege. Rex aſcendit thalamum ad ſedem ſuam, ubi ſtetit: Legatus manſit apud Altare, & cum eo fecit Confeſſionem Epiſcopus celebraturus qui ſtetit ad ſiniſtram Legati. Finita Confeſſione Legatus aſcendit thalamum, cui occurrit Rex uſque ad Presbyterium, quod tamen fuit præter cæremonias debitas, & præter veram ordinationem. Ibidem in thalamo in ſede ſua ſtans Legatus, miniſtrante Diacono naviculam, & me, in thuribulo impoſuit incenſum, Epiſcopus incenſavit Altare, & ipſe incenſatus, & non Legatus, neque Rex, credo tamen, quod convenienter potuerunt ambo ipſi incenſari, & ſic male fuiſſet, quia nec Papa ſine Pluviali, & Mitra exiſtens incenſatur, niſi poſt Offertorium. Subdiaconus dicta Epiſtola non eſt oſculatus manum Legati, ſed Celebrantis. Ad Evangelium Diaconus eidem Legato naviculam, & me thuribulum miniſtrante, impoſuit incenſum, & benedixit Diacono Evangelium dicturo. Poſt Evangelium Legatus, & Rex ſimul Evangelium ſunt deoſculati, tamen minus convenienter, quia Legatus primo debebat oſculari, deinde Rex, Rege tamen prius invitato; & fuerunt per Diaconum ambo incenſati, & male, ut ſupra dixi, poſt Legatum cuilibet ter dato thuribulo. Ad oblationem Legatus benedixit aquam in ſacrificium ponendam; & miniſtrante R. D. Juliano Epiſcopo Tropejenſi, Regis Capellano Majore, qui itidem in thalamo mihi ad manus erat, naviculam, quod Diaconus in Altari erat præpeditus, & me thuribulum, Legatus impoſuit incenſum, Celebrans incenſavit oblata in Altari, & fuit incenſatus ipſe bis, Legatus & Rex ter cis in thuribulo ducto per Diaconum.* Pergit deinde enarrans reliquum Liturgiæ ordinem, rituſque ſpectantes ad conjuges, qui præſentes aderant, quod nempe ad elevationem Hoſtiæ, hi tenuerint manibus cereos accenſos; quod facta elevatione, quatuor Magnates umbraculum ſuper ſponſos expanſum fulciverint; quod benedictionem, & pacem conjuges in Miſſa acceperint; ſed notat, Regem, & Legatum non accepiſſe pacis oſculum, & *quia ita dixerunt eſſe conſuetum*; quod expleta Miſſa ſponſi obtulerint cereos, ac nummos; quod denique Legatus ſolemnem benedictionem dederit, ac Indulgentias, iiſque peractis, univerſi ad

ædes

Digitized by Google

ædes ſuas redierint. Hos ritus nuptiales alibi expendemus.

XXIV. Paulo poſt enarrat Brochartus idem, quem locum quiſque Procerum in Capella, & Liturgia Palatina obtinuit, & quo ritu ibidem decantatæ fuerint Veſperæ: *In Capella hodierna*, inquit, *Prælati locum habuerunt in ſcamnis in oppoſito ſolii, ſive thalami poſitis; Barones vero ante, & juxta thalamum; Damicellæ vero & mulieres ante, & juxta ſcamna Prælatorum. Fuerunt Veſperæ in eadem Capella, quibus Legatus, & Rex interfuerunt, & Epiſcopus Gravinenſis illas particulariter decantavit organis, qui triplices ſunt* (ita enim habet ille) *in ipſa Capella, omnes prædicti, non tamen ſimul, ſed modo unus, modo alius Pſalmorum verſus viciſſim ſonabant, unum verſum cantabant Cantores, alium pulſabat organiſta, adeo quod Veſperæ hujuſmodi ad duas horas duraverunt. Parati fuerunt in eadem Capella tunc duo thalami, unus pro Legato verſus cornu Epiſtolæ, alius verſus cornu Evangelii pro Rege, ad cujus Regis ordinationem non fueram vocatus, hoc videns dixi Regiæ Majeſtati non convenire, cum ſuus thalamus eſſet in digniore loco conſtitutus, neque etiam mutationem convenire, ſed potius, quod ſimul ambo ipſi in eodem thalamo ſe locarent: Unde Rex ſtatim deſcendens, Legatum ſecum duxit ad ſuum thalamum, eumque eo, mea ſententia habita, aſcendit, & inde ſedes paravit, & faldiſtoria, prout ſuperius dixi. Excuſavit ſe Rex, & Major Capellanus ſuus, qui hoc ordinaverat, dicentes ſic alias temporibus Cardinalium Agrienſis, & de Aragonia, & aliorum fuiſſe obſervatum, quod ſi fuit, male fuit. Et finitis illis Veſperis, depoſitus fuit ille ſecundus thalamus verſus cornu Epiſtolæ poſitus, & ibidem ſcamna pro Prælatis poſita, pro quibus prius nullus erat locus ordinatus in eiſdem Veſperis. Epiſcopus habuit quatuor Capellanos omnes ſuperpelliceis, & Pluvialibus indutos, quorum unus de Baculo, alius de Mitra, alius de Libro ſerviebat, & alius ſibi aſſiſtebat.* Dominus vobiſcum, *& Orationem dixit ad populum converſus; & Capitulum etiam ad populum converſus, diſtracta Mitra dixit ipſe Epiſcopus, & incenſum impoſuit in medio Altaris, & cum Mitra Altare incenſavit, de quibus omnibus, finitis Veſperis, ipſe ego regulam dedi. Servierunt hoc mane in Miſſa D. Honufrius Nicolai, & Raphael Dimina Diaconus Capellæ S. D. N. Papæ, & in omnia alia fuerunt more Capellæ noſtræ obſervata. Sedes Legati, & Reges erant camerales ſine ſcabellis, & faldiſtoria erant ſedilia Regalia cuſſinos habentia loco ſcabellorum.*

XXV. Hunc ordinem Liturgiæ Palatinæ, non quidem tunc primum occaſione illius conjugii Brochartus ipſe Pontificiarum cœremoniarum Præfectus ſtatuerat; imo is nonnullas carpit cœremonias, quod nempe una ſimul Rex, & Legatos deoſculati fuerint Evangeliorum librum, & thus acceperint. Quamobrem ordo ille agendæ ſolemnis Liturgiæ Palatinæ jam antea in Capella Regis obtinuerat; quod ipſe indicat Brochartus referens nec Regem, neque Legatum donatos fuiſſe pacis oſculo, *quia ita dixerunt eſſe conſuetum*. Quinimo innuit Brochartus, ſolemnem Liturgiam Palatinam celebratam plures fuiſſe, cum nempe Cardinales Agrienſis, de Aragonia, aliique Neapolim adiere. Cardinalis ille Agrienſis, quem memorat Brochartus, fuit Gabriel Rangonus Minorita Veronenſis, & Epiſcopus Agrienſis in Hungaria, quem Xiſtus IV. anno 1477. in Cardinalium Ordinem cooptavit, quique in Neapolitano Regno functus eſt legatione Sedis Apo-

ſto-

ſtolicæ, ut ad arma capienda contra Turcas, fideles excitaret. Cardinalis vero de Aragonia ibidem memoratus Ferdinandum I. Regem, & Iſabellam Claromontiam parentes habuit, atque anno 1478. Neapoli, in die Epiphaniæ accepit inſignia Cardinalitiæ dignitatis, ei a Xiſto IV. collatæ. Præter hos, alii Cardinales plures, variis temporibus Neapolim venerunt, ad Legationes obeundas; quos inter recenſendus eſt Ludovicus Cardinalis Aquilejenſis, qui Legatum egit apud Alphonſum Regem, ut illum cum Eugenio Papa conciliaret; cujus rei meminit lib. 8. Bartholomæus Facius. Itaque in Capella Palatina noſtrorum Regum mos erat celebrandi ſolemnem Liturgiam, Rege præſente; & hujus quidem Liturgiæ is erat ordo. Rex ſedebat in ſublimi Solio a cornu Evangelii; eique adhærebat Major Capellanus, ut Regi ſuggereret ſacra facienda, vel pronuntianda. Hinc Sacris operabatur Epiſcopus aliquis Pontificali apparatu, cui Capellani plures miniſtrabant. Ex adverſo Regii ſolii inſidebant ſcamnis Prælati, quos veriſimile eſt fuiſſe e Clero Palatino Conſiliarios, Cancellarios, Confeſſarios, Capellanoſque Regis: tum etiam Aulicæ matronæ. At circa Regis ſolium aſſidebant pariter ſcamnis Reguli, ſeu Barones, & Magnates Aulæ. In Liturgia Rex deoſculabatur Evangeliorum librum, & a Diacono thure colebatur, ſemel dicto Evangelio, iterumque peracto Offertorio. Denique tribus organis Officia Divina perſolvebantur, ita ut unum poſt aliud pulſaretur, & unum verſum Cantores, alterum Organiſta decantaret. Atque totum ordinem Palatinæ Liturgiæ Major Capellanus moderabatur: hinc illum incuſat Brochartus, quod Legati Solium in cornu Epiſtolæ juſſerit collocari. Organorum uſus in Capella Palatina noſtrorum Regum jam tum temporis obtinebat, uti in Capella Regum Galliæ; ubi ab antiquis temporibus, præſertim vero ſub Pipino, cui Conſtantinus Orientis Imperator anno 766. pneumaticum Organum dono miſit, viguiſſe muſicam inſtrumentalem, & inde traductam eſſe ad reliquas Galliæ Eccleſias exiſtimat Peiratius lib. 1. cap. 23. At nulla alia muſica inſtrumenta præter Organum in celebrandis Divinis Officiis pulſabatur, quamvis tunc temporis plures in Aula noſtrorum Regum eſſent Tibicines, & Fiſtulatores, uti compertum erit, ex dicendis de menſa ſolemni Regum noſtrorum. Et hanc quidem rationem perſolvendi Divina Officia, gravem, religioſam, atque Eccleſiaſtico ritui conſentaneam eſſe patet ex iis, quæ eruditiſſime circa hanc rem diſſervit doctiſſimus Pontifex BENEDICTUS XIV. in epiſtola datâ die 19. Februarii, anno 1749. ad Epiſcopos Pontificiæ Ditionis, ubi admiſſo Organorum uſu, rejicit ab Eccleſiaſtico cantu Tibicines, Fiſtulatores, Cithariſtas, Tympaniſtas, ac Buccinatores.

XXVI. Extincta Aragonum Principum ſtirpe, Proreges, qui Hiſpanorum Regum vice imperium adminiſtrarunt, ſtatis quibuſdam ſolemnitatibus conſueverunt adeſſe Rei Divinæ ſolemni pompa, in Capella ſua Palatina, vel quandoque in aliis Eccleſiis. Et ne Capellæ Palatinæ aliquid deeſſet, quod ad illius ſplendorem ſpectaret, Petrus Antonius de Aragonia Prorex Regni anno 1668. curavit eam ſolemni ritu conſecrari, uti ex inſcriptione illic poſita, quam refert Parrinus in Theat. Proreg. Neapol. *Ædes hæc Regia, excellentiſſimi Domini D. Petri Antonii ab Aragonia Neapolitani Regni Proregis pietate, ac ſtudio a Melphictenſi inauguratur Antiſtite. Admiranda plane egregii Principis Religio! Sacellum, quo regalius, eo & ſacratius foret, e ſacro* ved-

reddidit ſacratiſſimum. Die nono Aprilis A. D. MDCLXVIII. Quo vero apparatu Proreges ſolemni Liturgiæ aderant, breviter deſcribit Parrinus to. 1. Theat. Proreg. Neapol. ubi poſtquam dixit, in Paſchate, Nativitate Domini, diebus natalitiis Regis, & Reginæ, aut ob inſignem aliquam victoriam de hoſtibus partam, vel fauſtum aliquem eventum, morem eſſe, ut omnes Neapolitani Ordines Proregi præſtent urbana officia, addit: *Molte volte dopo ſimili complimenti fatti al Vicerè per cagion della Carica, ſuole egli tener Capella Reale nel Regio Palagio, o in qualche altra Chieſa della Città al ribombo del Cannone delle Fortezze, e ſi fa ſquadrone delle milizie, che ſi trovano in Napoli di guarnigione. A queſt' effetto ſi diſpone lo ſtrato ſul pavimento della Chieſa davanti all' Altar Maggiore, dove reſtano di guardia quattro Soldati Tedeſchi. Il Vicerè vi ſi porta pompoſamente, o in Carozza ſervito da Titolati, o in Sedia preceduto da una delle Compagnie di Cavalli delle ſue guardie, da una Carozza a ſei Cavalli vacua, e da Soldati della guardia Alemanna armati d' alabarde, e diſpoſti in due ale. Immantinente dopo marchia la Carozza, o la Sedia con la perſona del Vicerè, preceduta dalla turba degli Staffieri, e Lacchè, e ſeguitata da molte altre Carozze co' Paggi, e Gentiluomini della ſua Caſa, chiudendoſi la retroguardia dall' altre Compagnie di Cavalli. Il Vicerè entra in Chieſa, preceduto dalla guardia de' Soldati Tedeſchi, da tutta la ſervitù, così nobile come baſſa, ricevuto alla porta da tutti que' Titolati, che vi ſi trovano, e ſeguitato da Miniſtri de' Tribunali. Con queſto accopagnamento va a porſi ſopra lo ſtrato (ove ſta col capo coperto) a man deſtra del quale giace un banco con la ſpalliera per gli Eletti della Città, ed un' altro alla ſiniſtra per i Titolati. Dietro la Sedia del Vicerè ſta in piedi il Capitano delle guardie Alemanne, & in ſua aſſenza il Camariero Maggiore (ſiccome avviene in tutte le funzioni publiche) & ivi poco appreſſo all' Altare vi è un altro banco con la ſpalliera per quei del Sagro Conſiglio di Santa Chiara, del Tribunal della Camera, e della Gran Corte della Vicaria. Nel lato del Vangelo ſta un banco con la ſpalliera per i Veſcovi, il più antico de' quali dà la benedizzione al fin della Meſſa. Dall' altra parte ve n' è un' altro ſimile per i Capellani d' onore; e tutti detti banchi, ch' anno ſpallieri, ſono coperti di panno verde con l' armi di S. M. Vi aſſiſte il Capellano Maggiore in una ſedia di velluto ſenza ſpalliera poſta alquanto da parte a man deſtra del Vicerè, e fa tutte le cerimonie della Meſſa, la quale ſi celebra da uno de' Capellani della Capella Reale. Il Maeſtro di Sala, e Paggi ſtanno appoggiati al muro fra l' Altare, & il banco de' Titoli, per prendere i torchi acceſi nel tempo della Conſecrazione, e Vangelo. Terminata la Meſſa, ritorna il Vicerè a Palagio col medeſimo faſto. Nelle proceſſioni ſolenni come è quella del* Corpus Domini *nella quale il Vicerè porta il torchio lo riceve per mano del Capellano Maggiore. E corteggiato dagli Eletti della Città, che gli fanno ala davanti; ed è ſervito da Miniſtri de' Tribunali. L' aſte del Palio ſi portano da' Deputati de' cinque Seggi Nobili, e di quello del Popolo, li quali ſi mutano a proporzione, che la proceſſione entra nel territorio di ciaſcun Seggio. L' altre due del Re, e del Baronaggio le portano Perſonaggi Deputati dal Vicerè.* Atque hac olim pompa Proreges Neapolitani ſolemni Liturgiæ interfuere.

XXVII. Nunc vero temporis, quum Neapolitanum Regnum ſuos habuit Reges, nondum mos obtinuit celebrandi publicè ſacra ſolem-

 nia,

nia, ſive in Capella Palatina, ſive in aliis Eccleſiis, Rege præſente. Optandum tamen eſt, ut ad publicum pietatis, religioniſque erga ſacras res teſtimonium, & ad majorem Aulæ Neapolitanæ dignitatem, ſplendoremque, is Ordo efformetur, & in præcipuis anni feſtivitatibus ſanctiſſimè obſervetur. Idque facile confici poteſt ex iis omnibus, quæ in hoc Libro, tum ex noſtris, tum ex aliorum Principum moribus collegimus. Itaque Sereniſſimus Rex Carolus Borbonius, cujus ſumma eſt erga Divinum Cultum religio, in magnis ſolemniis adeſſe ſolebat Divinis Officiis in Capella Palatina, privatim tamen in Sacello quodam ejuſdem Capellæ, una cum Inclyta Conjuge Maria Amalia, & Proceribus Aulæ, nulloque Regio apparatu. Magnus Capellanus prope eum locum conſidet. In Paraſceve, ad adorationem Crucis accedit Supremus Præfectus Regiæ Domus gerens Regis vices; una cum Magno Capellano ad ejus ſiniſtram, ut nomine Regis veniam faciat tredecim ad triremes damnatis. Adeſt prope Magnum Capellanum Defenſor pauperum vulgo *Avvocato de' poveri*, cui conceſſæ veniæ diplomata traduntur. Feria quinta Cœnæ Domini, Magno Capellano Sacris operante, ad illa Evangelii verba, *Cœpit lavare pedes Diſcipulorum*, Religioſiſſimus Princeps duodecim pauperum pedes abluit, & oſculatur; tum eis menſæ accumbentibus miniſtrat, accipiens a Cubiculariis fercula, quæ Magno Capellano, iſque aliis Capellanis Regiis porrigit; tamdem iiſdem pauperibus ſtipem diſtribuit. In communione Regis, & Reginæ, Magnus Capellanus ad Introitum Miſſæ, prægustat unam ex Hoſtiis in Altari appoſitis, ut periculum faciat. In feſto Corporis Chriſti ſolemnem ſupplicationem eo die agi ſolitam ad Sanctiſſimam Euchariſtiam circumferendam Rex proſequitur a Templo S. Claræ uſque ad Metropolitanam Eccleſiam: Regi adhærent Supremus Præfectus Domus Regiæ, Dux Prætorianorum militum, Supremus belli Dux, Præfectus Claſſis, atque Patres conſcripti Neapolitanæ Civitatis veſte Senatoria coccinei coloris induti; præeuntibus, & una ſimul cum Capitulo Cathedralis Eccleſiæ, incedentibus Magiſtratibus omnibus, & Cubiculariis Regis, quorum ii, qui adſcripti ſunt Regali Societati S. Januarii, Torquem aureum Societatis deferunt. Conciones in Capella Palatina olim habebantur ſingulis Dominicis, & feriis quartis Quadrageſimæ: quibus ſolemni pompa aderant Proreges una cum Magiſtratibus, Patribus conſcriptis Neapolitanæ Civitatis, atque Optimatibus; ad eum fane modum, quo ſolemnis Liturgia præſentibus ipſis Proregibus agebatur. Præterea, qualibet feria ſexta poſt meridiem inſtituebatur concio in aliquem verſiculum Pſalmi *Miſerere*, & finita concione, quam Prorex in ædicula audiebat, ille idem Pſalmus a Palatinis Cantoribus decantabatur. Concionatores vero ex arbitrio Proregis, aut Capellani Majoris arceſſebantur, ut plurimum ex inſignioribus Civitatis; neque ullus erat addictus huic miniſterio in Capella præſtando. Deinde, regnante Sereniſſimo Carolo Borbonio, conciones habebantur in Eccleſia Palatina feria quarta Cinerum, & ſingulis Dominicis Quadrageſimæ, preſentibus Rege, & Regina; tum etiam qualibet feria ſexta Quadrageſimæ, quo die Rex gerendis imperii negotiis incumbens, concioni minime interveniebat. Ob ſummam vero, inſignemque Mariæ Amaliæ Inclytæ Reginæ pietatem erga Deiparam Virginem, hujus feſti dies in Capella Palatina magna religione colebantur; atque in illarum ſolemnitatum pervigilio, tum quoque novem diebus, quæ feſta Nativitatis, & Conceptionis B. Mariæ Virginis præcedunt, conciones inſti-

ſtituebantur, præſente Regina. Concionatori ſuggeſtum excitatur prope Aram principem a cornu Epiſtolæ; qua parte conciones audiunt in ædicula cryſtallis obducta, Rex, & Regina ſedibus aſſidentes, appoſito ante eos ſcabello aulæis tecto ad genua flectenda: proximi inſident ſcamnulis Supremus Præfectus Domus Regis, & Supremus Præfectus Domus Reginæ, Prima Aulæ Matrona, aliæque Matronæ Aulicæ. Ad fores Regiæ ædiculæ duo milites cuſtodes Corporis Regis conſiſtunt. Cæteri vero Aulici, ac Magiſtratus ſcamnis ſine fulcro dorſuali conſident in locis a Regio conſpectu ſubmotis; nam aliter eis ſtandum eſſet. Si Magnus Capellanus adſit, ab eo benedicendus eſt Concionator antequam verba faciat. Denique præſentibus Rege & Regina conciones a Concionatore Aulico fieri ſolebant; alioquin Oratores illi verba faciunt, quibus id Magnus Capellanus demandaverit. Iidem fere mores nunc obtinent, regnantibus FERDINANDO IV. & MARIA CAROLINA AUSTRIACA Principibus Clementiſſimis.

XXVIII. Conſueverunt olim Reges in magnis ſolemniis, publice, ſolemniterque accumbere menſæ, præſertim vero in Coronatione ſua, aut in conjugiorum celebritate; quod cum ſpectet ad rationem celebrandi in Aula inſigniores ſolemnitates, & ad officium Aulici Capellani, cui incumbit Regiæ menſæ benedictio, merito hic ſibi locum vindicat. Et quidem Imperatores Orientis, teſte Codino cap. 7. quinquies in anno, ſolemni pompa diſcumbebant, univerſis Aulæ Proceribus adſtantibus, nempe in Nativitate Domini, Epiphania, Dominica Palmarum, Paſchate, & Pentecoſte. His diebus diſcumbenti Imperatori miniſtrabat Magnus Domeſticus, a quo Proceres cuncti donabantur ferculis, Imperatori pluries acclamabatur, Cantores Palatini ſuis induti veſtibus decantabant Canticum, tum primores ſinguli de Clero Imperatorio accipiebant fercula a Magno Domeſtico, huic vero Imperator ipſe ferculum porrigebat. Sed antequam diſcumberet Imperator, benedicenda erat menſa a Protopapa Palatii: *Abſoluta Liturgia*, ait Codinus, *Imperatore ad menſam præſente, priuſquam accumbat, venit Protopapa, aut alius de Sacerdotum numero, & benedicens Imperatoriam menſam, accepto pane, & ferculo, diſcedit*. Pariter Francorum Regibus in more fuiſſe, ut in præcipuis feſtis diebus convivia lautiſſima exhiberent, colligitur ex Eginhardo in vita Caroli Magni. Narrat enim, Carolum M. in quotidiana menſa frugalitatis amantiſſimum, attamen in feſtis ſolemnioribus ſplendidiſſime convivari ſolitum: *Convivabatur rariſſime, & hoc præcipuè tantum in feſtivitatibus, tunc tamen cum magno hominum numero*. Notat Peiratius duo præſertim in menſa Regum Francorum olim uſitata fuiſſe: Horum unum eſt, quod lectionem in menſa adhiberent: ſiquidem Carolus Magnus libros audiebat Auguſtini de Civitate Dei; ſucceſſores vero Reges glorioſa Prædeceſſorum geſta; atque munus legendi in menſa Regis incumbebat alicui Aulæ Magnati. Alterum fuit, quod Regio cibo Sacerdos benedictionem conferret; quem morem vetuſtiſſimum eſſe ſuadet Gregorius Turonenſis lib. 8. Hiſt. Franc. cap. 2. narrans de Guntramno Rege: *Ablutis Rex manibus, accepta a Sacerdotibus benedictione, ad menſam reſedit*. Et ſub ſecunda illorum Regum ſtirpe Archicapellanum benedixiſſe Regiam menſam indicat Teodulphus, relatus a Cangio in Gloſſario, deſcribens Archicapellani officium, his verbis: *Stet benedicturus Regis potumque cibumque*. Nunc temporis etiam Reges Galliæ in quibuſdam ſolemnitatibus Regio apparatu, magnaque pompa accumbunt menſæ; idque dicitur *A grand*

 cou-

couvert, quum vero privatim diſcumbunt dicitur *Apetit-couvert*: præſertim vero in ſolemni Baptiſmo, aut Conjugio Regiæ prolis, uti colligitur ex Roſſuetio, & Dumontio in Cœremoniali Galliæ. Itidem in Coronatione ſua, quo die Rex indutus Regalibus ornamentis ſub umbella diſcumbit in Epiſcopio Remenſi, una ſimul cum duodecim illis Proceribus, quos Pares Franciæ vocant, Epiſcopis ſuffraganeis Eccleſiæ Remenſis, Oratoribus Principum, atque Magnatibus Aulæ. Et quidem ſex Pares laici coronas, atque alia ſuæ dignitatis indumenta geſtant; ſex vero Pares Eccleſiaſtici Pontificalibus inſignibus, nempe Pluviali, & Mitra ornati accumbunt menſæ, atque dextram partem occupant. Archiepiſcopus Remenſis, ad quem ſpectat præcipuum miniſterium in Coronatione Regis, benedicit Regias dapes, vel qui illius vices geſſit; uti in Coronatione Ludovici XV. ab Epiſcopo Sveſſionenſi factum conſtat ex monumentis relatis a Roſſuetio: & prope Remenſem Antiſtitem adſtabant Clerici duo Superpelliceo induti, Crucem, atque Pedum illius tenentes. Epiſcopi Suffraganei Rocchetto, & Mantelletta induti accumbunt in alia menſa, & Oratores Principum itidem proximi Paribus Eccleſiaſticis. At Magnatibus Aulæ menſa paratur prope Pares laicos. Fercula vero deferuntur tympanorum, & tibiarum ſonitu, præeuntibus Fecialibus, Præfecto Domus Regiæ, Præfecto Cæremoniarum, aliiſque Officialibus Aulicis.

XXIX. Cœterum ſpectat ad Magnum Eleemoſynarium, vel, eo abſente, ad Eleemoſynarium *de quartier* bene precari, & gratias agere ſive ad prandium, ſive ad cœnam Regis, ſive publice, ſive privatim Rex diſcumbat. Ad illum quoque ſpectat reſerare capſulam quamdam argenteam, Navem dictam ab ejus forma, ubi mappula Regis continetur, quam deinde Regi præbet unus e Principibus Regiæ ſtirpis, vel Magnatibus Aulæ. Itaque Magnus Eleemoſynarius, vel inferior Eleemoſynarius benedictionem, & gratiarum actionem recitat in prandio, & cœna Regis. Sed in præcipuis feſtis ad gratiarum actionem poſt prandium Regis, Rocchetto indutus, dicta oratione, quoſdam Pſalmorum verſus præcinit, ſuccinentibus Cantoribus Palatinis. Germanos Imperatores ſolemni pompa accumbere menſæ, ſtatis quibuſdam ſolemnitatibus; Capellanum Aulicum bene precari ad Imperatoriam menſam; a Muſicis Palatinis carmen aliquod decantari; cibaria deferri tympanis, tibiiſque ſonantibus, referunt Dumontius, & Rouſſetius lib. 2. cap. 6. §. 2. Cæremonialis Imperii. In Aula Hiſpana. ut teſtis eſt Dumontius lib. 1. cap. 4. §. 17. Cærem. Hiſp. expleto ſolemni prandio Regis, colliguntur a Majori Capellano reliquiæ panis, & in argenteam concham injiciuntur. Qui idem in quotidiana menſa Regis benedicit, & gratias agit; eo abſente, id ſpectat ad Capellanum illum Honorarium, qui tunc operam ſuam in Aula præſtat: attamen ſi adſit aliquis magnæ dignitatis Antiſtes, huic committi ſolet honoris cauſa munus benedicendi Regiam menſam. Pariter in Aula Regum Sardiniæ ſpectat ad Magnum Eleemoſynarium, vel inferiorem Eleemoſynarium bene precari, Rege diſcumbente; hujuſmodi officium alicui præſenti Antiſtiti exequendum permittitur. In Aula Neapolitana Capellanus Major in magnis ſolemniis benedicit Regiam menſam, & ea expleta, recitat gratiarum actionem. In aliis diebus Capellanus Regius, vel Confeſſarius Regis hoc munere fungitur.

XXX. Solemnia convivia olim a Neapolitanis Regibus exhibita memorat Pontanus lib. de Conviv. cap. 1. ubi ait: *Inſtitutum fuit*

Re-

Regum Neapolitanorum, annis ſingulis, ſtatis quibuſdam diebus parare nobilitati epulum ad Ædem D. M. Coronatæ, adhibitis etiam matronis, quod ab Alphonſo ſummo cum ſplendore ſervatum meminimus. Nam Alphonſus, uti in omni magnificentiæ genere, ita & in parandis conviviis fuit magnificentiſſimus. Unde in nuptiis Helionoræ neptis cum Friderico III. Imperatore, ut idem ſcribit Pontanus lib. de Magnif. cap. 16. menſæ apparatæ, in quibus ſupra triginta hominum millia diſcubuere, plurimique mortales onerati eſculentis plurimorum dierum domum rediere. Et Bartholomæus Facius lib. 9. de Reb. geſt. Alphonſi teſtatum reliquit, quam ſplendido convivio eumdem Imperatorem exceperit, & qui, eo finito, ludi equeſtres editi, quibus Ferdinandus filius, multique inſignes adoleſcentes certaverunt. Pretioſiſſima erat Alphonſo ſuppellex ad menſam inſtruendam; ut enim ſcribit Pontanus lib. de Splend. cap. 2. *Rex Alphonſus & cados, & dolia, & ſitulas ex argento habuit, crateres etiam ex auro, toralia, & mappas e tela conquiſitiſſima. Itaque ejus menſis nihil ſplendidius.* Sed quod majorem longe Alphonſo conciliat laudem, illud eſt, quod idem narrat Pontanus lib. de Conv. cap. 1. ſolitum nempe fuiſſe, uti colloquio doctorum virorum ad menſam: *Rex Alphonſus ſtatim poſt prandium, vel Antonium Panormitam, vel e doctis aliquem audiebat, ut qui dignum judicaret animum quoque cibo ſuo poſt paſtum corporis reficiendum eſſe.* Et rurſum cap. 6. *Attulit aliquando magnam laudem Alphonſo huic, quod litteratos, quicumque Neapoli per id tempus eſſent, in hortos ad cœnam vocaverit, lautiſſimeque acceperit.* Et ab optimo Principe ad ſucceſſores profluxit idem erga rem litterariam ſtudium; ut proinde Aragonum Regum Aula doctiſſimos viros aluerit Panormitam, Pontanum, Facium, Albinum, Sannazzarium, alioſque. Neque ab Alphonſi magnificentia in parandis conviviis receſſerunt ſucceſſores. Memorat enim Pontanus lib. de Conviv. cap. 5. ſplendidum convivium ab Alphonſo II. exhibitum Oratoribus Caroli Ducis Burgundionum: *in quo*, ait, *nihil non modo defuiſſe, ſed ne deſiderari quidem potuiſſe ab iis, qui affuere, judicatum eſt. Poſt plurimos rerum variarum miſſus, tantumque apparatum, introducti mimi, editumque ad lychnos ſpectaculum, tamdem magnificentiſſima illa comeſſantiuncula, quam collationem hodie vocari dixi, plurimis ferculis allata eſt, ac deinde inter adſtantes diffuſa, & paſſim jactata, ut omnibus ex ea eſſe liceret; ultimo donati Oratores ſplendidiſſimis muneribus.* Itaque Neapolitani Reges, ſtatis quibuſdam diebus, Regio apparatu cum Magnatibus Aulæ, & Civitatis, menſæ accumbebant: & veriſimile eſt id in magnis ſolemniis eos præſtitiſſe. Quandoque cum Epiſcopis diſcubuere, uti colligitur e monumento quodam prolato a Chioccarello in Epiſcopis Neapolitanis, ad annum 1288. his verbis: *Die Dominica 14. Aprilis. Iſta die fuit conſecratus Dominus Joannes Brito Epiſcopus Puteoli, & comederunt cum Domino Rege Archiepiſcopus Neapolitanus, Dominus Cancellarius, plures alii Prælati, & Clerici.* Porro quum Neapolitani Reges ſolemni pompa diſcumbebant, menſa ſub cœlo, & in area Regii domicilii parabatur. Magnus Seneſcallus equo inſidens aſſociabat fercula uſque ad menſam, tum ea præguſtabat. Hoc illius munus deſcribit Triſtanus Caracciolus in vita Serzannis Caraccioli, quam edidit tom. 23. Script. Ital. Cl. Muratorius. Ita enim ait: *Eſt Magni Seneſcalli toti Regiæ moderari, univerſæque familiæ, & una cum his negotia tractantibus jus dicere. Inſuper cavere vigilanter, ne vaſcula, aut cibi, quos Princeps ſumpturus eſt ve-*

veneno aliquo inficiantur ; ſolemnibus etiam Regalibus cœnis , atque epulis , equo inſidere albo , veſte ſerica , aureis laqueis circumplexa , dapes inſtructas ante prægustare : & cum ad menſam Regiam devenerit , equo deſcendere , lancemque a diſcophoro ſumptam per ſe inferre , deinde deguſtando explorare ; atque his peractis iterum equum conſcendere , & eodem miniſtrorum comitatu , ad alia fercula importanda reverti . Hunc morem Magnus Seneſcallus ſervaturus ſemper eſt , etiam ſi centies novi cibi inferendi eſſent . Hujuſmodi mores exhibet Joannes Brochartus in ſuis Diariis manuſcriptis , enarrans convivium ab Alphonſo II. quarto poſt Coronationem die , inſtructum Cardinali Legato , his verbis: *Feria ſecunda , duodecima dicti menſis Maii , Rex fecit prandium publicum cum Legato in aula Magna dicti Caſtri novi : menſa parata erat in medio aulæ juxta murum , ad dextram intrantis , habens gradus circiter quinque , vel ſex , longa erat , & in medio ſedebat Legatus ad dextram Regis , longitudinis duarum cannarum , vel circa , gradus duodecim habens , ſi recte memini , pulcherrimis vaſis plena ; in oppoſito oſtii in loco alto in muro compoſito ſtabant , ſeu ſedebant Tubicines , & Fiſtulatores Regis , qui ad introitum ſingulorum cibariorum , ſive dapium ſonabant . Magnificus Andreas Matthæus Marchio Martinæ , & Regius Major ſcalcus ad intrantium ſingulorum dapium dilationem in equo perequitabat ab oſtio uſque ad ſcalam , qua ad menſam adſcendebatur . . . . . autem recta via ab oſtio ad credentiam , a credentia recta via ad menſam , baculum album longum manu geſtans , & veſtes albas , equus albus etiam erat . Duo erant Dapiferi , unus ad dextram , qui erat Legati ; alius , qui erat ad ſiniſtram , Regis ; & omnes alii in paribus vaſibus portabantur Legato , & Regi paribus copertis : copertas vero non numeravi , quia non fui a principio prandii , ſed circa medium veni ; Legatus etiam habebat ſcalcum , baculum longum manu geſtantem , qui Regio ſcalco , ad gradus menſæ ex equo deſcendente , deſcendebat & ipſe per gradus , & ſimul cum illo aſcendebat , ſequentibus ipſos Dapiferis . Legatus habuit ſcutiferum de potu ſibi ſervientem , & Rex ad idem alium ſibi . Ipſi duo in menſa erant ; finito prandio , Legatus cum Rege intravit cameram Regiam . Nihil mihi in hoc convivio ſingulari ſingulariter placuit præter credentiam , quæ pulcherrimis , & magnis vaſis aureis , & argenteis ornata erat , quam æſtimavi ad circiter ducatos 60000.* Eodem ritu Carolus VIII. Rex Galliæ Neapolim adiens accubuit menſæ , uti refert Octavianus de S. Gelaſio loquens de illius expeditione Neapolitana : *Et ſouppa en la grant ſale du dit Chaſteau , ou l' on monte a pluſieurſ degrez de pierre , & fut ſervi par le grant Seneſchal de Naples tout a cheval , habille tout de blanc en tous ſes mets , & clerons .* Alibi quoque mos obtinuit , ut Majores Seneſcalli equites ad menſam miniſtrarent . Nam in Charta Alphonſi Imper. an. 1258. pro Friderico Duce Lotharingiæ , apud Hieron. Vignerium in familia Alſatica : *Et de infraſcriptis dignitatibus , & feudis primum vexillum damus tibi pro Ducatu in feudum , in quo , & per quod , debes eſſe ſummus Seneſcallus in Aula noſtra citra Rhenum , & debes nobis ſervire in annalibus feſtis de primo ferculo eques .* Sed & ex Bulla Caroli IV. Imperat. de elect. Reg. Rom. cap. 27. docemur , in ſolemnibus Imperatorum Curiis Electores ſæculares ad menſam equites miniſtrare ſolitos . In Gallia quoque ſpectabat ad Majorem Seneſcallum , ubi Reges ſolemni apparatu ad menſam ſedebant , miniſtrare ; uti conſtat ex plurimis monumentis apud Cangium in Gloſſario mediæ & infimæ Latinitatis .

CAPUT VIII.

DE CORONATIONE REGUM.

Ordo coronandi Imperatores Orientis. II. *De triplici Coronatione Imperatorum Occidentis*. III. *Ordo hujus Coronationis*. IV. *Et Imperatricis*. V. *De Coronatione Regum Galliæ*. VI. *Ritus hujus ſacræ cæremoniæ*. VII. *Ritus coronandi Galliæ Reginam*. VIII. *De proclamatione Regum Hiſpaniæ*. IX. *Et Regum Luſitaniæ*. X. *Ordo coronandi Reges Poloniæ*. XI. *Angliæ*. XII. *Sveciæ*. XIII. *Daniæ*. XIV. *Boruſſiæ*. XV. *Et Imperatorem Moſchorum*. XVI. *De Coronatione Regum Siciliæ*. XVII. *De eorum Regio titulo*. XVIII. *Rurſus de eorum Benedictione*. XIX. *De Coronatione Regum Neapolitanorum*. XX. *De eadem, regnantibus Andegavenſibus*. XXI. *Quæ fuerint Regia inſignia Regum Neapolitanorum* XXII. *De uſu Dalmaticæ, & lectione Evangelii in Miſſa*. XXIII. *De Coronatione Alphonſi II. Neapolitani Regis*. XXIV. *Ordo hujus Coronationis*. XXV. *De proclamatione Regum, qui ſucceſſere*. XXVI. *Ordo Coronationis* CAROLI BORBONII *Regis utriuſque Siciliæ*.

EXplicato ordine agendæ Liturgiæ in Capellis Palatinis Summorum Principum, ad inſigniores Aulicas cæremonias progredimur, quæ ſacrum miniſterium involvunt; initio ducto a Coronatione Regum, utpote quæ eſt omnium præſtantiſſima. Prima hujus cæremoniæ veſtigia occurrunt in Theodoſio juniore, quem a Proclo Patriarcha coronatum fuiſſe teſtatur lib. 2. Theodorus Lector. Martianum quoque illius ſucceſſorem ab Anatolio Patriarcha coronatum innuit Nicephorus lib. 14. Hiſt. cap. 58. eodemque teſte lib. 15. cap. 15. Leo Martiani ſucceſſor ſacro Coronationis ritu imperium capeſſivit. Zenonem, Anaſtaſium, Juſtinum benedictos eſſe, cum ad Imperium pervenere, Scriptores teſtantur; & Juſtinum quidem ſemel a Joanne Patriarcha, iterumque a Joanne I. Romano Pontifice. Nicephorus Hiſtoriam ſuam Andronico Palæologo Imperatori nuncupans, illum laudat, quod ubi ſolus imperio potitus eſt, confeſtim copias ſuas pro ipſo Deo, a quo unctus eſſet Imperator, in aciem produxerit. Et Zonaras ubi de Theophili imperio loquitur, eum ita Leonis prædeceſſoris ſui interfectores alloquentem inducit: *Cur*, inquit, *Uncto Domini ſceleratas manus attuliſtis, neque homicidæ dumtaxat, ſed & parricidæ extitiſtis*: Denique Nicetas Choniates lib. 1. de Alexio Comneno Iſaaci Angli fratre loquens dicit, illum *de more* inunctum fuiſſe in Regem. Porro Imperatorum Coronatio non raro in Eccleſia Palatina peragebatur, præſertim vero in Oratorio S. Stephani, quod extruxerat Pulcheria Auguſta, & Sancti Protomartyris Reliquiis ditaverat: ibi enim coronatos Imperatores, eorumque liberos, & Auguſtas, paſſim legimus apud Theophanem, Cedrenum, alioſque. Ordinem

nem hujus agendæ apud Græcos cæremoniæ ſuſe deſcribunt Cantacuzenus lib. 1. cap. 41. Hiſtoriæ, Codinus cap. 17. de Officiis Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, Goarius in Euchologium, Habertus in Pontificale Græcorum, Martene lib.2. cap.9. de antiquis Eccleſiæ Ritibus. Atque hæc ſumma totius rei fuit. Antequam benedictione donarentur, ſolebant Fidei profeſſionem voce, & ſcripto coram omnibus emittere; tum juxta vetuſtiſſimum morem in clypeos elevabantur; Liturgia celebrabatur, ſedente Imperatore in Solio; ante Triſagium accedebat ad Patriarcham ſtantem in ambone; is recitata benedictionis prece, ſacro oleo caput ejus perfundebat, cunctis ter acclamantibus, *Sanctus*; deinde ejus capiti Coronam imponebat, cunctis acclamantibus, *Dignus*; tum Imperator ipſe Coronam imponebat conjugi, Patriarcha quaſdam orationes pronunciante. Præterea Imperator thure ſacram Menſam, & Patriarcham adolebat, & viciſſim thure a Patriarcha colebatur; ad Symbolum, Orationem Dominicam, & Euchariſtiæ Conſecrationem ſtabat; ac tamdem, depoſita Corona, ſumebat Chriſti Corpus, & Sanguinem, & hunc quidem non ex cochleari, ſed ex Calice, more Sacerdotum. Sequebantur publicæ populi circumſtantis acclamationes, ad quem non ſemel novus Imperator e Solio ſermonem habuit; effundebantur quoque in populum numiſmata; denique ſolemni pompa equitans, ad Palatium reducebatur. Atque hoc fere ritu res ſe habuit in Oriente.

II. In Occidente a Caroli Magni ævo, quem Leo III. Romæ coronavit, Imperatores inungi conſueverunt. Ludovicum Pium Stephanus Papa IV. Lotharium Paſchalis I. Carolum Calvum Joannes IX. uti etiam Ludovicum Balbum, & Carolum Craſſum conſecrarunt. Translato deinde a Francis ad Germanos Imperio idem mos adeo invaluit, ut non ulli dicerentur, atque haberentur veri Imperatores, qui a Romano Pontifice uncti minime eſſent. Sed olim triplici benedictione, triplicique corona donabantur Imperatores in Occidente. Primo enim Coronam argenteam, tamquam Reges Alemanniæ accipiebant Aquiſgrani, quod & Carolus IV. famoſa Conſtitutione Aurea decrevit. Hæc tamen benedictio, aliquando alibi peracta eſt: ſiquidem S. Henricus, Moguntiæ; Ferdinandus I. Ferdinandus II. Maximilianus II. Matthias, Francofurti; Rodulphus II. Ferdinandus III. Ferdinandus IV. Ratisbonæ uncti fuere. Et quod ſpectat miniſtrum hujus benedictionis, Archiepiſcopus Moguntinus hoc jus ſibi vindicat, quod inter Electores principem habeat locum: Colonienſis vero Antiſtes ſibi hoc munus adſcribit, quod Aquiſgranum ſpectet ad illius Diœceſim. Nuper vero, uti referunt Dumontius, & Rouſſetius in Ceremoniali Imperii, convenere, ut quiſque ſua in Diœceſi Imperatorem inungeret; ſi vero is in aliena Diœceſi eſſet inungendus, id munus alternis vicibus præſtarent. Secunda Imperatorum benedictio olim fieri conſuevit Modœtiæ, ubi Imperatores donabantur ferrea Corona tamquam Reges Longobardorum. Sed decurſu temporis Mediolanenſes hoc ſibi vindicarunt privilegium; unde Henricus VI. & Henricus VII. aliique in Eccleſia Mediolanenſi unctionem accepere: nonnulli tamen in utraque Civitate coronati leguntur. Tertia tamdem benedictio, quæ conſtituebat Imperatorem, peragenda erat a Romano Pontifice; quemadmodum Carolus M. a Leone III. Henricus V. a Paſchali II. Henricus VI. a Cæleſtino III. & Carolus V. Bononiæ anno 1530. a Clemente VII. donati ſunt aurea Corona. At ali-

aliquot abhinc ſæculis, non jam Imperatores Italiam adeunt, ut Mediolani primum, deinde Romæ inungantur. Veteres ritus in hac cæremonia obſervatos exhibet Martene lib. 2. cap. 9. de antiquis Eccleſiæ Ritibus. De ſecunda Imperatorum benedictione legenda eſt Diſſertatio clariſſimi Fontanini de Corona ferrea Longobardorum: deque tertia legendus eſt doctiſſimus Catalanus in Commentariis ad Pontificale Romanum. Hic dumtaxat ordinem hodiernum peragendæ primæ Coronationis in Germania exhibebimus ex Goldaſto, Rouſſetio, Dumontio, aliiſque deſumptum.

III. Itaque electo Imperatore, ſtatiſque loco ac die ad ipſum coronandum, Moguntinus Archiepiſcopus hujus rei conſcios facit Magiſtratus Norimbergæ, & Aquiſgrani, ut ad deſignatum Coronationis locum Imperialia ornamenta tranſmittant. Nam Norimbergæ aſſervantur Corona aurea Caroli Magni, Anulus, Sceptrum, Pomum, Sandalia, Enſis, Cingulum, Alba Stola, & Paludamentum: Aquiſgrani vero aſſervantur Enſis Caroli Magni cum Baltheo, Liber Evangeliorum, & Protomartyris Stephani Sanguis. Stata die, Electores Eccleſiaſtici, una cum aliis Epiſcopis, & Præſulibus ſe ſe ad Eccleſiam conferunt; ubi Magiſtratus Aquiſgranenſis, & Norimbergenſis eis tradunt Imperialia inſignia. Electores vero laici comitantur Imperatorem a Palatio ad Eccleſiam: & Elector quidem Bavariæ Pomum ferens medius incedit inter Brandeburgicum Electorem a dextris ferentem Sceptrum, & Electorem Palatinum a ſiniſtris ferentem Coronam. Saxoniæ Elector denudatum Enſem geſtans, immediate præit Imperatorem; illique proximus eſt Mareſcallus vaginam Enſis deferens. Quod ſi Electores abſint, eorum Legati has partes implent. Ubi ad Eccleſiam ventum eſt, occurrunt Imperatori Electores Eccleſiaſtici induti Veſtimento Ordinis Electoralis; Conſecrator tamen, cæterique Antiſtites amicti Pontificalibus ornamentis. Tum dicta ad Eccleſiæ fores a Conſecratore oratione quadam, alii duo Electores Eccleſiaſtici Imperatorem medium inter ſe ducunt ad Altare, ubi genua ſubmittit; cœteri Electores, relictis Imperialibus ornamentis, in locum ſuum ſe recipiunt. Tunc Conſecrator Rem Divinam inchoat uſque ad Evangelium, quo temporis Imperator, depoſito pallio, aſcendit Altare medius inter duos Eccleſiaſticos Electores, & ibi genibus flexis manet, donec Litaniæ, & orationes decantentur. Quibus expletis, ſtantem Imperatorem Antiſtes Sacra faciens ſciſcitatur an Catholicam Fidem, Eccleſiam, Imperium, Imperii bona, ſubjectorum res, præſertim vero pauperum ſervare velit, tueri, ac vindicare? His omnibus ſe ſe ita facturum reſpondit Imperator; quod & præſtito juramento ad Evangeliorum librum confirmat. Poſt hæc Antiſtes multitudinem alloquitur, an in Regem ſuum illum velint habere, eidemque fidem ſervare? Acclamantibus univerſis, rurſum Imperator procumbit in genua; & Conſecrator quaſdam orationes recitat. Deinde ab Epiſcopis Suffraganeis deteguntur partes inungendæ; & Conſecrator ſolita verborum formula ungit Imperatoris caput, ſcapulas, collum, pectus, brachium dextrum, & dextram manum. Electores vero Eccleſiaſtici abſtergunt lana mundiſſima partes inunctas: quod olim fuiſſe munus Capellanorum Regis colligitur ex antiquis Ritualibus editis a Martene. Peracta unctione, idem Electores ducunt Imperatorem ad Sacellum quoddam, ubi Sandalia, Albam, & Stolam induit decuſſatam in modum Crucis, more Sacerdotum; atque ad Altare redit. Celebrans be-

benedicit Enſem Caroli Magni ſuper Altari poſitum, quo ab Eccleſiaſticis Electoribus cingitur Imperator. Qui deinde ab Antiſtite Sacris operante donatur Anulo, Sceptro, & Pomo; hæcque duo poſtrema inſignia laicis Electoribus deferenda traduntur. Tandem Magiſtratus Norimbergenſes Imperatorem induunt Paludamento Imperiali, His peractis, tres Electores Eccleſiaſtici una ſimul Coronam de Altari acceptam ejus capiti imponunt; atque Imperator Germanico idiomate legit conſueti juramenti formulam. Tum decantatur Evangelium, & Symbolum: ad Offertorium vero Imperator ferens Sceptrum, & Pomum, offert ad Altare numiſma aureum. Quoties ad Altare accedit, Corona ab illius capite auferenda eſt ab Electore Palatino: quemadmodum ab aliis Electoribus laicis alia Imperialia ornamenta tolluntur. At ſpectat ad unum ex eccleſiaſticis Electoribus exhibere Imperatori Evangelium deoſculandum, pacifque oſculum, & thure illum colere. Abſoluta Liturgia, ſumptaque ab Imperatore Sacra Euchariſtia, ducitur ab Eccleſiaſticis Electoribus ad Solium, ibique collocatur, præcinente Antiſtite, qui Sacris eſt operatus, Hymnum, *Te Deum laudamus*. Quo decantato, Archiepiſcopus Moguntinus nomine omnium Imperatori gratulatur; ac Celebrans exuit in Diaconico Pontificalia ornamenta, induitque Veſtimentum Electorale. Interea creantur ab Imperatore Equites nonnulli, percutiendo illorum humeros Enſe Caroli Magni. Deſcendenti e Solio occurrit unus e Canonicis Aquiſgranenſibus, illumque exorat, ut juxta morem prædeceſſorum Imperatorum ſe ſe inter Aquiſgranenſes Canonicos adſcribat; cui rei annuit Imperator, præſtitoque ſacramento promittit ſervaturum ſe illius Eccleſiæ jura.

IV. Imperatrix quandoque una ſimul cum Imperatore inungitur, quandoque vero diſtinctis diebus: uti contigit anno 1612. cum Matthias Imperator a Moguntino Antiſtite conſecratus eſt Francofurti. Nam Anna Auſtriaca illius conjux, altero die inuncta fuit hoc ordine, quem deſcribit Goldaſtus Polit. Imper. par. 1. *Reginæ Coronatio poſtero ſtatim Lunæ die fieri debebat, verum propter incidentia forte impedimenta ad ſequentem diem Martis 26. nempe Junii dilata fuit. Ea igitur die, æque ut præterita Solis die, ſignum campanis majoribus, a quinta ad ſeptimam matutinam horam, aliquoties datum eſt. Poſt auditam ſeptimam Electores duo Eccleſiaſtici Trevirenſis nempe & Colonienſis habitu Electorali induti ad Templum profecti ſunt, Chorumque ingreſſi, habitu iſto depoſito, veſtimenta Epiſcopalia, ſive Pontificalia, quemadmodum Moguntinus etiam, qui paulo tempeſtivus in Templum venerat, induerunt. Ponebantur autem in Altare Sceptrum, Orbiculus, Annulus, & Corona, Imperii nempe inſignia; & in Palatio ſive Aula Regis, ſæculares ſeptemviri, Principes, item Comites, Barones, & alii Proceres frequenſes conveniebant. Poſt horam octavam ad S. Bartholomæi Templum tali ordine proceſſum eſt. Principio Conſiliarii, Nobiles, aliique Officiarii, cum multis Comitibus, Baronibus, Proceribus aliis, pedites præceſſerunt; ſecuti ſunt eos, equis vecti Principes Francofurti tum præſentes, Caduceatores item quatuor, eodem quo tempore Coronationis Regiæ ordine, & habitu ornati, caduceos albos præferentes. Poſtmodum Electores equis itidem advecti inceſſerunt, Palatinus nempe Adminiſtrator habitu Electorali indutus, Orbiculumque Imperialem geſtans ad dextram, Legatus Bramdeburgicus in medio, & Mareſcallus Bramdeburgicus cum aureo Sceptro ad ſiniſtram equitans.*

tans. Hos pedes ſecutus hæreditarius Imperii Mareſcallus a Pappenheim, vaginam gladio vacuam manibus geſtavit. Succeſſit ſolus equo advectus Saxoniæ Elector habitu Electorali indutus, gladiumque evaginatum geſtans, quem ſolus itidem Rex Corona & habitu Cæſareo condecoratus, equo inſidens ſecutus eſt. Poſtmodum Regina curru precioſiſſimo advecta ſola inceſſit, Gynecæo ejus, principibuſque, & nobilibus fœminis aliis, cum viginti & amplius curribus eam comitantibus. Poſtquam in Templum ventum eſt, Electores quidem Eccleſiaſtici Pontificalibus induti e Choro obviam eis ad Altare proceſſerunt, Rex vero in peculiarem quandam ſedem, quæ a dextris juxta illam, in qua tempore Coronationis ſederat, conceſſit. At Regina in ſedem precatoriam abducta eſt; moxque Suffraganeus Moguntinus, loco Electoris, qui male habere cœperat, ad celebrandam Miſſam ſe paravit, quæ ex Sacello Cæſareo præſtanti Muſica ad Evangelium uſque continuata eſt. Poſtquam Epiſtola & ſequentia lecta eſſent, Suffraganeus ab Altari diſceſſit, Epiſcopus vero Moguntinus impoſita in caput Infula, acceptoque in manus Epiſcopali baculo ad Altare proceſſit; cumque ad Reginam facie converſus conſediſſet, Rex Corona Regia ornatus, Sceptrumque dextra, & Orbiculum Imperialem ſiniſtra tenens, ad Altare itidem acceſſit, conceptiſque verbis conjugem uti ſuam, in Reginam Romanorum Moguntinus coronaret, rogavit. Interea ſedes Reginæ precatoria propius aliquando ad Altare promota eſt; Rege igitur ad Solium ſuum concedente, Regina a Trevirenſi, & Colonienſi ad ſedem iſtam precatoriam deducta eſt, ubi una cum Suffraganeis aſſiſtentibus, & Electore Moguntino Conſecratore ipſomet, in genua procidit, preceſque ad Deum fudit. Finitis precibus, & Letania ſuper eam, eodem quo in Coronatione Regis modo lecta, Moguntinus ſurgens eam interrogabat, numquid Romanorum Regina ſalutari, & coronari cuperet, cumque cupere ſe reſpondiſſet, preces iterum habitæ ſunt, & Moguntinus quidem ad populum converſus, precatiunculam quamdam pronuntiavit. Poſtmodum Regina circa collum a Ginecæi Magiſtra nudata, & oleo a Conſecratore in cervice primum, & poſtmodum in dextro brachio, addita brevi precatiuncula, inuncta eſt. Hoc facto, Trevirenſis eam, & Colonienſis terra levatam in Chorum abduxerunt, duobus Suffraganeis adſiſtentibus, & quibuſdam ex Gynecæo ejus eam comitantibus. Ibi pretioſiſſimo Regio habitu ex panno aurato conſtante, & ſyrmate longo admodum, quod virgines quædam nobiles geſtabant conſpicuo, abſterſo primum oleo, induta eſt: cumque ex Choro iterum ad ſedem precatoriam reverſa coram Altari in genua procidiſſet, Electores Eccleſiaſtici omnes novam Coronam ab Altari levatam, capiti ejus, additis quibuſdam verbis, impoſuerunt. Conſecrator vero ſolus Anulum ei induit, Sceptrumque in dextram, & Globulum Imperii in ſiniſtram ei tradidit: quæ Imperialibus iſtis inſignibus ornata, poſtmodum facta benedictione, in Solium Regium, in quo Rex Coronationis tempore conſederat, a duobus Electoribus, & Suffraganeis abducta eſt; ubi Trevirenſis quidem Sceptrum, Colonienſis vero Orbiculum Imperialem ab ea accepta in Altare iterum depoſuerunt. Interea Conſecrator ab Altari diſceſſit, Suffraganeus vero Moguntinus Miſſam continuare cœpit. Sub Offertorio autem Regina a duobus Electoribus Eccleſiaſticis ad Altare & Sacrificium ducta eſt, cumque Agnus Dei *canendo finitus, & ablutio facta eſſet, Suffraganeo Moguntino recedente, Archiepiſcopus Conſecrator ad Altare iterum acceſſit, ubi reliqui duo Electores Eccleſiaſtici, Coronam ca-*

benedicit Enſem Caroli Magni ſuper Altari poſitum, quo ab Eccleſiaſticis Electoribus cingitur Imperator. Qui deinde ab Antiſtite Sacris operante donatur Anulo, Sceptro, & Pomo; hæcque duo poſtrema inſignia laicis Electoribus deferenda traduntur. Tandem Magiſtratus Norimbergenſes Imperatorem induunt Paludamento Imperiali. His peractis, tres Electores Eccleſiaſtici una ſimul Coronam de Altari acceptam ejus capiti imponunt; atque Imperator Germanico idiomate legit conſueti juramenti formulam. Tum decantatur Evangelium, & Symbolum: ad Offertorium vero Imperator ferens Sceptrum, & Pomum, offert ad Altare numiſma aureum. Quoties ad Altare accedit, Corona ab illius capite auferenda eſt ab Electore Palatino: quemadmodum ab aliis Electoribus laicis alia Imperialia ornamenta tolluntur. At ſpectat ad unum ex eccleſiaſticis Electoribus exhibere Imperatori Evangelium deoſculandum, paciſque oſculum, & thure illum colere. Abſoluta Liturgia, ſumptaque ab Imperatore Sacra Euchariſtia, ducitur ab Eccleſiaſticis Electoribus ad Solium, ibique collocatur, præcinente Antiſtite, qui Sacris eſt operatus, Hymnum, *Te Deum laudamus*. Quo decantato, Archiepiſcopus Moguntinus nomine omnium Imperatori gratulatur; ac Celebrans exuit in Diaconico Pontificalia ornamenta, induitque Veſtimentum Electorale. Interea creantur ab Imperatore Equites nonnulli, percutiendo illorum humeros Enſe Caroli Magni. Deſcendenti e Solio occurrit unus e Canonicis Aquiſgranenſibus, illumque exorat, ut juxta morem prædeceſſorum Imperatorum ſe ſe inter Aquiſgranenſes Canonicos adſcribat; cui rei annuit Imperator, præſtitoque ſacramento promittit ſervaturum ſe illius Eccleſiæ jura.

IV. Imperatrix quandoque una ſimul cum Imperatore inungitur, quandoque vero diſtinctis diebus: uti contigit anno 1612. cum Matthias Imperator a Moguntino Antiſtite conſecratus eſt Francofurti. Nam Anna Auſtriaca illius conjux, altero die inuncta fuit hoc ordine, quem deſcribit Goldaſtus Polit. Imper. par. 1. *Reginæ Coronatio poſtero ſtatim Lunæ die fieri debebat, verum propter incidentia forte impedimenta ad ſequentem diem Martis 26. nempe Junii dilata fuit. Ea igitur die, æque ut præterita Solis die, ſignum campanis majoribus, a quinta ad ſeptimam matutinam horam, aliquoties datum eſt. Poſt auditam ſeptimam Electores duo Eccleſiaſtici Trevirenſis nempe & Colonienſis habitu Electorali induti ad Templum profecti ſunt, Chorumque ingreſſi, habitu iſto depoſito, veſtimenta Epiſcopalia, ſive Pontificalia, quemadmodum Moguntinus etiam, qui paulo tempeſtivus in Templum venerat, induerunt. Ponebantur autem in Altare Sceptrum, Orbiculus, Annulus, & Corona, Imperii nempe inſignia; & in Palatio ſive Aula Regis, ſæculares ſeptemviri, Principes, item Comites, Barones, & alii Proceres frequentes conveniebant. Poſt horam octavam ad S. Bartholomæi Templum tali ordine proceſſum eſt. Principio Conſiliarii, Nobiles, aliique Officiarii, cum multis Comitibus, Baronibus, Proceribus aliis, pedites præceſſerunt; ſecuti ſunt eos, equis vecti Principes Francofurti tum præſentes, Caduceatores item quatuor, eodem quo tempore Coronationis Regiæ ordine, & habitu ornati, caduceos albos præferentes. Poſtmodum Electores equis itidem advecti inceſſerunt, Palatinus nempe Adminiſtrator habitu Electorali indutus, Orbiculumque Imperialem geſtans ad dextram, Legatus Bramdeburgicus in medio, & Mareſcallus Bramdeburgicus cum aureo Sceptro ad ſiniſtram equitans.*

Digitized by Google

tans. Hos pedes ſecutus hæreditarius Imperii Mareſcallus a Pappenheim, vaginam gladio vacuam manibus geſtavit. Succeſſit ſolus equo advectus Saxoniæ Elector habitu Electorali indutus, gladiumque evaginatum geſtans, quem ſolus itidem Rex Corona & habitu Cæſareo condecoratus, equo inſidens ſecutus eſt. Poſtmodum Regina curru precioſiſſimo advecta ſola inceſſit, Gynecæo ejus, principibuſque, & nobilibus fœminis aliis, cum viginti & amplius curribus eam comitantibus. Poſtquam in Templum ventum eſt, Electores quidem Eccleſiaſtici Pontificalibus induti e Choro obviam eis ad Altare proceſſerunt, Rex vero in peculiarem quandam ſedem, quæ a dextris juxta illam, in qua tempore Coronationis ſederat, conceſſit. At Regina in ſedem precatoriam abducta eſt; moxque Suffraganeus Moguntinus, loco Electoris, qui male habere cœperat, ad celebrandam Miſſam ſe paravit, quæ ex Sacello Cæſareo præſtanti Muſica ad Evangelium uſque continuata eſt. Poſtquam Epiſtola & ſequentia lecta eſſent, Suffraganeus ab Altari diſceſſit, Epiſcopus vero Moguntinus impoſita in caput Infula, acceptoque in manus Epiſcopali baculo ad Altare proceſſit; cumque ad Reginam facie converſus conſediſſet, Rex Corona Regia ornatus, Sceptrumque dextra, & Orbiculum Imperialem ſiniſtra tenens, ad Altare itidem acceſſit, conceptiſque verbis conjugem uti ſuam, in Reginam Romanorum Moguntinus coronaret, rogavit. Interea ſedes Reginæ precatoria propius aliquando ad Altare promota eſt; Rege igitur ad Solium ſuum concedente, Regina a Trevirenſi, & Colonienſi ad ſedem iſtam precatoriam deducta eſt, ubi una cum Suffraganeis aſſiſtentibus, & Electore Moguntino Conſecratore ipſomet, in genua procidit, preceſque ad Deum fudit. Finitis precibus, & Letania ſuper eam, eodem quo in Coronatione Regis modo lecta, Moguntinus ſurgens eam interrogabat, numquid Romanorum Regina ſalutari, & coronari cuperet, cumque cupere ſe reſpondiſſet, preces iterum habitæ ſunt, & Moguntinus quidem ad populum converſus, precatiunculam quamdam pronuntiavit. Poſtmodum Regina circa collum a Ginecæi Magiſtra nudata, & oleo a Conſecratore in cervice primum, & poſtmodum in dextro brachio, addita brevi precatiuncula, inuncta eſt. Hoc facto, Trevirenſis eam, & Colonienſis terra levatam in Chorum abduxerunt, duobus Suffraganeis adſiſtentibus, & quibuſdam ex Gynecæo ejus eam comitantibus. Ibi pretioſiſſimo Regio habitu ex panno aurato conſtante, & ſyrmate longo admodum, quod virgines quædam nobiles geſtabant conſpicuo, abſterſo primum oleo, induta eſt: cumque ex Choro iterum ad ſedem precatoriam reverſa coram Altari in genua procidiſſet, Electores Eccleſiaſtici omnes novam Coronam ab Altari levatam, capiti ejus, additis quibuſdam verbis, impoſuerunt. Conſecrator vero ſolus Anulum ei induit, Sceptrumque in dextram, & Globulum Imperii in ſiniſtram ei tradidit: quæ Imperialibus iſtis inſignibus ornata, poſtmodum facta benedictione, in Solium Regium, in quo Rex Coronationis tempore conſederat, a duobus Electoribus, & Suffraganeis abducta eſt; ubi Trevirenſis quidem Sceptrum, Colonienſis voro Orbiculum Imperialem ab ea accepta in Altare iterum depoſuerunt. Interea Conſecrator ab Altari diſceſſit, Suffraganeus vero Moguntinus Miſſam continuare cœpit. Sub Offertorio autem Regina a duobus Electoribus Eccleſiaſticis ad Altare & Sacrificium ducta eſt, cumque Agnus Dei *canendo finitus, & ablutio facta eſſet, Suffraganeo Moguntino recedente, Archiepiſcopus Conſecrator ad Altare iterum acceſſit, ubi reliqui duo Electores Eccleſiaſtici, Coronam*

Digitized by Google

capite Reginæ levatam, præſentibus Legatis Fuldenſibus tenendam tradiderunt: ipſa autem ad Altare producta, pulvinaria ibi diſpoſita removit, inque terram flexis genibus procidens, magna humilitate, & devotione Sacramentum Cœnæ ex manu Conſecratoris accepit; quo facto, Electores eam terra levatam in Solium Regium abduxerunt, & Coronam capiti ejus iterum impoſuerunt, quam virgines quædam ex Gynecæo ejus accedentes, ne dimoveretur amplius, capiti alligarunt. Poſtea Suffraganeus Moguntinus ad Altare iterum acceſſit, lectaque finali precatiuncula Sacrum abſolvit: quo finito, Cantores Regii Hymnum Te Deum laudamus *decantare cœperunt, cantuſque ſuavitate omnium aures, ut & per totum Coronationis actum, mirifice oblectarunt.*

V. Tardius in Galliis, uti notat Martene lib. 2. cap. 10. de antiq. Eccl. rit. Reges ſolemnem Epiſcoporum benedictionem ſuſcipere cœperunt: quippe ante Pipinum, qui Sveſſione primum a Moguntino Antiſtite Bonifacio, tum a Stephano Papa unctus eſt in Regem, nullus ab Epiſcopis benedictus legitur, ſed omnes, at Regni imperium adepti erant, a populis clypeo evecti, Reges ſalutabantur. Itaque Francorum Reges ſecundæ ſtirpis ſacro Eccleſiæ ritu ad imperium regendum cœperunt inaugurari: qua vero cæremonia id olim fieret, conſtat ex nonnullis Ordinibus editis a Martene. Ex antiquiſſimo more ſpectat ad Archiepiſcopum Remenſem munus coronandi Regem; imo & in Eccleſia Remenſi peragenda eſt Coronatio, & quidem oleo cælitus delapſo, cum B. Remigius unxit, baptizavitque Clodovæum Regem. Ordo Coronationis is eſt, quem exhibent Dumontius, & Roſſuetius in Cæremoniali Galliæ, & Hubertus Morus in libello de ſacris unctionibus. Primo ex Abbatia S. Dionyſii Pariſiis proxima adſportantur Remos ornamenta Regalia, nempe Corona, Enſis, Calcaria aurea, Sceptrum, Virga eburnea, quæ a manus ſimilitudine, quam habet in culmine, vulgo Juſtitiæ manus dici ſolet, & Ocreæ ſericæ hyacinthini coloris, totæ intertextæ liliis aureis, Tunica ſimilis Diaconali Dalmaticæ, & Paludamentum ſeu Chlamys ſimilis cappæ, quam Soccum vocant, prorſus cum Tunica ejuſdem operis, & coloris. Rex ſolemni pompa Remos ingreditur, & recta ad Eccleſiam pergit, ubi Altare oſculatur, preces fundit, munus offert, Veſpertino Officio adeſt. Illuceſcente die ad benedicendum Regem conſtituta, nonnulli nobiles viri, Rege jubente, adeunt celebre Remenſe Monaſterium S. Remigii, ubi ſacra Ampulla olei cæleſtis aſſervatur, eamque dari expoſcunt ad inungendum Regem, ſuamque fidem adſtringunt, ſe ſe, abſoluta cæremonia, eamdem Monaſterio reddituros. Interea duodecim illi Proceres Regni, quos Pares Franciæ vocant, quique in Coronatione Regis primas partes habent, ad Eccleſiam ſe conferunt. Illorum Procerum ſex ſunt ex Eccleſiaſticorum, ſex vero e laicorum numero; itidem ſex Duces, totidemque Comites: & quidem ex Eccleſiaſtico Ordine ſunt Epiſcopi Remenſis, Lingonenſis, Laudunenſis, Bellovacenſis, Noviodunenſis, & Catalunenſis; ex laicis olim erant Duces Burgundiæ, Normandiæ, Aquitaniæ, Comiteſque Flandriæ, Toloſæ, & Campaniæ; nunc vero a Rege nominantur, qui iſtorum partes impleant. Poſtquam Pares ad Eccleſiam convenere, illorum duo, nempe Epiſcopi Laudunenſis, & Bellovacenſis, una cum Remenſibus Canonicis, ſupplicatione indicta, ſe conferunt ab Eccleſia ad Ædes Regis. Ubi ad Regium cubiculum pervenere, Epiſcopus Laudunen-

dunenſis ſemel, atque iterum pulſato oſtio, interroganti Præfecto Domus Regiæ quid petat, coronandum Regem mox ille petere ſe reſpondet; tamdem tertio oſtium reſeratur. Tum duo præfati Epiſcopi accedunt ad Regem lecto incumbantem, domeſtica veſte indutum, eoque ſalutato, Laudunenſis precem quamdam recitat: deinde uterque ſurgentem de lecto adjuvat, & præeunte ſupplicatione, canentibus Canonicis Antiphonas quaſdam, itur ad Eccleſiam. Magnus Regni Comeſtabulus, ſeu qui illius vicem gerit, ferens denudatum enſem anteit Regem: ſequuntur Præfectus Domus Regiæ, Magnus Coſmeta Regius, aliique Magnates Aulæ. In Eccleſia Antiſtes Remenſis ſedet prope Altare; e regione Antiſtitis, & Altaris, collocatur ſedes Regis; poſt Regis ſedem, inſident ſcabellis Magnus Comeſtabulus, Præfectus Domus Regiæ, Magnus Coſmeta, Præfectus cæremoniarum, & primus Cubicularius Regis. Ad dextrum Altaris cornu aſſident in ſcamnis Pares Eccleſiaſtici, Cardinales, Epiſcopi, & Cubicularii Regis; ibidem duo excitantur tabulata pro Regina, & Matronis Aulicis. In ſiniſtra Altaris parte conſident Pares laici, Principes Regiæ cognationis, Equites Regalis Ordinis Spiritus Sancti; at Legati Principum, & nobiles fœminæ in tabulatis ibidem extructis adſunt ſacræ cæremoniæ. Si quis adeſſet Pontificius Legatus *a latere*, huic locus princeps concederetur in ſcamno Cardinalium: ſi quis vero adeſſet Rex, primum occuparet locum inter Pares laicos.

VI. Sedentibus itaque cunctis, quos Antiſtes Sacra faciens poſt recitatam quamdam precem adſpergit aqua benedicta, decantatur Tertia, donec ſacra Ampulla ab Abbate Monaſterii S. Remigii equo inſidente ſub umbella, præeunte ſupplicatione, deferatur ad Eccleſiam. Huic venienti occurrit Remenſis Præſul ad fores Eccleſiæ cum ſuis ſuffraganeis, & Canonicis, ibique ſacrum oleum ab Abbate accipit, poſtquam illud eidem redditurum promiſerit; acceptamque Ampullam collocat ſuper altare, ubi etiam cœtera ornamenta Regalia collocantur. Et abbas quidem S. Remigii ſiſtit prope Altare, a dextra parte; quemadmodum Abbas S. Dionyſii ſiſtit a ſiniſtra Altaris parte, quod illi ſacræ Ampullæ, huic Regalium inſignium cuſtodia ſit commiſſa. His peractis, Remenſis Antiſtes induit in Veſtiario Pontificalia ad Sacrum celebrandum, illique miniſtrant duo ſuffraganei Epiſcopi in officio Diaconi,& Subdiaconi; itidemque duodecim Canonici Diaconorum & Subdiaconorum indumentis amicti. Accedit ad Altare,tum ad Regem, a quo ſalutatur, Regemque exorat, ut ſuarum Eccleſiarum jura tueatur, quod facturum ſe ſe Princeps promittit. Tunc duo Epiſcopi, Laudunenſis, & Bellovacenſis multitudinem ſciſcitantur, an ſibi hunc Regem præfici velint? Poſtquam univerſi acclamaverint, *volumus*, Rex, tactis Evangeliis, ſacramento promittit jus ſuum cuique redditurum, & profligandis hæreticis operam daturum. Præſtito hoc juramento, nonnulliſque precibus ab Antiſtite fuſis, atque benedictis Regiis inſignibus, Pares laici Ocreis Regem induunt, atque Calcaria imponunt, quæ ſtatim removentur, ne impedimento ſint. Ad hæc Archiepiſcopus enſem vagina tectum benedicit, de Altari ſumit, eo Regem cingit, & vagina eductum porrigit Regi, quem Rex tamdiu erectum manu tenet, quamdiu Chorus Antiphonam decantaverit, & Antiſtes orationem ſubjunxerit: qua expleta, a Rege flexis genibus offertur ad Altare, ac ſuper eo collocatur; ſed Archiepiſcopus enſem rurſus de

Al-

Altari ſumit, ac Regi reſtituit, Rex Magno Comeſtabulo tradit deferendum, tota coronationis cæremonia. Archiepiſcopus deinde quibuſdam recitatis precibus, ſacram Ampullam aperiens, cuſpide aureæ aciculæ extrahit tantillum cæleſtis olei, quod miſcet cum Chriſmate ſuper Patenam Calicis aurei B. Remigii; Choro interim decantante Antiphonam. Deinde Rex, & Archiepiſcopus procumbunt ſuper ſtragulum, duoque Epiſcopi Litaniam inchoant, in qua bis invocatur B. Remigius; & ad verſum illum, *ut præſentem famulum tuum N. in Regem coronandum benedicere digneris*, ſurgit Antiſtes, ac Regem benedicit. Finitis Litaniis, poſtquam Antiſtes diu multumque ſuper ipſum Regem precatus fuerit, ſedens ungit Regem in genua provolutum, primo in vertice, ſecundo in pectore, tertio inter ſcapulas, quarto in ipſis ſcapulis, quinto in brachiorum compagibus, proferens in ſingulis unctionibus conſueta verba, & Choro Antiphonam decantante. Rurſum orat, tuncque Magnus Coſmeta, vulgo, *Gran Ciamberlano*, induit Regem Tunica hyacinthina, & Chlamydem ſuperiniicit. Mox ab Antiſtite inunguntur Regiæ manus, benedicuntur chirothecæ, quibus illæ involvuntur; Regique porriguntur quadam verborum formula Annulus, Sceptrum, & Virga. Ad hæc Cancellarius Franciæ accedit ad Altare, & ſingulos accerſit Pares Regni, primo Laicos, deinde Clericos. Quibus vocatis, Antiſtes Regiam Coronam de Altari ſumit, & eam ſolus manu tenens precatur, tum ſolus eam imponit Regio capiti; ſed illico Pares omnes manum apponunt, & eam undique ſulffulciunt. Poſtquam vero plures orationes ad benedicendum Regem Antiſtes pronunciaverit, eumdem coronatum manu ducit ad Solium in medio Eccleſiæ excitatum, præeunte Magno Comeſtabulo cum enſe denudato, ſequentibus reliquis Paribus, & Magnatibus Aulicis; ibi Regem collocat conſueta verborum formula, Hymnumque præcinit gratiarum actionis. Hymnum excipiunt conſuetæ preces, hiſque dictis, Archiepiſcopus, depoſita Mitra, Regem ſedentem ſalutat, & oſculatur inquiens, *vivat Rex in æternum*. Hoc idem præſtant reliqui Franciæ Pares ſuo ordine, primo Clerici, deinde Laici; interim aurea numiſmata in populum effunduntur. Sequitur Liturgia, quam ſolemni ritu celebrat Remenſis Antiſtes; at unus ex Eleemoſynariis Regis, ſubmiſſa voce Sacrum facit in altari prope Solium excitato. Rex ad Liturgiam deponit Sceptrum, ac Virgam; atque ad Evangelium Coronam, quam unus e laicis Paribus accipit; Evangeliorum librum, & pacis oſculum exhibent Regi, vel Epiſcopus Diaconum agens, vel aliquis Cardinalis, vel Magnus Eleemoſynarius: uti in Coronatione Ludovici XIII. die 17. Octobris, anno 1610. Cardinalis Gondi: in Coronatione Ludovi XIV. die 7. Junii, anno 1654. Cardinalis Grimaldus vices gerens Cardinalis Antonii Barberini Magni Eleemoſynarii: & in Coronatione Ludovici XV. die 25. Octobris, anno 1722. Cardinalis Rohanus hoc officium præſtiterunt. Ad Offertorium, Regiis ornatus inſignibus accedit ad Altare, eumque ſequuntur Pares omnes, Magnates Aulici, & quatuor Proceres, quorum unus defert vaſculum vini, alter panem aureum, tertius panem argenteum, poſtremus tredecim aureos nummos, qui olim dicebantur Biſantii, pro oblatione Regis. Hæc ubi Princeps obtulerit ad Altare, redit ad Solium. Antequam vero Antiſtes Pacem precetur, recitat benedictionem quamdam ſuper Regem, & populum. Pacis oſculum præbet Regi Magnus Eleemoſynarius, Rex vero

Digitized by Google

ro cœteris Paribus : Sequitur benedictio Regii Vexilli, quod vulgo Guidonem vocant. Ad Communionem, poſtquam Rex ſub tentorio quodam ad id parato confeſſus eſt peccata ſua, adit Altare, & Euchariſtiam ſumit ſub utraque ſpecie: & quidem haurit Chriſti Sanguinem e Calice B. Remigii, in quo Antiſtes Sacra myſteria conſecerat. Abſoluta Liturgia, ſub tentorio exuit ſacras veſtes, aliaſque induit; ſed Regis induſium chriſmate delibutum traditur Magno Eleemoſynario comburendum; atque Archiepiſcopus ablata a Regio capite Corona, leviorem Coronam illius capiti imponit. Tamdem reverſo Rege ad Ædes ſuas, ſolemni pompa ſub umbella accumbit menſæ, una cum Paribus, Cardinalibus, Epiſcopis, Legatis, & Proceribus Regni: atque ſupra menſam collocantur Sceptrum, Virga, & Corona major. Ludovicus XIV. altera die a coronatione ſua accepit inſignia Societatis Equeſtris Spiritus Sancti ab Epiſcopo Sveſſionenſi, a quo ſuerat inunctus; & ſequenti die, in Remenſi Eccleſia, audito Sacro, ſtrumoſis manus impoſuit. Pariter Ludovicus XV. Rex pace, belloque glorioſiſſimus, die altera ab accepta unctione, donatus eſt in Cathedrali Remenſi ab Archiepiſcopo inſignibus illius Societatis; quem deinde Solio aſſidentem cœteri Socii oſculo manus ſupremum Moderatorem Ordinis ſalutarunt: tum ſubſequenti die in Eccleſia S. Remigii ſtrumoſos curavit. In hiſce vero cæremoniis Magnus Eleemoſynarius, & Primus Eleemoſynarius de more Regi adhæſerunt.

VII. Reginarum Galliæ unctionem antiquam eſſe probant veteres nonnulli Ordines ad benedicendam Reginam editi a Martene lib. 2. cap. 10. de antiq. Eccl. rit. & a Gothoſredo in Cæremoniali Galliæ. Verum non illæ ex oleo cæleſti, neque in Eccleſia Remenſi inunguntur; ſed ex alio oleo ſanctificato, & ut plurimum in Eccleſia S. Dionyſii, ſæpe etiam in Sancta Capella Pariſienſi. Et narrat Nangius in geſtis Philippi III. Francorum Regis, Mariam Ducis Brabantiæ filiam coronatam ſuiſſe in Capella Regia Pariſienſi ab Archiepiſcopo Remenſi; idque ægre tuliſſe Gillonem Senonenſem Archiepiſcopum, & apud Romani Pontificis Legatum conqueſtum eſſe, quod Remenſis Antiſtes in aliena Diœceſi id ſibi juris uſurparet: *Sed ex parte Regis ſic allegatum fuit, quod non erat unde poſſet conqueri Senonenſis Archiepiſcopus, quoniam Capella Regis Pariſis exempta erat, & ideo ratione loci ad ipſum inunctio non ſpectabat.* His vero ritibus Regina Galliæ coronatur, quibus Maria Medicea conjux Henrici IV. inuncta fuit, die 13. Maii, anno 1610. in Eccleſia S. Dionyſii a Cardinali Giojoſa, ut ex Dumontio Cæremon. Gall. lib. 2. cap. 2. §. 5. & 6. Primo ab Ædibus Regiis ad Eccleſiam deducta eſt a Cardinalibus Gondi, & Sourdis, inter eos media, præeunte omni comitatu Aulico, Equitibus torquatis Spiritus Sancti, Principibus Regiæ cognationis; ſequentibus Matronis Regiæ ſtirpis, aliiſque illius obſequio addictis. Ubi ad Altare pervenit, in genua procubuit, Celebrans, recitata prece, ei deoſculandas obtulit Sanctornm Reliquias. Solium deinde conſcendit, ſtipata undique Principibus & Matronis Regiæ cognationis, & Proceribus Aulæ. Rurſum a duobus Cardinalibus ad Altare ducta, procumbens oravit, mox fuſis ab Antiſtite nonnullis precibus peruncta fuit ex ſacro oleo ſuper Patenam poſito, primo in capite, ſecundo in pectore; quas partes Matronæ duæ Regiæ ſtirpis denudarunt. Poſt unctionem ab Antiſtite accepit Anulum, Sceptrum, & Virgam. Tum Epiſcopus Pariſienſis (quod in aliis Reginarum benedi-

nedictionibus præſtitit Magnus Eleemoſynarius) accepta Corona, eamdem ſuſpenſam tenuit ſupra Reginæ caput, duobus Principibus Regiæ ſtirpis illam ſuſfulcientibus, donec conſueta verba pronunciarentur; quibus dictis, leviori Corona caput Reginæ cinxit. Quæ deinde traditis Sceptro, & Virga duobus Principibus, coronata rediit ad Solium, ibique ſedens, accepto a Matronis Aulicis libello precum, audivit Sacrum, quod Antiſtes ſtatim inchoavit. Ad Evangelii lectionem, Cardinalis Gondi medius inter Diaconum, & Subdiaconum miniſtrantes ad Altare, acceſſit ad Solium, atque Evangeliorum librum obtulit deoſculandum Reginæ, quæ in genua procubuit. Ad Offertorium, a duobus prædictis Cardinalibus ducta eſt ad Altare, præeuntibus Principibus Regia inſignia geſtantibus, ſequentibus vero tribus Matronis Regiæ familiæ deferentibus oblationem Reginæ. Ad Altare obtulit panem, vinum, cereumque, cui affixa erant tredecim aurea numiſmata. Reverſa ad Solium, flexis genibus audivit reliquum Liturgiæ ordinem: flexis quoque genibus accepit a Cardinale Gondi oſculum pacis. Tum rurſum ad Altare ſe contulit, ut Divinam Euchariſtiam ſumeret ſub unica tamen ſpecie. Denique rediit ad Solium, donec Liturgia abſolveretur, qua expleta, plura projecta ſunt in populum aurea numiſmata, Feciali, ſive Heraldo conclamante, *Largeſſe*.

VIII. Hiſpanos Reges antiquis Eccleſiæ ſæculis ſolemni ritu ungi conſueviſſe, indicant Concilium Toletanum VI. can. 3. ubi mentio fit ſacramenti de conſervanda Catholica fide a Rege præſtiti in ipſius inauguratione; & Concilium Toletanum XII. can. 1. aſſerens Heruigium Wambæ ſucceſſorem per ſacroſanctam unctionem accepiſſe poteſtatem regnandi. Julianus quoque Toletanus Epiſcopus in hiſtoria Wambæ Regis, hunc inunctum fuiſſe ſcribit ante Altare ab Epiſcopo Quirico, edito juramento de ſervanda Fide, & æquitate. Et in more fuiſſe apud Gothos Hiſpaniæ Reges, ut in Toletana Eccleſia unctionem acciperent, colligitur ex exhortatione Patrum Eccleſiæ ad Principes, quam inter Toletana Concilia edidit Garſias Loayſa. Verumtamen non ante Levigildum, veſte, ſolioque Regali uti ſolebant Hiſpani Reges. Ille ſiquidem, teſte Iſidoro in hiſtoria Gothorum, primus inter ſuos Regali veſte opertus ſolio reſedit: nam ante eum, & habitus, & conſeſſus communis, ut genti, ita & Regibus erat. Poſt Gothos Reges idem mos viguit: etenim Alphonſus VII. & Alphonſus VIII. ab Archiepiſcopo Compoſtellano uncti leguntur. Idem dicendum de Regibus Aragoniæ, & Navarræ, quos unctionem accepiſſe, pluribus teſtimoniis probat Valdeſius in libro de præſtantia Regis Catholici. In illorum numero Petrus II. Rex Aragonum ab Innocentio III. Romæ in Monaſterio S. Pancratii Regium accepit Diadema, & poteſtatem, ut ſucceſſores Reges coronarentur Cæſarauguſtæ ab Archiepiſcopo Tarraconenſi, uti legitur in geſtis Innocentii III. editis a Boſqueto. Aliquot tamen ab hinc ſæculis Hiſpaniæ Reges accipiendæ unctionis conſuetudinem omiſerunt, cujus rei plurimæ adducuntur cauſæ a Valdeſio. Itaque nonniſi proclamari ſolent ſequenti ritu. Die ad proclamandum Regem conſtituto, Vexillarius Regni Caſtellæ magna pompa & comitatu ad Ædes publicas ſe confert, ubi Optimates Civitatis convenere. Ibi a Prætore Civitatis, quem nuncupant *Corregidor*, vexillum accipit Regni Caſtellæ, ſuamque fidem ſcripto adſtringit, ſe ſe, abſoluta cæremonia, vexillum redditurum. Inde equitatione ſolemni ordinata, præeunte milite, ſequentibus Magiſtratibus, eorumque miniſtris, longo ordine, itur ad aream quamdam Civitatis, ubi

ubi in eminenti tabulato ad id conſtructo, expoſita eſt conſpectui omnium ſub umbella, Regis effigies. Signifer, Prætor, Proclamatores, ſeu Heraldi tabulatum conſcendunt; Caduceatores, ſive Mazzerii in gradibus conſiſtunt. Tunc Proclamatores in ſingulis tabulati angulis ter ſilentium indicunt, terque cunctos monent, ut aures arrigant. Quo facto, Vexillarius accedens ad Regis effigiem, ter clamat: *Caſtilla y Legio ha por el Rèy Catholico N. N. nueſtro Sennor, que Dios guarde*. Quæ verba ubi protulerit, vexillum utrinque agitat. Univerſi ſingulas proclamationes excipiunt plauſu; & hunc plauſum Notarii tabulis conſignant, veluti quoddam præſtiti hominii ſignum. Eadem proclamatio fit in aliis Civitatis locis, tamdemque in Ædibus publicis, ubi Vexillarius, reddito vexillo, totius rei geſtæ tabulas conſcriptas accipit. Atque hoc ritu Philippus Dux Andegavenſis Caroli Regis noſtri glorioſiſſimus parens die 24. Novembris, anno 1700. proclamatus eſt Rex Hiſpaniæ.

IX. Simili fere ritu Luſitani Reges inaugurantur; neque enim ungi conſueverunt, illamque cæremoniam vocant Exaltationem. Hinc Oſorius lib. 1. de rebus geſtis Emmanuelis Regis Luſitaniæ, refert, hunc, mortuo Joanne Rege, in Oppido Salatiæ, ubi degebat, more, & inſtituto majorum fuiſſe Regem declaratum. Ritum hujus inaugurationis deſcribit Hieronymus Coneſtaggius lib. 2. de conjunctione Caſtellæ, & Portugalliæ, enarrans, ut Sebaſtiano Regi in Africano bello extincto ſucceſſerit Henricus Cardinalis, ejus patruus: *Inauguratio*, ait, *ad hunc modum facta fuit. Die 18. Auguſti, Templum Hoſpitalis omnium Sanctorum aulæis ſericis exornarunt, & pegmate quodam extructo, in eo ſellam tela aurea ſuffultam, collocarunt. Eo aſcendit Rex tempore antemeridiano, habitu Cardinalis indutus: egredientem e Palatio octo tympana ænea, & novem præcones equites, & chlamydibus, quibus inſignia Regia inſerta erant, amicti præcedebant. Sequebantur pedites fere omnes miniſtri Aulici, Camerales, & alii Magiſtratus: hos itidem ſequebatur Dux Bragancia, equo inſidens, capite aperto, & manu enſem vagina deaurata inſignem, tamquam Comeſtabilis geſtans. Paulo poſt ſequebatur Cardinalis, inſidens mulæ, cujus habenam tenebat Alvarus Sylvius Comes de Portalegre, Magnus Aulæ Magiſter: in extremo agmine ſequebantur multi Proceres, & nobiles Equites, & ingens caterva pedes. Cardinalis ingenti multitudine ſtipatus, ad gradus Hoſpitalis deſcendit, & ingreſſus in Templum, cum ſacris, & precibus operam aliquamdiu dediſſet, conſcenſo pegmate ſedem ſibi præparatam occupavit, ſtatimque Franciſcus Sada unus ex Gubernatoribus Sceptrum ipſi tradidit: Michael vero Morus Secretarius, in loco nonnihil a ſede Regia remoto, clara voce ex ſcripto legens, dicebat, Henricum Regem, mortuo Rege Sebaſtiano, in Regno ſuccedere, & eam ob cauſam Sceptrum ipſi tradi, eumque paratum eſſe præſtare ſolitum juramentum, de conſervandis privilegiis, immunitatibus, & conventionibus, quæ vel toti populo, vel ſingulis a majoribus conceſſæ, aut cum iis interpoſitæ fuiſſent. His dictis, in genua ante Regem cum libro aperto procubuit, cumque Rex manu libro impoſita ſe ſuperiora omnia ſancte obſervaturum eſſe juraſſet, tympana magnum ſtrepitum edere cœperunt, tota multitudine clamante,* Vivat, vivat Henricus Rex Portugalliæ: *Quibus verbis auditis, Rex ab iiſdem, quibus ante comitatus, Sceptrumque manu tenens, ad Palatium, tympanis ſonantibus, & præconibus nonnumquam ſuperiora ver-*

ba repetentibus, reverſus eſt. Et lib. 5. refert, mortuo Henrico, Antonium Priorem Cratenſem proclamatum Regem, tradito ei vexillo civitatis. Eodem fere ritu Joannem V. religioſiſſimum Principem, die 1. Januarii, anno 1707. Ulyſſipone, Regem ſalutarunt, uti conſtat ex monumentis editis a Rouſſetio in Cærem. Luſit. cap. 2. §. 2. Verum non in Eccleſia, ſed in area ante Regias Ædes, excitato ſublimi tabulato, ubi eminebat Solium Regis, cæremonia peracta eſt. Sedente itaque Rege, unus e Magnatibus Regni proclamavit, regnandi jura ad illum traducta eſſe: mox eumdem exoravit, ut de ſervandis Regni privilegiis, atque Statutis, fidem ſuam obligaret. Quod ubi a Rege præſtitum eſt, lectaque a primo Regis Miniſtro ſacramenti formula, nobiles viri, & Magiſtratus oſculo manus illum Regem ſalutarunt, acclamante multitudine. Exinde Rex, & univerſi Eccleſiam Palatinam adiere, ut Hymno *Te Deum* agerent Deo grates. De inauguratione Joannis Ducis Bragantiæ in Luſitanorum Regem, excuſſo Auſtriacorum Hiſpaniæ Regum imperio, ita refert Cajetanus Paſſarellus lib. 1. de Bello Luſitano. *Regi deinde ſolemniter coronando condicta dies intermedia Decembris eſt, qua porro in aula ampliſſima Regiæ, Bragantiæ Dux a populo traditam imperii coronam, Luſitano ſervato more, ſuſcepit. Reliquos inde regalis auſpicii ritus perſecuturi ad Templum maximum pergunt. Chlamyde regia amictus, habituque oris, & corporis ad præſentem fortunam exculto, eques unus Bragantius ibat, cæteri pedites: mos enim erat, ſive plebejos, ſive magnates cum via pedeſtri, tum detecto ſemper capite conſequi Regem juramentum a ſubditis accepturum. Hoc ſummo ſplendore, aulæque explicato magnifice luxu, poſteaquam Templum ingreſſi ſunt, inibi ad Aram maximam pro Luſitano Rege Joanne data jurejurando fides, acceptaque eſt.*

X. Poloniæ Reges ab Archiepiſcopo Gneſnenſi Primate Regni ſolemni ritu unguntur, & coronantur: quod quidem olim Gneſnæ faciendum erat; ſed decreto Loctii Regis circa annum 1320. coronatio Regis agitur Cracoviæ. Itaque ubi electum collatis ſuffragiis Primas Regni, Magnus Mareſcallus Poloniæ, & Magnus Mareſcallus Lituaniæ renuntiaverint Regem; decantato Hymno gratiarum actionis in eodem campo prope Varſaviam, ubi ſub cælo electio Regis fit a Polonis, ad Varſavienſem Eccleſiam S. Joannis pergunt univerſi. Ibi electus ſacramentum edit de ſervandis juribus Regni: tum a Magno Mareſcallo leguntur Pacta conventa, quæ ab Archiepiſcopo Primate, poſt peractum Sacrificium, Regi exhibentur juranda. Præſtito hoc juramento, traduntur Regi a Magno Cancellario tabulæ electionis ſuæ, quas Patres conſcripti Polonorum ſubſignarunt. Ad unctionem vero accipiendam itur Cracoviam, dieque ſacram cæremoniam præcedente, defuncto Regi juſta perſolvuntur. Altera die Regem adeuntem Cathedralem Eccleſiam excipiunt Epiſcopi Cracoviæ, & Cujaviæ, ac ducunt ad Altare, ubi illum paucis alloquitur Archiepiſcopus ad rem, de qua agitur. Præmiſſis deinde ab Antiſtite conſuetis interrogationibus, Rex flexis genibus ſacramento promittit ſe ita facturum, ac inſuper jura, privilegia, conſuetudines Regni ſervaturum; ita ut ſi huic ipſe deſit officio, jam nullo fidelitatis vinculo erga Regem ſervando ſubjecti populi adſtringantur. Hanc juramenti formulam Magnus legit Cancellarius, quo incipiente verba, Rex ſequitur; tamdem Evangelia oſculatur. Leguntur deinde Pacta conventa, quibus auditis, rurſum confirmatur a Rege præſtitum ſacramentum. Ad hæc Archie-

chiepiſcopus, recitatis benedictionis precibus, inungit illius dextram manum, brachium, cubitos, & humeros. Quo peracto ducitur a præfatis duobus Epiſcopis ad Veſtiarium, ubi Regalia induit veſtimenta, atque præeunte Vexillifero Regni Solium conſcendit, & rem Divinam audit. Ea expleta, accedit ad Altare, ubi antea collocata fuerant Regalia inſignia, atque ab Antiſtite accipit Enſem, quem ille tradit Magnati Enſifero Regni, a quo rurſum porrigitur Antiſtiti, is Regem Enſe cingit, denique Rex eductum vagina ter in aerem vibrat. Corona deinde imponitur Regio capiti, illamque ſuffulciunt præſati duo Epiſcopi; tum Sceptrum, & Pomum Regi porrigitur. His ornatus inſignibus ducitur ab Antiſtite ad Solium, præeunte Magnate Enſigero Regni, qui tota cæremonia denudatum enſem coram Rege deſert, collocatoque Rege in Solio, Hymnus gratiarum actionis decantatur. Quo finito, Rex ad Altare offert aureum numiſma, Euchariſtiam ſumit, & benedictionem accipit ab Antiſtite. Magnus Mareſcallus Regni acclamat: *Vivat Rex*, multitudine itidem acclamante.

XI. Scotorum, & Anglorum Regum unctio antiquiſſima eſt. Nam de Edgara Rege Scotiæ ſilio S. Margaritæ, & Marcolmi Regis, anno 1013. ſcribit Joannes Leslæus Epiſcopus Roſſenſis lib. *6.* de origine, moribus, & rebus geſtis Scotorum, ipſum inunctum fuiſſe a Godrico Epiſcopo Sant-Andreano; atque S. Margaritam ab Urbano Pontifice obtinuiſſe, ut deinceps Reges ab illo Antiſtite ungerentur. Joannes XXII. confirmavit Epiſcopo Saut-Andreano jus inaugurandorum Scotiæ Regum. Quod Anglos ſpectat Reges, Guillelmus ille, qui ob Angliam ſubactam Conqueſtor nuncupatur, ſacro oleo ab Epiſcopis delibutus dicitur a Walſinghamo. Qui idem refert Richardum II. Eduardum I. alioſque Reges ab Archiepiſcopo Cantuarienſi inunctos: memoratque cœleſte oleum, quod Divo Thomæ Cantuarienſi, dum exul ageret, Sancta Deipara commiſit, ut eo Reges Angliæ ungerentur, addita promiſſione, omnes fore Eccleſiæ defenſores, quod cum in ampulla lapidea repertum eſſet; eodem cupiebat Richardus II. iterum conſecrari, ſed unicam ſufficere unctionem Cantuarienſis Antiſtes declaravit, adeoque non ipſe, ſed ipſius ſucceſſor Henricus IV. illo unctus eſt. Sacram hanc cæremoniam etiam poſt ſchiſma Angli retinuere, adeout Elizabetha inungi Reginam permiſerit, etſi rem ſacram irrideret, uti refert Sanderus in libro de ſchiſmate Anglicano. Quo vero ritu olim Angli Reges coronarentur, conſtat ex nonnullis Ordinibus editis a Martene, præſertim vero ex Ordine coronationis Richardi II. quem Rogerius de Hoveden, Ann. p. 2. deſcribit. Hodiernum ungendi Regis morem hic damus, prout res ſe habuit in Coronatione Jacobi II. & Mariæ ejus conjugis, quam ſcripto tradidit Sandſortius. Primo ab aula Palatii Weſtmonaſterienſis ad Eccleſiam longo agmine, & magna pompa progreſſi ſunt Aulici, Magnates, Magiſtratus, Capellani Palatini, Epiſcopi. Proxime præibant Regi, & Reginæ aliqui Magnates Regni, ferentes Regalia inſignia. Porro inſignia Reginæ Anglorum, quæ fuſe deſcribuntur a Dumontio, & Rouſſetio, ſunt Virga eburnea, in cujus ſummitate eſt columba; Sceptrum, in cujus ſummitate Crux conſpicitur; & Corona. Regis vero inſignia ſunt, Sceptrum, Virga, & Corona S. Eduardi, Calcaria, & tres Enſes, quorum unus acumine carens dicitur *Curtana;* hiſque enſibus denotatur clementia, & utraque poteſtas Regis. Regina incedebat

bat media inter duos Epiſcopos ; uti etiam Rex : uterque vero ſub umbellis , ſeu baldacchinis delatis a quibuſdam nobilibus viris , quibus id munus ex privilegio competit. At Regem anteibant tres Epiſcopi, quorum unus ſacra Biblia, alter Patenam, tertius Calicem deferebat. Ad Eccleſiæ fores occurrerunt obviam Decanus , & Canonici Weſtmonaſterienſes,Pſalmorum verſus nonnullos decantantes. Ubi univerſi in Eccleſia ſtetere , Archiepiſcopus Cantuarienſis , comitantibus eum Magno Comeſtabulo, Magno Cancellario , Magno Coſmeta , atque Magno Mareſcallo,circuivit Eccleſiam ; & primo ad Orientem , ſecundo ad Meridiem, tertio ad Occidentem, quarto ad Septentrionem proclamavit Regem, ſimul populum percunctatus, an illi velit hominium præſtare. Plaudentibus cunctis, Chori hos Pſalmorum verſus decantarunt : *Tuum brachium cum potentia . Firmetur manus tua &c.* Interea temporis Archiepiſcopus , aliique Epiſcopi ſacras veſtes ad Altare induebant . Has cum induiſſent , Rex , & Regina ad Altare acceſſerunt, ut auri libram offerrent, quam Antiſtes ſuper ſacra Menſa collocavit . Tum Cantuarienſis Antiſtes accepit Regalia inſignia a Magnatibus, a quibus delata fuerant ; duoque Epiſcopi quaſdam preces ad inſtar Litaniarum recitarunt , Rege , & Regina provolutis in genua . Poſtea Epiſcopus Elienſis aſcenſo ambone concionem habuit, ſedentibus Regibus. Concione expleta, Cantuarienſis ſedens prope ſacram Menſam, Regem ſciſcitabatur, an Angliæ mores, Eccleſiaſticorum jura , Eccleſiæ , & populi tranquillitatem , eſſet ſervaturus , & jus ſuum cuique facturus; affirmante Rege ad ſingulas interrogationes. Verum in coronatione Willelmi III. illud quoque additum fuit , an nempe Anglicanæ Eccleſiæ doctrinam eſſet conſervaturus . Ad hæc Epiſcopus Glogeſtrenſis, nomine omnium ſui Ordinis, ex libello ſupplice Regem exoravit , ut Eccleſiarum , & Epiſcoporum ſtatuta , ac jura cuſtodiret, & vindicaret. Annuente Rege, acceſſit ad ſacram Menſam, ſtatutiſque ſuper eam manibus, ſacramento fidem obligavit ſuam ; & oſculato Evangelio receſſit, genua ſubmiſit, dum Hymnum invocationis Spiritus Sancti Chorus , & orationem Antiſtes pronunciabat . His peractis , ſedit in S. Eduardi ſede . Eſt hæc ſedes lignea , qua olim utebantur Scotorum Reges in ſolemni ſua inauguratione , & quam Eduardus I. circa annum 1269. ſuperato Scotorum Rege in Angliam detulit, & in Eccleſia Weſtmonaſterienſi aſſervandam voluit. In ejus media parte appoſitus eſt lapis quadratus , quem illum eumdem lapidem eſſe opinantur, in quo Jacob pergens in Meſopotamiam caput reclinavit. Mos eſt Regum Angliæ , ut in ſua Coronatione aſſideant in ea ſede. Rege itaque ſedente , quatuor Socii Equeſtris Ordinis Periſcelidis umbraculum ſuper Regem expanſum geſtabant : & Archiepiſcopus ex ampulla olei delata a Decano Weſtmonaſterienſi inunxit Regis manus, pectus, humeros, brachia, & caput, abſtergente Decano partes inunctas. Quæ dum agebantur, Chorus pſallebat. Poſt unctionem, admota fuerunt Regi Calcaria , deinde Tunicam , quam *Colobium ſyndonis* vocant , & Chlamydem induit : tradito poſtea Enſe, quo Magnus Coſmeta Regem cinxit, Rex illum ad ſacram Menſam obtulit; & Pomum, Coronam, Anulum, Sceptrum , ac Virgam accepit . Mox , depoſitis Sceptro , & Corona obtulit aureum numiſma , benedictuſque eſt ab Antiſtite . Sedentem deinde in S. Eduardi ſede, Cantuarienſis, aliique Epiſcopi, flexo poplite, oſculoque manus ſalu-

ſalutarunt: Choro decantate Hymnum gratiarum actionis. Tum Solium conſcendit, ubi Epiſcopi primum, tum Duces, Marchiones, Comites, Vicecomites, Barones in hominii argumentum, genam Regis ſiniſtram ſunt deoſculati; primuſque ex quolibet Ordine, nomine aliorum, fauſta Regi precabatur. Preſtito hominio, Duces, Marchiones, alique Proceres Regni, aſcenſo Solio, Coronam Regis manu tetigerunt, ut ſignificarent, ſe ad illius imperium conſervandum ſuam omnem operam daturos. Interea a Præfecto Regii ærarii numiſmata aurea ſpargebantur in populum. Tamdem ſub utraque ſpecie donatus eſt communione Euchariſtica. Reginæ vero benedictio paucioribus ritibus abſoluta eſt. Nam recitata ab Antiſtite oratione, oleo perfuſa eſt in capite, & pectore; tum ei tradita fuere Regia inſignia, cum quadam precum formula. Atque ad hunc fere modum ſubſequentes Angliæ Reges coronati fuere, uti conſtat ex Cæremoniali Angliæ apud Dumontium, & Roſſuetium.

XII. Pariter Sveciæ Reges, quamvis Lutheranæ communionis, accipiendæ unctionis morem conſervarunt. Ita Carolus Guſtavus anno *1654.* Carolus XI. anno *1676.* Carolus XII. anno *1697.* & Ulrica ejus ſoror anno *1719.* in Eccleſia Upſalenſi, ab illius Civitatis Archiepiſcopo unctionem accepiſſe leguntur. Quod quidem his fere ritibus apud Suecos abſolvitur. Primo Rex ſub umbraculo a quibuſdam Magnatibus ſuffulto equitat ab Ædibus Regiis ad Eccleſiam. Præeunt Patres conſcripti, ſeu Senatores Regni geſtantes Regalia ornamenta, nempe Clavem, Enſem, Pomum, Sceptrum, Coronam: & ipſe Upſalenſis Paſtor ferens unctionis vaſculum. Sequitur Regem unus e Proceribus Regni ferens Sveciæ vexillum. In Eccleſia poſt decantatum Pſalmum, concio habetur ab Epiſcopo aliquo. Patres conſcripti Regem induunt purpureis indumentis, quibus amictus præſtat conſuetum ſacramentum de ſervandis juribus Regni, ungitur ab Antiſtite, & Regia accipit inſignia, ſed ipſemet Rex caput ſuum cingit Corona. Imo Carolus XII. Corona redimitus acceſſit ad Eccleſiam, & dum ungebatur, ſuis ipſe manibus abſtulit diadema, rurſumque capiti aptavit. Præterea in ambone proclamatur Regis Coronatio. Tum Regi ſedenti in Solio Patres conſcripti præſtant fidelitatis juramentum, juxta formulam, quæ legitur a Cancellario. In Coronatione Ulricæ Eleonoræ Principis de Haſſia-Caſſel res ita ſe habuit. Senatores Regni prætulerunt Regia ornamenta, atque ſuper ſacram Menſam collocarunt. Ingredienti Eccleſiam occurrerunt Archiepiſcopus, aliique Epiſcopi illis verbis: *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Regina Solio inſidente habita eſt concio, & poſt concionem preces. Quibus dictis, procumbens ad ſacram Menſam, tactis Evangeliis, conſuetum protulit ſacramentum, præeunte verba Magno Cancellario. Poſtea induit Regalem veſtem, rediitque ad Solium, ubi Archiepiſcopus inunxit illius frontem, ac manum compages. Qui rediens ad ſacram Menſam, ex ea accepit Regalia inſignia, & ſingula Reginæ præbuit, tamdemque Coronam illius capiti impoſuit. Fortaſſe ita factum, quod defuncto Carolo XII. Proceres Regni voluerint committendum imperium Ulricæ Eleonoræ ejus ſorori, non quidem jure hæreditariæ ſucceſſionis, ſed electionis, ut olim Sveciæ Reges conſtituebantur. Deinde ab Aulico Proclamatore renunciata fuit Svecorum Regina: tum ſinguli Senatores accerſiti, & omnium primus Princeps de Haſſia-Caſſel, conjux Reginæ, tamquam ſupremus Imperator armorum, ut fide-

Digitized by Google

fidelitatis ſacramentum perſolverent: quod flexis genibus, oſculo manum, præeunte verba Magno Cancellario præſtitum fuit.

XIII. Danorum Reges, quamvis a Romana Eccleſia diſiuncti, & ipſi inunguntur. Fridericus III. anno *1648.* die 23. Novembris in Regia Metropoli Hafniæ his ritibus coronatus eſt. Præibant Proceres Regni inſignia Regalia deferentes, & quidem Pomum a Supremo Præfecto rei maritimæ, Enſis a Supremo Duce belli, Sceptrum a Magno Cancellario, Corona a Magno Aulæ Magiſtro, geſtabantur. Rex ſub umbella, cujus fulcimenta commiſſa erant quibuſdam Magnatibus, incedebat. Habita concione ab Epiſcopo Selandiæ, Magnus Aulæ Magiſter detulit ad Regem Statuta Regni, ut illum moneret ea eſſe ſervanda. Poſtea ab Antiſtite Corona Regio capiti impoſita, & Sceptrum traditum, tum Enſis, quem Rex vagina eductum bis circa caput duxit. Quo facto, Conſiliarii omnes Regni manus ſuas admoverunt Coronæ Regis, ut innuerent ſe ad tuendum, vindicandumque ejus imperium paratos eſſe. Die ſequenti, Regina in eadem Eccleſia poſt concionem Epiſcopi coronata fuit. Verum in Coronatione Chriſtiani IV. Regis, die 7. Julii, anno *1670* ritus paulo diverſi adhibiti fuere. Nam ſumpta primum a Rege Euchariſtia in Oratorio Palatino, miniſtrante ſuo Eleemoſynario, progreſſus eſt ad Eccleſiam redimitus diademate, cinctus Enſe, Sceptrum manu tenens, umbraculo a Magnatibus Regni delato, præeunte Magno Coſmeta cum Pomo. Ad Eccleſiæ fores obviam iverunt Regi Epiſcopi tres, nimirum Hafniæ, Norvegiæ, & Cimbrorum vulgo *Jutland;* a quibus, benedictione accepta, ductus eſt ad Solium media in Eccleſia e regione ſanctæ Menſæ excitatum. Sedente Rege, Epiſcopus Hafniæ concionem habuit de fidelitate a ſubjectis gentibus Regi ſervanda. Poſt concionem, nonnulli Pſalmorum verſus decantati fuere. Tum Epiſcopus idem de unctione, ejus ſignificatione, & origine, verba fecit ad Regem. Concionem excepit lectio Statutorum Regni ab Epiſcopo Norvegiæ facta; qua lectione Rex monebatur, quid ipſi eſſet cuſtodiendum. Poſtea Rex prope ſacram Menſam, dejectis Regiis inſignibus, unctus eſt ab Epiſcopo Hafniæ in vertice, pectore, & manu dextra. Redeunte Rege ad Solium, Hymnum gratiarum actionis decantarunt. Denique Epiſcopus primum, tum univerſi acclamarunt, *Vivat Rex*. Ita quoque res ſe habuit in Coronatione Friderici IV. & Ludovicæ Reginæ illius conjugis, anno 1700. die 15. Aprilis. Nam Rex Regalibus ornatus inſignibus acceſſit ad Eccleſiam, uti etiam Regina. Ibi Solio inſidentes concionantem Epiſcopum Selandiæ audierunt; concionem excepit Hymnus invocationis Spiritus Sancti, quibus precibus abſolutis, uterque ad ſacram Menſam oleo perfuſus eſt in vertice, pectore, & manu dextra.

XIV. Cum itaque unctio Regum in more ſit etiam apud Hetrodoxos: hinc ubi Fridericus I. Marchio Brandeburgi, favente Lepoldo Imperatore, ſibi Regis Boruſſiæ titulum, dignitatemque aſſeruit, ſolemni ritu benedici, atque ungi voluit in Regiomontis vulgo *Conigsbergh* civitate, quæ eſt Boruſſiæ metropolis. Hæc cæremonia peracta fuit die 18. Januarii, anno 1701. in Eccleſia Palatina Regiomontana ab Aulicis ſacrorum Miniſtris tum Lutheranæ, tum Calvinianæ communionis; quod Princeps Calvinianorum partibus adhæreat, Boruſſi vero e Lutheranorum numero ſint. Atque hi ſacrorum Miniſtri agebant Epiſcoporum vices, utpote quia inter Calvinianos nullus eſt Epiſcoporum

rum

rum Ordo a Preſbyteris diſtinctus. Itaque aliquot ante unctionem diebus, Proclamatores in inſignioribus Civitatis locis Fridericum Boruſſiæ Regem renuntiarunt: die vero præcedenti ſacram cæremoniam, conſcripſit Princeps Equeſtrem Societatem Aquilæ nigræ, in quam plures adſcivit e ſuis Aulæ Magnatibus. Stata die, induit in Ædibus Regiis veſtimenta Regalia, atque ſuis ipſe manibus Coronam capiti aptavit, & Sceptrum accepit, ut ſignificaret, non aliis, quam ſibi Regiam dignitatem acceptam referri. At cætera inſignia, nempe Enſis, Pomum, Sigillum, Vexillum exhibita fuere nonnullis Magnatibus, ut ab iis geſtarentur. Hoc ornatu pergens ad Conjugis cubiculum, eamdem ipſe Diademate cinxit. Uterque deinde Diademate redimitus Solium in aula quadam Palatii excitatum conſcendit; ubi Proceres, Optimates, Conſiliarii, omneſque Ordines fauſta precati Regem ſalutarunt. His peractis, univerſi, longo agmine, Eccleſiam Palatinam, in qua Lutherani ſacra faciunt, adiere. Ad Eccleſiæ fores occurrerunt Principi Antiſtites ſacrorum, nempe primus Prædicator Aulicus Calviniſta, & Primus Prædicator Aulicus Lutheranus, quorum ille agebat Conſecratorem, hic Aſſiſtentem. Præter hos aderant ſex alii ſacrarum rerum Miniſtri, quos Prædicatores vocant, tres e Calvinianorum numero, totidemque e Lutheranis. Hi omnes prope ſacram Menſam ſteterunt, & prope Solium Magnates, quibus commiſſa erant Regia inſignia, & Proceres Aulici. Tum Res Divina more Lutheranorum inchoata eſt: & Conſecrator ex ambone concionem habuit in illa verba lib. 1. Reg. *Quicumque glorificavit me, glorificabo eum*. Poſt concionem Cantores Palatini quoſdam Pſalmorum verſus, & Hymnum invocationis Spiritus Sancti decantarunt. Quo finito, præfati duo Antiſtites ad ſacram Menſam ex ampulla olei, quam jubente Principe, Præfectus Regii cubiculi tradidit Conſecranti, quibuſdam precibus unxerunt illius frontem, & brachia, abſtergente inunctas partes Præfecto Regii Cubiculi. Dum vero unctio peragebatur, ſuis ipſe manibus Princeps Coronam amovit capite, rurſumque impoſuit; tum rediit ad Solium, acclamante multitudine. Poſtea pariter ad ſacram Menſam oleo perfuſa eſt Conjux, Præfecto Regii Cubiculi tradente ad imperium Principis vaſculum olei Conſecranti. Finita unctione, duo illi Antiſtites, cæterique ſacrorum Miniſtri accedentes ad Solium fauſtis precationibus Principes ſalutarunt, Choro reſpondente, *Amen*. Tum plures ab Antiſtite recitatæ preces, hymni quoque a Cantoribus dicti, tamdem Hymno gratiarum actionis, & projectione numiſmatum, finem cæremoniæ impoſuerunt. Paucos poſt dies a Coronatione ſua, Princeps in eadem Lutheranorum Eccleſia Euchariſtiam accepit.

XV. Recentiſſima eſt Coronatio Magni Ducis Moſchorum, quorum Fides, & Eccleſia conſentit cum Græcis, a quibus vergente ad exitum ſæculo nono, Fidem, & ſacram diſciplinam hauſere. Nam primus omnium Petrus Alexiovitſius, quem a rebus plurimis præclariſſime geſtis, Magnum cognominarunt, ſe ſe Imperatorem Moſchorum dixit, eoque nomine juſſit Catharinam conjugem in Cathedrali Moſchæ, quæ eſt Imperii Metropolis, die 18. Maji, anno 1724. ſolemni pompa coronari. Hujus Coronationis ordinem exhibent in Cæremoniali Moſcoviæ Dumontius, & Roſſuetius. Conſtituta ad ſacram cæremoniam die, Epiſcopi, Clericique in Eccleſia convenere, fuſiſque precibus pro ſalute Imperatoris, hujus adventum expectarunt.

Mox

Mox Imperator, & ejus Conjux magno comitatu, & inſigni pompa ad Eccleſiam ſe contulere. Imperialia ornamenta a nonnullis Magnatibus deferebantur, nempe Imperiale Paludamentum, Pomum, Sceptrum, Corona: quæ inſignia ad fores Eccleſiæ ab Archiepiſcopis Novogardenſi, & Pleskovienſi thuris ſuffitu, & aquæ benedictæ adſperſione donata fuere; tum in menſa quadam prope Imperatoris ſedem collocata. Ingredientibus Imperatori, & Imperatrici Eccleſiam, Novogardenſis Cruce deoſculandum obtulit, Pleskovienſis eoſdem ſacra aqua adſperſit. Canente Clero Pſalmum, *Miſericordiam, & judicium cantabo tibi Domine*. Imperator cum Conjuge in eminenti ſolio media in Eccleſia exſtructo conſedit; ſtantibus Magnatibus circa, & prope Solium; ſedentibus vero Epiſcopis in ſcamnis hinc, inde, ab Altari ad Solium; Legatis vero Principum, & nobilibus matronis in tabulatis ad id conſtructis. Univerſis itaque hoc ordine diſpoſitis, ſurgens Imperator, acceptoque Sceptro juſſit ut a Magno Mareſcallo accerſerentur Epiſcopi: his vero accedentibus ad Solium præcepit, ut Conjugem ſuam inungerent. Quamobrem Novogardenſis Archiepiſcopus ad Imperatricem verſus, eamdem exoravit, ut Fidei ſymbolum recitaret. Quod ubi ab Imperatrice factum eſt, Archiepiſcopus primum, deinde Clerus univerſus ſubmiſſa voce, hæc verba protulere: *Gratia Sancti Spiritus ſit tecum*. Tunc flexis genibus benedicta eſt ab Archiepiſcopo, qui imponendo manus orationem ſubdidit, qua Deum precabatur, ut illa digna fieret unctione ad Imperii, ad Eccleſiæ, Fideique utilitatem. Hac oratione abſoluta, accepit Imperator a præfatis duobus Archiepiſcopis Imperiale Paludamentum, eoque ipſe induit Conjugem ſtantem. Mox uterque procubuit in genua, dum alias preces Archiepiſcopus effunderet. Rurſum Imperator ſurgens, accepta ab Epiſcopis Corona, eam Imperatricis capiti impoſuit; Epiſcopis invocantibus nomen trium Divinarum Perſonarum. Tamdem Archiepiſcopus præbuit Imperatrici Pomum. Quibus peractis, utrumque Solio inſidentem univerſi fauſtis precationibus ſalutarunt. Poſtea Imperatrix Pomum depoſuit, & ad Altare accedentes Liturgiam audivere. Ubi vero ungenda fuit Imperatrix, ducta eſt ab Imperatore ad Sanctuarii fores, ibique delato oleo a duobus Epiſcopis, Novogardenſis inunxit illius frontem, pectus, & manus, invocando ad ſingulas unctiones nomen Divinæ Trinitatis. Partes injuctas abſtergebat Pleskovienſis Archiepiſcopus. Poſt unctionem, accepit Euchariſtiam, Archidiacono dicente: *Accedite cum fide, & pietate*. Mox Eulogiis, ſeu pane benedicto, & potu vini calidi, more Græcorum, donata eſt. His expletis, uterque receſſit e Sanctuarii foribus, donec Liturgia abſolveretur. Denique Archiepiſcopus Pleskovienſis concionem habuit de laudis Imperatricis, atque ita rei ſacræ finem impoſuit. Verum in Coronatione Imperatricis Annæ Juanownæ celebrata in eadem Eccleſia, die 28. Aprilis, anno 1730. Archiepiſcopus Novogardenſis illam induit Imperiali veſtimento, illique Diadema impoſuit, & Sceptrum præbuit; brevique oratione gratulatus eſt, quod imperium eſſet aſſecuta. Qui idem ad Sanctuarii veſtibulum oleo perfudit Imperatricis frontem, oculos, nares, os, humeros, pectus, & manus, proferens in ſingulis unctionibus hæc verba: *Hoc eſt ſignaculum Spiritus Sancti*. Tamdem ſumpta Euchariſtia, & Liturgia abſoluta, adiit Eccleſiam S. Michaelis Archangeli, fuſiſque ibi precibus, rediit ad Aulam ornata Imperialibus inſignibus.

XVI. Siciliæ Regibus adeo uſitata fuit unctio, ut plures ſcripſerint, ſolos in Occidente Francorum, Hieroſolymorum, Anglorum, & Siculorum Reges inungi. Ita Hoſtienſis, & Goffridus in Cap. un. de ſacra Unctione, Chaſſanæus par. 5. oper. de Gloria Mundi, Campegius lib. 2. de Monarchia. Sane Rogerius, qui primus e Normannis Principibus ſibi Regis Siciliæ titulum aſſeruit, ſacro Eccleſiæ ritu ab Epiſcopis coronari conſtituit. Ea res ita deſcribitur in Chronico quodam MS. Sancti Stephani de Boſco in Calabria relato a Tutino, & Pirro in Chronologia Regum Siciliæ: *Ditionem habente Rogerio Apuliæ, Calabriæ, & Siciliæ, Sergium Ducem Neapolis in bello vicit, obtinuitque etiam Principatum Capuæ, & nihil faciens Ducalem titulum, conſilio, & ſententia Satraporum, & Magiſtratus, Regis titulo nuncupari voluit, ad cujus actus celebritatem, quamplures fuerunt acciti Archiepiſcopi, & Epiſcopi, varii Comites, & Milites, cum quibus etiam Magiſter Radulphus a Crucifixo, Eremi Magiſter, voluit tantæ intereſſe ſolemnitati, & decurrente anno MCXXIX. indict. VIII. Kal. Maii diſceſſit una ſimul cum Epiſcopo Melitenſi, & Squillacino, & in navigatione ob tempus, & pluviam, multa paſſi ſunt incommoda, tamdem ad Civitatem Meſſanæ appulerunt, ubi ab illius Civitatis Epiſcopo mira cum charitate recepti fuerunt: poſt tertium quoque diem iter habuerunt Panormum verſus, ubi invenerunt apparatus quamplures, occaſione tantæ ſolemnitatis, & Idibus Maii, conſtituta die pro Rogerii coronatione, ipſe comparuit ſuo in Palatio indutus Regali veſtimento auro contexto, capite cooperto parvo ſericeo bireto, catena aurea ad collum, multiplici gemmarum textura variata, & equo reſidens ad Majorem Eccleſiam, magna Prælatorum, & Procerum ſimul equitantium cohorte ductus fuit, ubi a Clero ſummo cum honore receptus eſt. Erat quippe Templum pretioſiſſimo, ac nitidiſſimo apparatu excultum: ita ut intuentium oculos ſumma admiratione afficiebat, ibique tantus diverſarum nationum concurſus fuit, ut vix ad Eccleſiam pateret aditus. Factis aliquibus cæremoniis a Prælatis, demum Beneventanus, Capuanus, Salernitanus, & Panormitanus Regale Diadema variis contextum gemmis Rogerii caput ornarunt, eique ſceptrum tradiderunt, & Regis titulo ab omnibus fuit acclamatus, & Hymno dicto pro gratiarum actione, omni genere muſicorum, tubis, citaris, & ſymphoniis, (ipſis, & Rege equitantibus) aſſociatus fuit per urbem, & ad Regiam ductus.* Enumerantur deinde Epiſcopi, & Magnates, qui ſacræ rei interfuere. At cum huic illius coronationi obſtaret Innocentius II. Pontifex, ea cauſa fuit, ut Rogerius Anacleto Pſeudo-Pontifici adhæſerit, a quo Regia dignitas illi confirmata eſt, dato diplomate an. 1130. quod exhibent Baronius, & Pirrus, facta Regi poteſtate, *ut per manus Archiepiſcoporum terræ tuæ, quos volueris, juxta tuam voluntatem, aſſiſtentibus aliis Epiſcopis, quos volueris, tu, & tui hæredes in Reges inungamini, & in ſtatutis temporibus coronemini*. Hinc rurſum Rogerius in Metropolitana Eccleſia Panormitana anno 1130. Coronam accepit a Cardinali Comite Legato Anacleti. De hac Rogerii inauguratione agit Alexander Abbas Teleſinus lib. 2. de geſtis Rogerii, aitque peractam ipſo die Natali Domini, & incredibilem fuiſſe pompam in Palatii apparatu, & conviviorum ſplendore. Cui conſentit Chronicon Falconis Beneventani, his verbis: *Anno igitur ipſo prædictus Anacletus Cardinalem ſuum, Comitem nomine, ad Ducem illum direxit, quem die Nativitatis Domini in Civitate Paler-*

mitana in Regem coronavit : Princeps vero Robertus Capuanus coronam in capite ejus poſuit . Tamdem Innocentius a Rogerio , contra quem arma moverat , prælio victus , ſummaque religione exceptus , cum eo rediit in gratiam; ratamque habuit Regiam illius dignitatem, ut patet ex Innocentii diplomate anni 1139. relato a Pirro. Ibi Pontifex poſtquam dixerit Rogerium ab Honorio prædeceſſore ſuo magna complexum fuiſſe benevolentia , addit : *Nos ergo ejus veſtigiis inhærentes, & de potentia tua ad decorem , & utilitatem ſanctæ Dei Eccleſiæ ſpem, atque fiduciam obtinentes ; regnum Siciliæ , quod utique (prout in antiquis refertur hiſtoriis) regnum fuiſſe non dubium eſt, tibi ab eodem anteceſſore noſtro conceſſum, cum integritate honoris Regii, & dignitate Regibus pertinente , excellentiæ tuæ concedimus, & Apoſtolica auctoritate firmamus . Ducatum quoque Apuliæ tibi ab eodem collatum , & inſuper Principatum Capuanum integre nihilominus noſtri favoris robore communimus , tibique concedimus.* Indicto annuo cenſu ſexcentorum ſchiphatorum ; ita enim dicebantur aurei quidam nummi, quod cavi eſſent ad inſtar ſcyphi, uti opinatur Cangius.

XVII. Jam vero ex iis Pontificis litteris patet , qua potiſſimum cauſa, Rogerius ſibi Regiam dignitatem vindicaverit ; quod nempe priſcis temporibus Sicilia ſuos Reges habuerit ; & ita quidem rem ſe habere, Scriptores Siculi pluribus argumentis evincunt. Et hanc cauſam aſſerendæ ſibi Regiæ digntatis, indicat quoque Alexander Abbas Teleſinus lib. 2. de geſtis Rogerii ſcribens , Rogerio poſt late extenſos ditionis ſuæ fines, cum pacatum imperium moderaretur, ſuggeſſiſſe non paucos , ut quoniam olim Sicilia ſuos habuit Reges , majori jure ſe eo donaret titulo , qui ultra Siciliam , pluribus gentibus imperaret: *Nam ſi regni ſolium in eadem quondam civitate ad regendum tantum Siciliam certum eſt extitiſſe , & nunc ad ipſum per longum tempus defeciſſe videtur, valde dignum, & juſtum , ut in capite Rogerii diademate poſito, regnum ipſum non ſolum ibi modo reſtituatur, ſed in cæteras etiam regiones, quibus dominari cernitur , dilatari debeat .* Quamobrem Regius titulus a Rogerio aſſumptus , quo etiam poſteri Reges Normanni, Svevique inſigniti fuere , ad Siciliam ultra Pharum referebatur, cujus metropolis præclariſſima eſt Panormus , & ibi coronandi , & ungendi fuerunt Reges Siciliæ . Neque enim tunc temporis Apulia dicebatur Regnum , ſed Ducatus ; neque Reges vocabantur utriuſque Siciliæ, ſed Reges Siciliæ, Duces Apuliæ,& Principes Capuæ . Attamen quandoque Rogerius ſe ſe inſcripſit Regem Italiæ , ut hoc titulo complecteretur ditiones illas , quas ultra Siciliam obtinebat , quaſque ſolo titulo Regis Siciliæ minime complectebatur. Idque more Græcorum , qui Italiæ nomine Apuliam nuncuparunt , quod olim magna Italiæ pars eorum ſubderetur imperio , uti notat Auctor Hiſt. civil. Regni Neapol. lib. 11. cap. 4. unde Catapanes Apuliæ a Græcis Scriptoribus dicti ſunt Catapanes Italiæ; & Nicephorus Gregoras Carolum Andegavenſem vocat Regem Italiæ; quin etiam Falco Beneventanus in Chronico juxta Græcorum morem, Apuliam ſæpe Italiam appellat . Quandoque etiam Rogerius ſe inſcripſit Regem Siciliæ, & Apuliæ , uti conſtat ex pluribus ejus litteris apud Ughellium , & Pirrum ; teſtiſque eſt citatus Auctor , in Tabulario Cavenſis Monaſterii legi diploma Rogerii , an. 1130. hoc titulo: *Rogerius Dei gratia Siciliæ, Apuliæ, Calabriæ Rex , Adjutor Chriſtianorum, & Clypeus.* Jam vero validum inde emergit argumentum , quo

patet

patet noſtrum Apuliæ Regnum disjunctum, diviſumque fuiſſe a Regno Siciliæ, neque ex regionibus ultra & citra Pharum poſitis, unum, idemque Siciliæ Regnum conflatum. Eccur enim ſe ſe Rogerius inſcripſiſſet Regem Siciliæ, & Apuliæ, ſive Regem Siciliæ, & Italiæ, ſi ditiones omnes illius imperio ſubjectas, unum, idemque Regnum Siciliæ complecteretur? Accedit, quod in utroque Regno diverſæ leges obtinuerunt: ſiquidem Apulia jure Longobardico regebatur, quod numquam in Sicilia vim habuit; & in qualibet Apuliæ Provincia Imminebat Juſtitiarius, a cujus ſententia nulla erat provocatio ad Magiſtratum aliquem ſupremum Regni Siciliæ. Atqui eodem jure, eodemque ſupremo Magiſtratu Siciliæ, adminiſtranda erat Apulia, ſi ex eodem Regno fuiſſet, illique, veluti pars corpori, adhæſiſſet. In Conſtitutionibus tamen Friderici II. quas Petrus de Vineis collegit, non ſemel Siciliæ nomine, Apulia quoque indigitatur: non quod ex utraque regione unum coaleſceret Regnum, ſed quod utraque regio eidem Regi ſubderetur. Et hæc cauſa fuit, cur deinde Clemens IV. utramque dixerit Siciliam ultra & citra Pharum, ubi Carolo Andegavenſi hoc imperium demandavit.

XVIII. Itaque Rogerius, & ſucceſſores Normanni, Svevique, quod Siciliæ inſulam Regio titulo tenuerint, Panormi, & a Panormitano Antiſtite ungebantur in Reges. Gratulatus eſt Rogerio Petrus Cluniacenſis lib. 4. ep. 54. de Regia Corona, & Innocentii gratia illi conciliata: uti etiam S. Bernardus ep. 207. & 208. qui Monachos ſuos in Siciliam tranſmiſit, ut illius votis faceret ſatis. Guillelmus I. Rogerii filius anno 1154. die feſto Paſchatis ab Hugone Archiepiſcopo Panormitano; & Guillelmus II. hujus filius, anno 1166. a Romualdo Guarna Salernitano Antiſtite uncti fuere. Memorat hanc Guillelmi II. unctionem, ſimulque exprimit illius vim Petrus Bleſenſis in ep. 10. ad Gualterium Capellanum Regis, ſcribens: *Doleo, quod inter primitias dominationis ſuæ, & initia unctionis Regiæ hoc præſumit: virtus equidem conſecrationis ab hujuſmodi violentiis eum utinam temperaſſet: magna enim eſt hujus efficacia Sacramenti, nam de Davide poſtquam a Samuele unctus eſt, Scriptura teſtatur, quod directus eſt Spiritus Domini a die illa; & in reliquum. Saul quoque die illa, qua olei lenticula a Samuele perfuſus eſt, mutatus eſt in virum alterum, & inſiliente in eum Spiritu Domini, cum acceſſiſſet ad cuneum Prophetarum, cum eis prophetare cœpit.* Qui ſucceſſere Reges, Tancredus anno 1190. & Guillelmus III. anno 1194. ibidem Regium Diadema, & ſacram unctionem acceperunt. Pariter Svevi Normannorum Regum ſucceſſores: ſiquidem Henricus Imperator, & Conſtantia conjux anno 1195. a Bartholomæo Archiepiſcopo; Fridericus Imperator & Rex, anno 1198. Mamfredus anno 1258. a Rainaldo Aquaviva Epiſcopo Agrigentino, aſſiſtentibus Epiſcopis Monteregalenſi, Tarentino, & Salernitano, aliiſque, in Panormitana Eccleſia inuncti leguntur. Idemque dicendum de Aragoniis Siciliæ Regibus, qui pulſis Andegavenſibus imperarunt, uti conſtat ex Fazello de rebus Siculis, Pirro in Chronologia Regum Siciliæ, Baronio de majeſtate Panormitana, & Amato de principe Templo Panormitano. Et ineunte hoc ſæculo, Victorius Amedeus Dux Sabaudiæ, cui ex inito inter Europæ Principes fœdere, Regnum Siciliæ conceſſum fuerat, una cum Anna Borbonia conjuge, ibidem die 24. Decembris, anno 1713. a Joſepho Gaſch Archiepiſcopo unctus, coronatuſque eſt. Nam Siculis

quoque Reginis uſitata fuit unctio. Ita Joannam Reginam Henrici Anglorum Regis filiam, & Guillelmi II. conjugem in Eccleſia Palatina S. Petri coronatam, & deſponſatam fuiſſe anno 1177. ſcribit Pirrus. Imperatrix Conſtantia Normanna, una cum Imperatore Henrico VI. ejus viro; & Regina Conſtantia Sveva Mamfredi filia, una cum conjuge Petro Rege Aragoniæ, in Panormitana Eccleſia Coronam acceperunt. Itidem Antonia Baucia Neapolitana uxor Friderici III. Regis Siciliæ, die 12. Januarii, anno 1375. & Regina Maria Aragonia uxor Martini I. die 14. Aprilis, anno 1398. & Regina Anna Borbonia conjux Victorii Amedei Ducis Sabaudiæ, poſtea Sardiniæ Regis.

XIX. A Longobardorum ætate, antiqua eſt Coronatio Principum, qui in hiſce regionibus imperarunt, quas modo dicimus Regnum Neapolitanum. Nam de Arechi Beneventanorum Principe refert Leo Marſicanus in Chronico Caſſinenſi lib. 1. cap. 9. *Hic Arichis primus Beneventi Principem ſe appellari juſſit, cum uſque ad iſtum, qui Benevento præfuerant, Duces appellarentur. Nam & ab Epiſcopis ungi ſe fecit, & Coronam ſibi impoſuit, atque in ſuis chartis ſcriptum* in ſacratiſſimo noſtro Palatio *fieri præcepit*. Siconem quoque Beneventanorum Principem Coronam geſtaſſe, indicat MS. Codex Longobardicus de translatione S. Januarii editus a doctiſſimo Antonio Caracciolo Teatino in lib. de ſacr. Eccl. Neap. mon. cap. 20. ſect. 13. ubi ita ait: *Sacra vero corpora* (nempe SS. Januarii, Feſti, & Deſiderii) *in prædicto loco locata ſunt, omnis civitas ad illam locationem confluxit: etiam Excellentiſſimus Princeps Sico: qui coronam auro optimo, excellentemque gemmis pretioſiſſimis, de capite ſuis manibus depoſuit, & ſuper Altarium B. Januarii Martyris locavit. Quod ipſe ſimul cum Præſule, auro optimo, gemmis pulcherrimis, figuris variis undique per totum fieri mandavit.* Sed & Normannos Duces, qui Longobardos excepere, ſacra Epiſcoporum benedictione inauguratos fuiſſe, veriſimillimum eſt: ſiquidem id eis in more fuit, uti tradit Martene lib. 2. de antiquis Eccl. Rit. cap. 11. & Andreas Cheſnius edidit benedictionis preces in Coronatione Ducum Normannorum recitari ſolitas. Hanc autem illorum Coronationem Barii, tamquam Ducatus Apuliæ metropolis, & ubi Græci Catapanes, ſeu qui nomine Imperatorum Orientis adminiſtrabant has regiones Græco imperio ſubjectas, ſedem habuere, peractam fuiſſe, ſcribit Beatillus in Hiſt. Bar. lib. 7. cap. 20. atque Rogerium, tum etiam Henricum VI. Imperatorem, & ejus conjugem Conſtantiam, Mamfredum quoque, ibi, tamquam Apuliæ Principes, ferrea Corona redimitos fuiſſe; auream deinde Coronam, tamquam Siciliæ Reges, Panormi accepiſſe. Cujus inſtituti originem accerſit Beatillus ex eo, quod olim Apuli ſuum habuerint Regem; ut enim ſcribit Marinus Freccia lib. 1. de antiquo ſtatu Regni: *Apuli populis ſuis dabant Regem; Laconicus erat Principatus. Et Rex dabatur Regno, quia non erat Dominus omnium de ſuo Regno juxta ejus voluntatem, & durabat uſque ad ſui vitam, & non habebat hæredem, ac, eo mortuo, alium eligebant provinciales. Barii autem urbs fuit caput omnium civitatum Apuliæ, & Regia ſedes, & totius regionis Princeps.* Sed quæ de Barenſi Corona ferrea Regum Siciliæ, Beatillus, aliique retulere, nullo ſane valido teſtimonio innituntur; & hinc ea inter commentitia recenſet Auctor Hiſt. civ. Regni Neap. lib. 11. cap. 4. Potuere tamen Siciliæ Reges præter Pa-

Panormitanam Coronationem, rurſum benedici, & coronari tamquam Apuliæ ſive Duces, ſive Reges; tum quia id in more fuit Longobardis, atque Normannis Principibus; tum quia Apuliæ Regnum diſiunctum erat a Regno Siciliæ. Illud certum eſt, Carolum Andegavenſem a Clemente IV. donatum fuiſſe Corona utriuſque Siciliæ, ut patet ex Bulla Pontificiæ inveſtituræ, quam exhibet tom. 1. MSS. Chioccarellus. Pariter ſucceſſores Reges Andegavenſes, etſi Neapolitano dumtaxat Regno imperarent, quod Sicilia ultra Pharum illorum excuſſiſſet imperium, attamen coronabantur Reges utriuſque Siciliæ, quo titulo numquam ſe ſe abdicarunt. Imo in eo fœdere, quod inter Carolum II. Neapolitanorum, & Fridericum II. Siculorum Reges ſancitum eſt, anno 1302. convenere, ut Fridericus dum viveret, Rex Trinacriæ diceretur, eſſetque; poſt obitum vero, Regnum ad Caroli hæredes devolveretur, & cenſum Pontifici perſolveret: & in alio fœdere inter Joannam Neapolitanam, & Fridericum III. Siculum Regem anno 1363. aſſentiente Gregorio XI. pariter ſancitum fuit, ut Fridericus abſque juris præjudicio Rex Trinacriæ, & ſimul Joanna Regina Siciliæ appellaretur, eaque defuncta, ab omni onere ſolveretur, & Liparam inſulam reciperet.

XX. Igitur Andegavenſes etſi uni Neapolitano Regno leges darent, coronabantur tamen, & dicebantur Reges utriuſque Siciliæ; & coronabantur vel a Romanis Pontificibus, vel ab eorum Legatis. Ita Carolum II. Nicolaus IV. Romæ, ſive Peruſii, uti ſentiunt nonnulli; Robertum, & Sanciam Clemens V. Avenione; Carolum III. Urbanus VI. Romæ, ſacro oleo perfuderunt. At Carolus I. in Eccleſia Lateranenſi a Legato Clementis IV. Joanna I. a Cardinali Americo Legato Clementis VI. Ladiſlaus a Cardinali Acciajolo Legato Bonifacii IX. Joanna II. a Cardinali Petro Mauroceno unctionem accepere. Idem dicendum de Aragoniis Regibus: nam Cardinalis Latinus Urſinus Legatus Pii II. inunxit Ferdinandum I. Regem; Alphonſum II. & Fridericum Regio Diademate exonarunt Cardinales Joannes, & Cæſar Borgia Legati Alexandri VI. Ea vero cæremonia ſæpe peracta eſt in Eccleſia Regia S. Mariæ Coronatæ prope Arcem, ubi Regum fuit domicilium, quam in honorem Spineæ Chriſti Coronæ Joanna I. excitaverat. Ibi Joanna I. & Ludovicus Tarentinus, ſacra die Pentecoſtes inuncti fuerunt Reges ab Epiſcopo Bracarenſi Legato Clementis VII. Ibi etiam Margaritam conjugem Caroli III. coronavit Cardinalis Gentilis de Sangro Urbani VI. Legatus: & Cardinalis Rodericus Borgia Joannam de Aragonia conjugem Ferdinandi I. Neapolitani Regis. Ibi quoque a Cardinali Oliverio Caraſa, Archiepiſcopo Neapolitano, Legato Pontificio, celebrata fuit Coronatio Beatricis filiæ Ferdinandi I. deſponſatæ Matthiæ Hungariæ Regi. At Joanna II. in ipſa Arce nova, quam Reges inhabitabant, coronata eſt anno 1419. a Cardinali Petro Mauroceno, uti indicant antiqua Diaria Neapolitana, quæ juris erant Hectoris Pignatelli Ducis Montisleonis, quæque edidit Clar. Muratorius. Jam vero ex his colligitur, nedum Neapolitanos Reges, verum etiam illorum conjuges Reginas ungi conſuevisse. Ordo Coronationis Roberti Regis, & Sanciæ conjugis a Clemente V. Pontifice, Avenione, anno 1309. peractæ legitur apud Mabillonium in Muſæo Italico tom. 2. n. XIV. Ibi enim dicitur, quod ea rubrica *fuit ordinata de mandato Domini Clementis Papæ V. per aliquos Cardinales, quibus hoc in Conſiſtorio commiſſum fuit, cum*

Ro-

Robertus Rex Siciliæ, una cum ſua conjuge peteret unctionem, & coronationem apud Avenionem, ubi tunc Romana Curia reſidebat. Nam nihil inveniebatur litteris traditum, qualiter Reges, & Reginæ debent inungi, & coronari, eo quod in Pontificali Romano non habetur niſi de unctione & coronatione Imperatoris, & Imperatricis. Ordo ille paucos ritus complectitur, Regique datur communio Euchariſtica ſub utraque ſpecie, Reginæ vero ſub unica tantum ſpecie.

XXI. Olim inſignia noſtrorum Regum præter Coronam, ac Virgam, fuere Anulus, Dalmatica, atque Sandalia. Hæc enim ornamenta Epiſcopalia Rogerio Regi conceſſit Lucius II. Romanus Pontifex, uti conſtat ex epiſtola quadam a Romanis ſcripta ad Conradum Imperatorem, relata ab Ottone Friſingenſi lib. 1. cap. 27. & 28. in qua ajunt, Lucium Pontificem ob operam a Rogerio egregie navatam contra Arnaldum Brixienſem, qui priſtinam Senatus Romani dignitatem reſtituere conabatur, conceſſiſſe Rogerio Regi illa ornamenta: *Concordiam autem*, inquiunt, *inter Siculum & Papam hujuſmodi eſſe accepimus. Papa conceſſit Siculo Virgam, & Anulum, & Dalmaticam, & Mitram, atque Sandalia, & ne ullum mittat in terram ſuam Legatum, niſi quem Siculus petierit: Et Siculus dedit ei multam pecuniam pro detrimento veſtro, & Romani Imperii.* Hanc epiſtolam refert quoque Sigonius, etſi conceſſionem illam Eugenio III. anno 1145. adſcribat. Neque id mirum, neque novum. Nam priſcis temporibus, uti notat doctiſſimus Thomaſſinus par. 1. lib. 2. cap. 52. de Benefic. Romani Pontifices non ſemel aliqua Sacerdotalia ornamenta laicis Principibus communicarunt. Et in antiquis Ordinibus ad benedicendum Regem editis a Martene, Reges amicti obſervantur Sandaliis, Tunica, & Dalmatica. Teſtis eſt Amatus de princ. Templo Panorm. lib. 10. cap. 1. Regiam veſtem ex auro, & optimo ſerico contextam, ſive pretioſa lana, quam vulgo Pinolam appellant, qua Rex Rogerius utebatur, oblongam, & ad modum Dalmaticæ elaboratam, a Cephalæditanis in Cathedrali Eccleſia aſſervari. Tum Inveges lib. 3. hiſt. Panor. profert Guillelmi I. numiſma, ubi Rex conſpicitur Corona quatuor radiis diſtincta redimitus, Virga, Dalmatica, & Sandaliis indutus. Obſervat ibidem Amatus, Normannos Principes plurima Aulæ officia, Regia ornamenta, ac titulos a Græcis Imperatoribus hauſiſſe. Nam juxta Græcorum mores habuere in Aula Logothetas, Spatharios, alioſque hujuſmodi officiales; & Crucem in caſtris ſibi præferre faciebant; tum dicebantur Auguſti, Imperatores a Deo coronati, Divini, Divi, Sacri; & more Imperatorum rubeis litteris ſubſcribebant nomina ſua; & diplomata bullis aureis obſignabant. Atqui Dalmatica fuit uſitatum Imperatorum veſtimentum; unde de Carolo Magno legitur, dono dediſſe Epiſcopis Anglis quaſdam ex ſuis Dalmaticis, ut anima Hadriani Papæ, precibus eorum Deo commendaretur; & Annales Fuldenſes exhibent Carolum Calvum indutum Dalmatica, atque deſuper accinctum baltheo, uti refert Thomaſſinus par. 1. lib. 2. cap. 49. de Beneficiis. Oſtendit ibi vir doctiſſimus, olim Dalmaticas fuiſſe veſtes civiles laicorum; Imperatores Orientis communicaſſe Imperialia indumenta Chriſtianis Regibus, & Epiſcopis; Reges, Magnateſque perſtitiſſe in veſtibus oblongis diutius; ſed eas tamdem dimiſiſſe; nec jam a tempore Caroli VI. Francorum Regis, eis uſos eſſe, niſi in ſolemnioribus cæremoniis. Neque omittendum eſt, Siculos Reges in Coronatione ſua accinctos fuiſſe enſe Conſtantini, in Capella Palatina S. Petri

Petri aſſervato. Referunt enim Pirrus in Chronologia Regum Siciliæ, & Surita An. Arag. lib. 10 cap. 69. Martinum II. Aragoniæ Regem, patremque Martini I. coronandum Cæſarauguſtæ, die 13. Aprilis, anno 1399. in Siciliam ablegaſſe Pontium Thauſtum, Archidiaconum Cæſarauguſtanum, ut a filio enſem Imperatoris Conſtantini in Sacello Regio S. Petri Panormi diu aſſervatum, pro ſuæ coronationis ſolemnitate expoſceret. Neapolitanos quoque Reges Dalmaticam geſtaſſe, indicant antiqua Diaria Ducis Montisleonis, cum referunt Carolum III. obviam iviſſe Urbano VI. Pontifici, Neapolim venienti, uſque ad portam Civitatis, atque ibi illum expectaſſe, *veſtito da Diacono, e con la corona in teſta, e giglio da una mano, & il pomo dall' altra; aſſettato in ſedia Regale*. Et Brochartus in ſuis Diariis manuſcriptis deſcribens Alphonſi II. Coronationem, refert Regem acceſſiſſe ad Eccleſiam, *cum veſte ampla de broccato cremeſino riccio hermellinis ſubducta, ſuper alia parva veſte de ſetonino nigro, cum monili ex tribus perlis, & lapidibus pretioſis, valoris forte circa ducatorum 600. quod biretum non mutavit uſque ad Coronæ receptionem*. Sed inchoata ſolemni Liturgia, induiſſe Regem hujuſmodi veſtimenta: *Imponuntur Regi caligæ ex ſetonino cremeſino, & ſandalia ex damaſchino albo recamata filis aureis, & argenteis ſine perlis, & abſque lapidibus pretioſis. Surgit Rex, & veſte magna videlicet ſuperiori exuitur, induitur veſte longa de cremeſino taffeta ſuffulta cum manicis ſtrictis, ac deſuper ſtringitur: Rocchetto longo uſque ad collum pedis: Tunicella alba de broccatello plano zandato ſuffulta cum manicis ſtrictis bottonatis: Stola rubea broccati auri ricci in tranſverſum ab humero ſiniſtro ſub brachio dextro conjuncta: Manipulo de eodem broccato ad brachium ſiniſtrum: Veſte Regali in modum Dalmaticæ ex broccato auri riccio cremeſino, fiſſuram habente ante, & retro quatuor palmorum, vel circa, longa uſque ad collum pedis; circa collum manicas, & per fimbrias ad latitudinem quatuor digitorum, vel circa perlis ornatas. Collare ad latitudinem manus perlis ornatum*. Habes itaque Alphonſum II. Sandaliis, Caligis, Tunicella, Stola, Dalmatica indutum, quæ ſane ſunt Epiſcopalia ornamenta. Atque prædeceſſores Reges eadem adhibuiſſe indumenta ex eo patet, quod Capellanus Major Regis, cui hæc cura demandata fuerat, illarum veſtium formam hauſerit ab antiquis picturis Regum Neapolitanorum. Addit enim Brochartus: *Fuerunt ſuperioribus diebus ſæpius per me verba habita cum Epiſcopo Tropejenſi Capellano Majori, & aliis, qui ordinationis Coronationis curam habebant de paramentis Regiis ſuperius ordinatis, qui nullam in ſe rationem habebant, neque habent, & ego cognoveram ipſos, Epiſcopum, & alios non habere ordinem verum, quod Rex omnibus ipſis ornamentis parari deberet, quia dictus Epiſcopus per Eccleſias perquirebat, ubi Reges ſculpti, & depicti erant, & inde ſumebat de paramentis exemplum; ſed nulla eos ratione vincere potui, ut illa ad convenientiora mutarent. Ajebant enim Regem Ferdinandum defunctum ſimilibus ornamentis in ſua Coronatione fuiſſe uſum, & per quoddam extractum nullius approbationis oſtendebant, quod in hujuſmodi ornamentis Reges Aragoniæ deberent coronari; nonnulli etiam aſſeruerunt, quod idem Rex Ferdinandus in ſua Coronatione per beatæ memoriæ Latinum Cardinalem Urſinum ſibi factæ Evangelium Miſſæ publice decantaſſe, quod ſi factum fuit, inconvenientiſſime*.

XXII. At Summontius deſcribens Coronationem Alphonſi II. refert

fert

Digitized by Google

fert hunc decantaſſe Evangelium, *Exiit edictum*. Id vero ex imperitia carpitur a Brocharto; ſiquidem uſitatum fuit tum Regibus Aragoniæ, ut tradit Valdeſius, tum Imperatoribus Occidentis, ut Diaconorum veſtibus induti miniſtrarent Pontifici Sacra facienti, & Evangelium decantarent. Legitur apud Rainaldum ad annum 1414. Sigiſmundum Imperatorem veniſſe Conſtantiam in pervigilio Natalis Domini, affuiſſe Sacro a Romano Pontifice celebrato, recitaſſe Evangelium, & Diaconorum ornamenta geſtaſſe. Pariter cum Fridericus Imperator, Romæ ageret feſtum Natalis Domini, Diaconorum indumento Evangelium legit in nocturnis Divinis Officiis, uti legitur ibidem ad annum 1468. Nam in more etiam fuit, ut in nocturnis Officiis Natalis Dominici Imperatores ſeptimam lectionem decantarent. Quin in die Coronationis ſuæ, adgregabantur cœtui Canonicorum in Eccleſia S. Joannis Lateranenſis, atque veſte, & functione Diaconi, vel Subdiaconi utebantur, uti teſtantur Durandus lib. 2. Ration. cap. 8. Rainaldus ad annum 1311. aliique. Et Sigonius lib. 7. de Regno Italiæ commemorat morem, quod Imperator Mediolani accepturus ſecundam Coronam, miniſtraret in veſtibus Subdiaconorum Archiepiſcopo Mediolanenſi. Denique, uti obſervat doctiſſimus Thomaſſinus de Beneſ. lib. 3. cap. 64. n. 9. plurimæ Diaconorum, & Subdiaconorum veſtes, olim propriæ fuerunt Imperatorum, atque ab his Sacerdotio communicatæ. Quamobrem nec mirum, neque novum videri debet, ſi indumenta Diaconis ſimillima Neapolitani Reges adhibuerint. Iidem adſcripti erant Canonicorum cœtui in Eccleſia S. Nicolai Barenſis; quo nomine, Clericorum veſte amicti aderant Divinis Officiis: quod a Ferdinando I. factum legitur in quodam monumento edito ad Ughellio, ubi Rex Ferdinandus indutus Alba, Stola, Dalmatica, Bireto interfuit ſolemni Liturgiæ, deinde Canonicorum ornamentis adſuit Divinis Officiis, ac quotidianam diſtributionem percepit. Cui prædeceſſorum Regem inſtituto adhærens Sereniſſimus Rex Carolus Borbonius, plurimis ab hinc annis, cum Barium petiiſſet religionis cauſa erga S. Nicolaum, in hujus Eccleſia, tamquam Canonicorum unus adfuit Divinis Officiis, accepta diſtributione quotidiana, agente Priorem illius Eccleſiæ Petro Caraſa olim Teatino viro ornatiſſimo. Ita Reges Francorum, & Comites Andegavenſes adſcripti erant Canonicis Eccleſiæ S. Martini Turonenſis, & ibi aderant ſacris rebus in veſte Canonicorum. Pariter Angliæ Reges, Duces Aurelianenſes, aliique Princeps Canonicis adnumerabantur alicujus Eccleſiæ, uti exemplis pluribus tradit citato loco Thomaſſinus. Cætera Regum noſtrorum inſignia, nempe Coronam, Sceptrum, Orbiculum, Enſem, ita deſcribit Brochartus: *Ex Sacriſtia Regis apportatur Corona Regis in uno bacili argenteo indorato, perlis & lapidibus pretioſiſſimis ornata erat Corona, & biretum habebat conſutum ex damaſchino albo, habens hinc, inde duas ſillas, quæſub mento, unico botono conjungebantur: ita quod Rex Coronam ipſam ſine alio bireto deferret. Enſis in ſua vagina, & perlis, & lapidibus pretioſis per totum ornata. Sceptrum argenteum in ſummitate habens lilium inauratum: erat autem Sceptrum ipſum in totum longitudinis palmorum duorum cum dimidio, & minoris groſſitudinis parvo medio digito; & Pomum argenteum inauratum, totum rotundum, quantitatis unius magni pomi; in ſummitate Crucem habebat parvam erectam argenteam inauratam, & in extremitate inferiori cum oppoſito Crucis malleum cum ſtringa ſericea ad ligandum ipſum in ſiniſtro digito* Re-

Regis. Nunc ad ipſum ordinem Coronationis Alphonſi II. Regis progredimur.

XXIII. Is ordo deſcribitur a Summontio lib. *6*. Hiſtoriæ Neapolitanæ; ſed fuſius, accuratiuſque a Brocharto Pontificiarum cæremoniarum Magiſtro in ſuis Diariis manuſcriptis, utpote qui Neapolim adiit an. 1494. una cum Cardinali Joanne Borgia Archiepiſcopo Montiſregalis, Legato, & nepote Alexandri VI. ut ſacram cœremoniam moderaretur. Nomine vero Regis curabant omnia ad eam ſolemnitatem ſpectantia, Fridericus Princeps Altamuræ, Albericus Caraſa, Joannes Antonius Caraſa, & Julianus Epiſcopus Tropejenſis Major Capellanus Regis. Horum cura convocati fuere ad Coronationem Regis omnes Epiſcopi Regni, quorum indicem exhibet Brochartus; omneſque Reguli, & Proceres. Legato Neapolim venienti primum Præſules, tum Rex eum Proceribus, & Aulicis, Clerus, & Cœnobitæ obviam ivere. Ingredienti Civitatis portam Archiepiſcopus Neapolitanus Crucem præbuit deoſculandam; Legatus vero Regi. Tum canente Clero Antiphonam, *Ecce Sacerdos magnus*, & Hymno *Te Deum*; ſub baldacchino a nobilibus viris delato, Rege equitante ad ejus ſiniſtram, ſequentibus Principibus Regiæ cognationis, Oratoribus, & Prælatis, ductus eſt ad Metropolitanam Eccleſiam: ad cujus fores, porrigente adſperſorium Archiepiſcopo Neapolitano, Legatus primo Regem, tum ſe, deinde alios adſperſit aqua benedicta. Mox, benedicto incenſo, illum Archiepiſcopus thure adolevit, non vero Regem, quia, ut ait Brochartus, *hujuſmodi incenſatio fit Legato tamquam venienti*. Ad Altare Archiepiſcopus nonnullas recitavit preces, quibus finitis, data a Legato benedictione, quiſque ad ædes ſuas ſe recepit. Dies agendæ Coronationi conſtituta eſt octava Maji, quæ feſtiva erat Aſcenſionis Domini: ac parata fuere in Eccleſia Cathedrali amplum, & ſublime Solium pro Rege, faldiſtorium, ſeu ſedes precatoria, ſcamna pro Regulis, & Epiſcopis, & Oratoribus Principum, atque univerſa ſuppellex ad rem ſacram neceſſaria. At Capellano Majori, Confeſſario, & Eleemoſynario Regis, tum Principibus Regiæ ſtirpis, & Proceribus Regni locus datus eſt in ipſo Solio Regis; atque hi Principem comitari debuerunt, quoties a Solio ad Altare, vel ab Altari ad Solium progrederetur. Et duo Capellani Majores adhærebant Regi, ut apud ipſum ſingulas Miſſæ partes recitarent. Ita enim habet Brochartus: *Curiales Regis ſedebunt hinc inde ſuper gradibus quindecim in Choro dictæ Eccleſiæ ordinatis. Barones erunt in ſcamnis in plano magno corporis tranſverſalis Eccleſiæ juxta locum Cantorum ordinatis. Oratores autem in banco cum poſtergali retro ſcamna pro Prælatis in Presbyterio aſcendentia poſitis. Cum Sereniſſimo Rege in Thalamo ſuo erunt, & ipſum ubique aſſociabunt tam in Presbyterio, quam alibi, D. Fridericus de Aragonia, Gentilis Virginius Urſinus, D. Joffredus Borgia, D. Alphonſus electus Teatinus, D. Aloyſius de Aragonia frater conſobrinus Regis, D. Carolus de Aragonia Marchio Giracenſis, D. Julianus Epiſcopus, qui Regi ſuper Thalamo genuflectenti, a ſiniſtris Regis erit genuflexus, & Frater Joannes de Mediolano Ordinis Montis Oliveti Capellanus Major Regis a dextris Regis erit, ut ſupra genuflexus, & ambo de Miſſali Regi ſervient; D. Martinus de Aragonia nepos Regis ex Ferdinando fratre baſtardo in Caſtello novo incarcerato, Frater Joannes Franciſcus de Miroballis ejuſdem Ordinis Confeſſor Regis, Frater Michael de Neapoli Ordinis Minorum de Obſervantia Eleemoſynarius*

Regis, poſt Regem, ut ſupra, genuflexum, & ipſe genuflexus. Duo hic nominantur Capellani Majores, nempe Julianus Epiſcopus Tropejenſis, qui hoc officium geſſit ſub Ferdinando I. & qui ſæpe Capellanus Major nominatur a Brocharto, & præcipuas habuit partes in ordinanda Coronatione Regis, & in celebrando conjugio Sanciæ filiæ Regis, & in omnibus ſacris cæremoniis Palatinis; tum Fr. Joannes de Mediolano Monachus Montis Oliveti, qui fortaſſe, vel abſente Epiſcopo Tropejenſi, vel cum Alphonſus Dux erat Calabriæ, illo munere fungebatur. Refert Brochartus Oratores Principum ægre tuliſſe, quod ſecundum ab Epiſcopis locum occuparent; etſi illis ſatisfacere ſtuduiſſet, quod Epiſcopi in ea ſacra cæremonia agerent una ſimul cum Antiſtite Conſecratores. Stata ad Coronationem die, Cardinalis Legatus magno Epiſcoporum comitatu, ſe ad Eccleſiam contulit, & Pontificalia induit, uti etiam cæteri Epiſcopi. Regalia ornamenta ſuper Altari collocata fuere.

XXIV. Venienti ad Eccleſiam occurrerunt Archiepiſcopi Neapolitanus, & Capuanus, Pluviali, & Mitra induti, & ſalutato Rege, eumdem medium duxere ad Altare, ubi illum expectabat Legatus. Tum Rege ſedente in faldiſtorio ad infimum Altaris gradum, inter duos præſatos Antiſtites, ſedentibus omnibus, lecta eſt a Notario Apoſtolico Bulla Romani Pontificis, qua Legato facultatem communicabat inveſtiendi Alphonſum de Regno, atque coronandi: eaque lecta, Rex, tactis Evangeliis, juravit Sedi Apoſtolicæ fidelitatem. Mox Legatus eumdem de Regno inveſtivit, tradens Regi vexillum, quod de manibus Regis accepit Jacobus Caracciolus Comes Burgentiæ, Cancellarius Regni. His peractis, Archiepiſcopus Neapolitanus petiit a Conſecratore, ut Alphonſum inungeret Regem: ille vero Regem monuit de officio Regis erga Eccleſiam, erga ſubditos; juravitque tunc Rex, ſe officio ſuo minime defuturum. Tum, Rege humi proſtato, dictæ ſunt Litaniæ, aliæque preces, quibus expletis, illius brachium, & ſcapulas Legatus inunxit. Inchoata Liturgia, Rex in veſtiario induit Regales veſtes, ac tabulatum, ubi Solium excitatum erat conſcendit, ubi una cum ſuis Capellanis Majoribus recitavit ex Miſſali Introitum, *Kirie*, *Gloria*, Orationem, & Epiſtolam. Dicta Epiſtola, ad Altare acceſſit, eique Legatus tradidit enſem, quem ter in aerem Rex vibravit, tum Hectori Caraſa Magno Coſmetæ præbuit, a quo delatus eſt ante Regem, tota Coronationis cæremonia. Tradito enſe, Conſecrator Regem donavit cœteris inſignibus, nempe Corona, Sceptro, & Orbiculo. Quo facto, medius Rex inter Legatum, & Archiepiſcopum Neapolitanum, præeuntibus Principibus Regiæ ſtirpis, & Magnatibus Aulæ, ſequentibus vero Epiſcopis, ductus eſt ad Solium, ibique collocatus populo acclamante, *viva il Re Alfonſo*, Cantoribus canentibus Hymnum *Te Deum laudamus*. Ad Evengelium depoſuit Coronam, quam unus e Magnatibus Aulæ abſtulit a Regio capite. Ad Offertorium deſcendens de Solio, depoſitiſque Regiis inſignibus, obtulit Legato ad Altare duodecim aurea numiſmata, quodlibet valoris octo ducatorum. Hæc vero Epiſcopus Tropejenſis Capellanus Major porrexit D. Friderico Principi Altamuræ, hic Regi. Et refert Brochartus hæc numiſmata cum in Coronatione Alphonſi II. tum in Coronatione Ferdinandi I. diſtributa Celebranti, ejuſque Miniſtris, & cæremoniarum Præfecto. Oblationem Regis Legatus illis verbis excepit; *Unum dabis, & centum accipies*. Quoties Regia inſignia a Rege auferenda, vel reci-

recipienda erant, id muneris ſpectabat ad D. Fridericum Principem Altamuræ. Poſt oblationem, Regi ſtanti in Solio, Neapolitanus Archiepiſcopus thus dedit; Diaconus vero Principibus Regiæ cognationis, Capellanis, Majoribus, Oratoribus, Epiſcopis. Deinde Rex, depoſitis Regalibus ornamentis, in genua procubuit uſque ad Euchariſtiæ conſecrationem, & ſumptionem. Quoniam vero inter Oratores Principum aderat Orator Imperatoris Turcarum, is, ad Præfationem Miſſæ, monente Præfecto cæremoniarum receſſit ab Eccleſia. Pacem Regi exhibuit Alexander Caraſa Archiepiſcopus Neapolitanus; Rex Principibus Regiæ ſtirpis; alter vero Capellanus pacem præbuit Oratoribus, atque Epiſcopis. Ad communionem, Rex ad Altare procumbens Euchariſticum panem accepit, mox vinum non conſecratum, ſeu purificationem; rediitque ad Solium preces recitaturus pro gratiarum actione. Abſoluta Liturgia, rurſum ad Altare acceſſit; ubi Legatus ei præbuit deoſculanda ſacra Corporalia, quibus tetigit oculos, & frontem Regis, facto ſigno Crucis. Tamdem nonnulli Milites a Rege creati fuere, nonnullique Proceres Regni: & aſcenſo equo, Regiis ornatus inſignibus, magno comitatu Procerum, Regulorum, & Epiſcoporum, per Civitatem, perque Seſſiones Nobilium equitavit.

XXV. Alphonſus II. vix imperio potitus, eo ſe abdicavit ſequenti anno 1495. quod in ipſum moviſſet arma Carolus VIII. Rex Galliæ, cui Andegavenſium Principum jura competebant, quodque ſubjectis ipſe populis inviſus, infenſuſque, impar omnino eſſet gerendo bello, atque tuendo imperio ſibi, ſuiſque. Huic itaque ſucceſſit Ferdinandus II. filius, ſuaviſſimi ingenii Princeps; quem mox immatura morte ereptum excepit anno 1496. Fridericus, ejus patruus, Princeps Altamuræ: & hunc, initio fœdere, Galli, Hiſpanique anno 1501. patria ſede ejecerunt. Atque in hunc modum, pulſis deinde Gallis, Neapolitanum Regnum ceſſit Hiſpanis Regibus, qui diu Regnum ipſum tenuere, ad hujus uſque ſæculi initia, quum extincto Carolo II. Hiſpaniæ Rege, nulla ſuperſtite prole, ſæviente bello longe lateque, tamdem Auſtriaci Imperatores Germaniæ in hiſce regionibus imperarunt. Omittendum tamen non eſt, Carolum VIII. Galliæ Regem, qui exeunte ſæculo decimoquinto Neapolitanum Regnum ſuæ ditioni ſubegit, quod ſibi deberi, jure ab Andegavenſibus Principibus tranſmiſſo, contendebat, Neapoli hujus Regni Coronam accepiſſe, uti teſtatur Jacobus de Poirier Magiſter Hoſpitii Regii, qui præſens aderat, in Hiſtoria belli Italici edita a Martene tom. 3. Anecdotorum. Sub Auſtriacis deinde Hiſpaniæ Regibus, non ſine quibuſdam cœremoniis proclamabantur Principes, cum ad imperium perveniebant. Nam Prorex, Proceres Regni, & Reguli perequitabant Civitatem, acclamante multitudine, & in inauguratione Caroli II. Hiſpaniæ Regis, univerſi cum Prorege Cardinali Aragonio ad Arcem novam, cujus reſeratæ erant fores, acceſſere; petiitque Prorex a Præfecto Arcis, ut Carolo II. regnanti fores panderentur. Refert Parrinus in Theatro Proregum Neapolitanorum.

XXVI. Sed anno 1734. rurſum excitato inter Europæ Principes bello, Carolum Borbonium Hiſpaniarum Infantem, cui Hiſpani militis imperium, & recuperandi Neapolitani Regni curam Philippus V. glorioſiſſimus parens demandaverat, bello feliciter confecto, arcibus ad deditionem coactis, ſuperatis hoſtibus, rebus publicis ſapienter compoſitis, ſumma celeritate, parique virtute, quod in illum,

quem imperio natum noverat, regnandi jura Auguſtiſſimus Parens tranſtuliſſet, Neapolitani, ingenti gaudio, votiſque publicis Regem ſalutarunt. Qui ſequenti anno in Siciliam trajiciens, attritis undique, ac fuſis hoſtibus, Panormum ampliſſimam illius Regni metropolim adiens, ſolemni pompa, die tertia Julii in Cathedrali Eccleſia ab Archiepiſcopo Panormitano Joſepho Baſile, antea Franciſcanæ Familiæ ſupremo Præſule, unctus, coronatuſque eſt Rex Siciliæ. Stata die, Eccleſia metropolitana inſigniter adornata; Solium ſublime, & amplum, cum ſcabello, & ſede erectum, prope ſolium lignea ædicula aulæis tecta pro veſtiario Regis; menſa quoque, ubi appoſita ſuppellex ſacro miniſterio inſerviens; tum omnia ad eam ſolemnitatem celebrandam magnificentiſſime compoſita. Antiſtes ſacris operaturus, Pontificalibus indutus ornamentis, medius inter Archidiaconum, Diaconum, Cantorem, præeuntibus Clericis, Canonicis, & Epiſcopis Regni, e Sacrario ad Aram principem acceſſit, in cujus extremo gradu, ſedens in faldiſtorio, ſedentibus etiam cunctis, Regem expectavit. Is e Palatio, Regia pompa, Eccleſiam petiit; ad cujus oſtium a Magno Eleemoſynario adperſus eſt aqua benedicta, tum recta pergit ad veſtiarium, ubi ſolemnes veſtes induit. Præibant duo Proceres Aulici, a Regis cubiculo, aurea clave donati, quorum unus Coronam, & Sceptrum, alter Enſem, & Baltheum gerebat: eaque Regalia inſignia Antiſtiti tradita, Archidiaconus ſuper Altare collocavit. Regi ſolemnibus veſtibus induto ſine enſe, & pileo, veſtiario exeunti obviam occurrere Epiſcopi Catanenſis, & Syracuſanus, a quibus ductus eſt ad Altare, & ſalutato Antiſtite, ab eo benedictionem accepit. Adhæſerunt Regi in toto Coronationi officio Comes S. Stephani Magnus Aulæ Magiſter, Bartholomæus Corſinus Magnus Præfectus Regii ſtabuli, Lelius Caraſa Dux Prætorianorum militum, Joſeph Beza Magnus Eleemoſynarius, nonnullique Regis Cubicularii. Ubi Rex Altari ſe ſiſtit, Epiſcopus Catanenſis petiit ab Antiſtite, ut Regem inungeret: mox ibidem ſedente Rege medio inter duos Epiſcopos, lecta eſt ab Antiſtite admonitio, quæ habetur in Pontificali Romano. Ea finita, Rex genua ſubmittens coram Archiepiſcopo, Fidei profeſſionem edidit; deinde allato Evangeliorum libro, juravit his verbis: *Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Evangelia:* & oſculatus eſt Antiſtitis manum. Is vero ſtans orationem recitavit, quam & alii Epiſcopi, ſubmiſſa voce, ſuo quiſque loco recitarunt. Poſtea Altare aſcendit, ibique ſedens in faldiſtorio, Regis brachium & ſcapulas, quas unus e Regiis Cubiculariis denudaverat, inunxit, adſtantibus cœteris Epiſcopis. His peractis, uterque ad extremum Altaris gradum deſcendit; & Antiſtes quidem Sacrum inchoavit; Rex a cornu Evangelii flexis genibus, audivit a Magno Eleemoſynario, qui prope aderat Miſſæ Introitum & Confeſſionem. Tum ad veſtiarium ſe contulit, ubi poſtquam Magnus Eleemoſynarius ſcapulas & brachium abſterſit, induit Regalem Chlamidem, Solium conſcendit, & ſubmittens genua, audivit a Magno Eleemoſynario reliquum Miſſæ officium ad Epiſtolam uſque. In Solio poſt Regis ſedem Dux Prætorianæ cohortis, & prope Regem Præfectus Domus Regiæ ſteterunt. Dicta Epiſtola, illum præfati duo Epiſcopi ad Altare duxerunt, ubi accepto ab Antiſtite enſe, quem quater vibravit, impoſita eſt Regio capiti Corona, & Sceptrum ei traditum. Sed Præfectus Regii ſtabuli enſem a latere Regis ſublatum, ac denudatum, toto Coronationis officio ante Regem

gem tulit. Carolum itaque Regiis inſignibus ornatum, plaudentibus univerſis, Archiepiſcopus Panormitanus, & Epiſcopus Catanenſis, quos cœteri ſequebantur Epiſcopi, ad Solium deduxerunt. Eoque in Throno collocato, Panormitanus Antiſtes præcinit hymnum *Te Deum*, quem dum Muſici decantarent, Antiſtes ſtetit ad Regis dextram; & hymno finito preces, & orationem dixit, prout in Pontificali Romano. Mox rediit ad Altare, reliquam Liturgiæ partem celebraturus. Decantato Evangelio, Cantor Metropolitanæ Eccleſiæ detulit ad Regem Evangeliorum librum; Eleemoſynarius ſerico velo deterſit locum, quem Rex erat deoſculaturus. Ad Offertorium, Rex Altare adiit, ubi provolutus in genua, præbente Eleemoſynario oblationem, obtulit Antiſtiti ſacra facienti, oſculata ejus manu, duodecim aurea numiſmata, quibus inſculpta erat Regis ipſius effigies, & nummos aureos prope ducentos. Ad Solium reverſus, ſtans accepit thus a Canonico Diacono, qui & thure coluit Epiſcopos adſtantes. Inſtante conſecratione Dominici Corporis, Dux Arionenſium Regis Cubicularius ademit Regalia inſignia, Coronam, & Sceptrum. Pacis ſignum Epiſcopus Catanenſis præbuit Regi deoſculandnm, quod prius Eleemoſynarius deterſerat. Ad communionem accedens ad Altare, ſequente Regem Cnbiculario, qui Regalia ferebat inſignia, primo Sanctam Euchariſtiam ſumpſit; tum vinum ad purificationem in eodem Calice, in quo Antiſtes Chriſti Sanguinem hauſerat. Mappulam coram Rege tenuerunt duo Regis Cubicularii; alter vero aliam præbuit ad os abſtergendum. Tamdem reverſus ad Solium, rurſus induit Regalia ornamenta; & Sacro peracto, Epiſcopali benedictione donatus, iiſdem ornamentis indutus rediit ad Regias Ædes: cui ad Hiſpaniæ imperium translato, diuturnum, fauſtum, fortunatumque votis publicis precamur.

Digitized by Google

CAPUT IX.

DE BAPTISMO REGUM.

In Palatiis Principum Baptiſmus ſolemni ritu adminiſtrari poteſt. II. *Ordo adminiſtrandi ſolemnis Baptiſmi in Aula Imperatorum Germanorum.* III. *Da uſu miſcendi aquam Jordanis Fonti Baptiſmali.* IV. *Ordo ſolemnis Baptiſmi in Aula Regum Galliæ.* V. *De uſu Cerei & Chriſmalis in Baptiſmo.* VI. *Ritus, quo Rex Chriſtianiſſimus aliquem ſuſcipit e ſacro fonte.* VII. *Ordo ſolemnis Baptiſmi in Aula Regum Hiſpaniæ.* VIII. *Et in Aula Regum Luſitaniæ.* IX. *Ritus Aulæ Luſitanæ offerendi Deo natum Infantem cum aliis cæremoniis.* X. *De Baptiſmo in Aula Regum Siciliæ.* XI. *De feſtis, in Regum natalibus.* XII. *Ordo ſolemnis Baptiſmi in Aula Neapolitana, regnante* Carolo Borbonio. XIII. *De titulo, quo donabantur primogeniti noſtrorum Regum ſub Normannis.* XIV. *Et ſub Svevis, aliiſque Siciliæ Regibus.* XV. *De eodem titulo ſub Andegavenſibus Neapolitanis Regibus.* XVI. *Et ſub Aragoniis, Auſtriaciſque Regibus.*

Cautum fuit antiquiſſima Eccleſiæ diſciplina, ne in domibus, aut Oratoriis privatis, nulla urgente neceſſitate, Baptiſma adminiſtraretur. Ad hanc rem Concilium Trullanum duos habet canones, quorum primus num. 31. ſtatuit: *Clericos, qui in Oratoriis, quæ ſunt intra domos, ſacra faciunt, vel baptizant, hoc illius loci Epiſcopi ſententia facere decernimus. Quare ſi quis Clericus hoc non ſic ſervaverit, deponatur*: alter vero numero 49. ait: *In Æde oratoria, quæ eſt intra domum, Baptiſmus nequaquam peragatur, ſed qui illuminatione ab omnibus ſordibus aliena, digni habendi ſunt, ad Catholicas Eccleſias accedant, & hoc illic munere perfruantur. Si quis autem, quæ a nobis conſtituta ſunt, non ſervare convictus fuerit, ſi ſit quidem Clericus, deponatur; ſi autem laicus, ſegregetur.* Cenſet doctiſſimus Lupus in commentariis, cauſam hiſce canonibus dediſſe Severi Antiocheni aſſeclas; qui, ut legitur in libellis Agapeto Pontifici exhibitis, ac in Conſtantinopolitana Synodo Mennæ Patriarchæ lectis: *In ipſis propriis domibus, & ſuburbiis Altaria, & Baptiſteria erigunt in oppoſitum veri Altaris, & ſancti fontis, & omnia ſimul contemſerunt propter attributum eis patrocinium ab his, qui in Domo Domini, & aliquo alio modo potentes ſint.* Juſtinianus quoque Auguſtus Novella 58. vetuit in domeſticis Oratoriis ſacra Myſteria celebrari: quamvis deinde Conſtitutione Leonis Sapientis Imperatoris id licitum fuerit, dummodo Epiſcopus loci ne diſſentiret. Unde Balſamon in comm. ad can. 31. Trullanum ſcribit: *Si quis a Regionis Antiſtite ſacrificare, vel baptizare in Oratorio prohibitus fuerit, is vero, qui tale quid fecerit, nec ei Novellæ proderunt. Is autem*

tent, qui non eſt expreſſe prohibitus, videtur tacite ex Epiſcopi ſententia facere. In Occidente Pelagius I. in epiſtola ad Eleuterium Epiſcopum, ea lege permiſit quoddam Oratorium in honorem Beatæ Cantianæ Martiris conſecrari, *ita tamen, ut in eodem loco nec futuris temporibus Baptiſterium conſtruatur, nec Presbyterum conſtituas Cardinalem, ſed quoties Miſſas ibi fieri forte maluerit, a Dilectione tua Presbyterum noverit poſtulandum, quatenus nihil talo a quolibet alio Sacerdote ullatenus præſumatur*. Pariter Zacharias Pontifex in epiſtola ad Pipinum Regem Francorum mandat, nullum Oratorium, niſi prius dotatum, conſecrari ab Epiſcopo loci, & nonniſi per Miſſas privatas; nec eis concedi Baptiſterium, aut Presbyterum Cardinalem, ſed ad Miſſas illic faciendas ſingulis vicibus Presbyterum ab Epiſcopo tranſmitti. Ratio hujus diſciplinæ fuit, quod olim ſoli Epiſcopi Baptiſmum ſolemnem conferebant, & hinc in ſola Eccleſia Cathedrali, ſeu Epiſcopali Baptiſterium extabat. Multiplicato poſtmodum fidelium numero, etiam in una, eademque Civitate plura Baptiſteria conſtrui cœpere; non tamen niſi in principalioribus Eccleſiis, quas propterea Baptiſmales dixere, ad diſtinctionem earum Eccleſiarum etiam Parochialium, quæ carebant Baptiſterio. Hinc Synodus Vernenſis cap. 7. & Concilium Meldenſe cap. 48. relatum a Burchardo lib. 4. cap. 14. decreverunt, publicum Baptiſterium in nulla Parochia eſſe debere, niſi ubi Epiſcopus conſtituerit; & nemini fas eſſe, Baptiſmum conferre, niſi in Eccleſiis Baptiſmalibus. At ſequentibus ſæculis, cum Parochi evaſerint ordinarii miniſtri Baptiſmi, illudque miniſterium pene totum ad eos fuerit devolutum; tunc quoque contigit, ut omnes paſſim Parochiales Eccleſiæ Baptiſteria acceperint. Nihilo tamen minus vetita adhuc fuit adminiſtratio Baptiſmi in privatis domibus, aut Oratoriis. Quare uti ait Gatticus lib. de Orat. privat. cap. 18. opus erit ſpeciali Epiſcoporum diſpenſatione, ut infans in Oratorio privato ſalutaribus undis regeneretur: imo propria poteſtate abuteretur Parochus ipſe, ſi in privato Oratorio baptizare auderet: cum etiam Parocho præſcriptæ ſint leges baptizandi in publico Baptiſterio, niſi gravis neceſſitas, prætermiſſis omnibus ſolemnitatibus, baptizare in privata domo infantem jubeat. Et Pontaſius Caſu 4. de Baptiſmo, reum cenſet gravis criminis Parochum, qui, nulla urgente neceſſitate, in privata domo baptizat. Verum Eccleſiæ legibus permiſſa eſt Baptiſmi adminiſtratio in Palatiis Summorum Principum. Ita quidem Clemens V. in Concilio generali Viennenſi anno 1311. ſtatuit decreto relato Clem. unic. de Bapt. *Præſenti prohibemus decreto, ne quis de cætero in aulis, vel cameris, aut aliis privatis domibus, ſed dumtaxat in Eccleſiis, in quibus ad hoc Fontes ſpecialiter ſunt deputati, aliquos (niſi Regum, vel Principum, quibus valeat in hoc caſu deferri, liberi extiterint; aut talis neceſſitas emerſerit, propter quam nequeat ad Eccleſiam abſque periculo propter hoc acceſſus haberi) audeat baptizare. Qui autem ſecus præſumpſerit, aut ſuam in hoc præſentiam exhibuerit, taliter per Epiſcopum ſuum caſtigetur; quod alii attentare ſimilia non præſumant*. Huic decreto adhæſerunt Concilia Colonienſe II. anno 1549. & Burdigalenſe anno 1624. quorum legibus nonniſi Regum, aut Principum filiis fas eſt domi, non in Eccleſia, Baptiſmum conferre. Pariter Rituale Romanum juſſu Pauli V. editum ſtatuit: *In privatis locis nemo baptizari debet; niſi forte ſint Regum, aut magnorum Principum filii, id ipſis depoſcen-*

ſcentibus ; dummodo id fiat in eorum Capellis , ſeu Oratoriis , & in aqua baptiſmali , de more benedicta. Quod intelligi debet de Capellis, & Oratoriis privatis ipſorum Principum : ſiquidem ambigendum non eſt , quin in eorum Capellis ſeu Eccleſiis Palatinis , utpote quæ publicis Eccleſiis æquiparantur , & quandoque ſunt Eccleſiæ Parochiales , poſſit Baptiſmus adminiſtrari .

II. Ordinem adminiſtrandi ſolemnis Baptiſmi in Aula Viennenſi Auſtriacorum Imperatorum exhibent Dumontius, & Rouſſetius lib 2. cap. 1. §. 1. 2. 3. 4. & 5. Cæremonialis Imperii : ubi deſcribuntur ſolemnia Baptiſmata Archiducis filii Joſephi Imperatoris , anno 1700. & alterius Archiducis filii Caroli VI. Imperatoris , anno 1716. tum etiam Archiducis Mariæ Tereſiæ , anno 1717. ejuſdem Caroli VI. Imperatoris filiæ. Ex monumentis itaque ibi relatis colligitur , hanc cæremoniam hiſce ritibus abſolutam fuiſſe ; quod nempe in ampliſſima quadam aula Imperialis Palatii , excitato Altari , & Sanctorum Reliquiis , quas e cubiculo Imperatricis Capellani Aulici detulerant, ornato; prope Altare parata menſa aulæis , & pulvinaribus tecta , ſupra quam Regius Puer eſſet collocandus ; paratis quoque ſedibus , & ſcabellis ad genua flectendum pro Imperialibus perſonis ; & Fonte Baptiſmali , in quem tantillum aquæ fluminis Jordanis ſolet infundi ; ſtata hora , Aulici omnes e cubiculo Imperatricis ad aulam illam ſe conferebant , Regiumque Puerum a cubiculo Imperatricis uſque ad ædes Imperatoris Educatrix, ab ædibus Imperatoriis ad aulam Baptiſmi Magnus Aulæ Magiſter, ulnis ſuis complexum deferebant , atque ſuper menſam illam ſtatuebant : tum ulnis exceptum Magnus Aulæ Magiſter , vel Regiæ prolis Educatrix exhibebant Antiſtiti ad Altare, Epiſcopo nempe Viennenſi, vel Apocriſiario Pontificio, a quo ſacris aquis abluebatur , conſueto Eccleſiæ ritu , Educatrice detegente partes inungendas, & Hymnus gratiarum actionis decantabatur a Muſicis Palatinis. Verum Archiduci Leopoldo Caroli VI. Imperatoris filio, una ſimul, eodem die ſacrum Baptiſma , & Equeſtrem Ordinem Velleris aurei contulere: exemplo ducto a Philippo Burgundiæ Duce, fundatore illius ampliſſimæ Societatis, qui Carolum Audacem filium, ſtatim poſt acceptum Baptiſma , donavit inſignibus illius Societatis . Dies natalitius Archiducis fuerat decimus tertius menſis Aprilis , anno 1716. dieque ſubſequenti , Imperator una cum omnibus Sociis Equeſtris Ordinis Velleris aurei, interfuit ſolemni Liturgiæ, & Veſpertinis Officiis in Capella Palatina, ſacris operante Epiſcopo Antuerpiæ. Tum ad ejuſdem diei veſperam in aula Imperialis Palatii Aprocriſiarius Pontificius, aſſiſtentibus pluribus Epiſcopis, Parocho, & Capellanis Aulicis, Regium Puerum ſacro abluit lavacro. Eo ſe contulit Imperator, veſtimento , & inſignibus Societatis Velleris aurei amictus , una cum cæteris Sociis ejuſdem ampliſſimi Ordinis , medius inter Principem Eugenium Sabaudiæ , & Philippum Comitem de Dietrieſtein, tamquam antiquiores Socios , & univerſo comitatu Aulico : & eo quoque Supremus Præfectus Aulæ Imperialis Antonius Princeps de Lichtenſtein, pariter medius inter duos Socios Velleris aurei , detulit Archiducem brachis ſuis complexum , quem ex ædibus Imperatricis , uſque ad cubicula Imperatoris detulerat Educatrix Comes de Starembergh , ſequentibus Aulicis matronis . Ubi ad aulam ventum eſt , Supremus Aulæ Præfectus Archiducem ſupra menſam prope Altare collocavit , quem mox Educatrix ulnis ſuis exceptum ad Altare admo-

Digitized by Google

admovit coram Antiſtite, a quo baptizatus eſt, ſponſorem agente Principe Maximiliano Hannoverenſi, procuratorio nomine Regis Luſitaniæ. Adminiſtrato Baptiſmo, Educatrix Regium Puerum Principi Eugenio Sabaudiæ, tamquam antiquiori Socio Velleris aurei tradidit; qui medius inter Comitem de Dietrichſtein, & Principem Abellinenſium, præeunte Feciali ſive Heraldo Societatis, illum exhibuit Imperatori. Iſque ſedens, capite operto, accepto enſe a Magno Aulæ Mareſcallo, qui prope aderat cum enſe denudato, ſemel, iterum, atque tertio retigit enſe humeros Archiducis, proferens hæc verba: *Efficiat te Deus bonum, & honorabilem Equitem in nomine Domini noſtri, & S. Andreæ*. Quo facto, Torquem aureum Societatis, illius collo impoſuit, legens ex Rituali hujuſmodi verba: *Ipſe te hic Ordo in ſodalitatem amicabilem ſuam recipit, ejuſque rei ſignum, Torquem, ego hunc tibi circumdo, faxit Deus, ut geſtare eum diu poſſis, idque ut ſimul ad Divinam gloriam, atque cultum, exaltationemque Eccleſiæ cedat; ſimul etiam cum ad amplificationem, honoremque hujus ipſius Ordinis in Univerſum, tum ad tuam privatam laudem, & promeritam famæ celebritatem, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Quibus dictis Puerum amplexus eſt; eumdemque Princeps Eugenius Educatrici reddidit, a qua rurſum ſuper menſam collocatur; accedenteſque ſinguli Socii, ſervato inter ſe antiquitatis ordine, flexo poplite, illius veſtimentum ſunt deoſculati: dum interim præcinente Apocriſiario Pontificio, Hymnus gratiarum actionis modis muſicis decantabatur. Denique ſolemni benedictione Apocriſiarii Pontificis cæremonia abſoluta eſt.

III. Quod vero de aqua Jordanis admiſta Fonti Baptiſmali innuimus; id ab antiquiſſima profluxit Chriſtianorum pietate, qui in Jordane baptizari exoptarunt, quod illius aquæ ſanctificandi virtutem ex Chriſti Baptiſmate accepiſſent, uti teſtatur Hieronymus in libro de locis Hebraicis. Præ cæteris, ſi vera narrant Euſebius lib. 4. de vita Conſtant. cap. 62. & Theodoretus lib. 1. Hiſt. Eccleſ. cap. 32. Conſtantinus Imperator, ad finem uſque vitæ ſalutaribus undis tingi diſtulit, quod in Jordane ipſo baptizari in votis habuiſſet. Et S. Baſilio Magno idem inſediſſe deſiderium ſuſcipiendi in Jordane Baptiſmi, ſcribit cap. 4. Amphilochius, ſeu quiſquis eſt auctor illius vitæ. Exinde Chriſtiani aquas Jordanis veluti ſacras, & Reliquiarum loco habuerunt; quibus in accipiendo Baptiſmo utebantur, præſertim quia mos erat aſſervandi Sanctorum Reliquias in Baptiſterio, cujus rei ſæpe meminit Gregorius Turonenſis, uti in libro de Vit. Patr. cap. 7. ubi teſtatur plures Sanctorum Reliquias in Baptiſterio Divionenſi reconditas, & lib. 10. Hiſt. Franc. cap. 31. ubi refert conſtructum a ſe Baptiſterium pluribus Sanctorum Reliquiis ditatum.

IV. Mos eſt in Aula Regum Galliæ, ut cum primum naſcuntur Regales Pueri, ſacris aquis illico abluantur; ſed ſolemnes Baptiſmi cæremoniæ diu poſtea adminiſtrentur, una ſimul cum Sacramento Confirmationis, Regio apparatu, & inſigni pompa. Ita Ludovicus XIII. Henrici IV. Regis filius, annis jam quinque natus, una cum duabus ejus ſororibus, quarum una deinde nupſit Hiſpaniæ Regi, altera Duci Sabaudiæ, Baptiſmi cæremonias anno 1606. die 14. Septembris percepit, ſolemni ritu, in pago Fontisbellaquei, & quidem in area Regii Palatii, quod Capella Palatina ob loci anguſtiam, huic agendæ cæremoniæ ſatis non eſſet. Pariter ſolemnem Baptiſmum Delphini,

 filii

filii Ludovici XIV. Regis , anno 1668. die 24. Martii in area quadam Regii Palatii San-Germanenſis , quod Capella Palatina anguſtis terminaretur limitibus, adminiſtratum fuiſſe , conſtat ex monumentis allatis a Dumontio , Roſſuetio , Gothofredo in Cæremoniali Galliæ. Sed Anna Maria Ducis Aurelianenſis filia, novem annis nata, iiſdem initiata eſt cæremoniis anno 1636. in Reginæ cubiculo, ab Epiſcopo Antiſiodorenſi, primo Eleemoſynario Regis. Franciſcus II. anno 1543. & Eliſabetha ejus ſoror nata anno 1545. (quæ Philippo II. Hiſpaniæ Regi nupſit) in Capella Palatina Fontisbellaquei ; & Lodovicus Dux Aurelianenſis pariter Henrici II. filius, anno 1549. in Capella Palatina San-Germani a Cardinali Borbonio Archiepiſcopo Senonenſi Baptiſma accepere. Porro in ſolemni Ludovici XIII. Regis Baptiſmo, in area Palatii Fontisbellaquei , intra ligneum ſeptum excitatum fuit amplum , ac ſublime tabulatum , ubi Altare , Fons Baptiſmalis, & Solium, conſpiciebantur. Illuc ad veſperam illius diei, e Regiis cubiculis, Aulici cereos accenſos manu geſtantes, ordinata ſupplicatione, ſe contulere, hoc quidem ordine: Helvetii milites rætoriani, Equites Honorarii, Sodales Equeſtris Societatis Spiritus Sancti Torque aureo ad collum ſuſpenſo, ſex Magnates Regni, quorum ſingulis commiſſa erant inſtrumenta rei ſacræ inſervientia, nempe vaſculum ſalis, vas ad effundendam aquam, vas ad excipiendam aquam, mappa ad abſtergendum , cereus , & Chriſmale . Hos ſequebatur Regius Puer baptizandus , quem manu ducebat unus e Principibus Regiæ ſtirpis , eumque excipiebat Cardinalis Giojoſa , qui nomine Pauli V. Romani Pontificis agebat patrinum ; Matronæ Aulicæ, tandem Cardinalis Gondi Epiſcopus Pariſienſis, aliique plures Epiſcopi. Abſoluto ſacro miniſterio juxta conſuetum Eccleſiæ ritum , Feciales pluries acclamarunt , *Vivat Delphinus*. Eodem fere modo res ſe habuit in ſolemni Baptiſmo Delphini filii Ludovici XIV. anno 1668. quem in area Palatii San-Germanenſis Pontificalibus indutus ornamentis miniſtravit Cardinalis Antonius Barberinus Magnus Eleemoſynarius, aſſiſtentibus cæteris Eleemoſynariis Regis Mantelletta , & Rocchetto indutis. Patrini fuere Cardinalis Vindocinenſis nomine Romani Pontificis, & Princeps Contiaci nomine Reginæ Angliæ: qui ſtatim poſt baptizandum incedebant, Cardinalis a dextris, illa vero a ſiniſtris. Inſtrumenta Baptiſmi delata fuere a ſex Principibus Regiæ ſtirpis : Regalem vero Puerum , ejus Educator comitabatur : & Palatini omnes cereis accenſis ad cæremoniæ locum proceſſere. Ludovicum XIV. glorioſiſſimum Galliæ Regem, natum die 5. Septembris , anno 1638. ſtatim ſacris Baptiſmi aquis adſperſit Epiſcopus Metenſis , Primus Eleemoſynarius Regis , in eodem Reginæ cubiculo , ubi Altare excitatum fuerat , & ubi Sacrum fecerant , & preces effuderant, tum ipſe Metenſis Antiſtes, tum Epiſcopi Bellovacenſis , & Lexonienſis , ut parturienti Reginæ Divinam opem impetrarent . Mox in Capella Palatina San-Germanenſis Palatii , præſente Rege , & omni comitatu Aulico, Hymnum gratiarum actionis ſolemniter decantarunt. At nonniſi anno 1643. die 21. Aprilis , circa primam noctis vigiliam , additæ ei ſunt ſolemnes Baptiſmi cæremoniæ , unctuſque eſt Sacramento Chriſmatis in eadem Capella San-Germanenſis Palatii , ab Epiſcopo Metenſi Primo Eleemoſynario Regis , qui Pontificalibus indutus ornamentis , ſtipatuſque quatuor Eleemoſynariis Regis , ſex Epiſcopis Roccheto & Mantelletta indutis, Abbatibus pluribus, Clericiſque Capellæ Regiæ, progreſſus e Sa-

crario

Digitized by Google

crario ad Altare, & adorata Divina Euchariſtia, quæ publicæ adorationi expoſita erat, acceſſit ad ſedem precatoriam Reginæ, quæ illi Delphinum filium exhibuit medium inter patrinos nempe Cardinalem Julium Mazarinum, & Principem Condatis: tum ſalutato Delphino, ſacrum egit miniſterium.

V. Ritus ille deferendi in Baptiſmo cereos accenſos vetuſtiſſimam habet originem; ſiquidem legitur in epiſtola Marci Gazenſis ad Arcadium Imperatorem de Baptiſmo Theodoſii junioris apud Baronium, ad an. 401. *Baptizato juniori Theodoſio, & ab Eccleſia egreſſo in Palatium, licebat rurſus intueri decorem eorum, qui præerant multitudini, & veſtem eorum refulgentem, erant enim omnes candidati, ut exiſtimaretur multitudo eſſe nive repleta. Præcedebant autem Patricii illuſtres, & omnis dignitas cum ordinibus militaribus, omnes portantes cereos, ut putarentur aſtra cerni in terra.* Unde colligit Martene lib. 1. cap. 1. art. 15. de antiq. Eccl. rit. in Regum, & Principum Baptiſmate, non ſolum ipſos veſtem albam, & cereum accepiſſe, ſed omnes inſuper Aulicos, & eorum milites. Albinus Flaccus, qui de Divinis Officiis ſæculo octavo ſcripſit, agens de Magno Sabbato cap. 19. dicit cereos prælatos fuiſſe baptizandis: *Cereus præcedit catechumenos noſtros, lumen ipſius Chriſtum ſignificat, quo præſens nox illuminetur, gratia ſcilicet reſurrectionis, & catechumeni ad Baptiſmum venturi.* Et rurſum: *Noſtri baptizati*, ait, *ducuntur quotidie ad Eccleſiam, columna cerei illuminata præcedente eos*. Similia habent Rabanus lib. 2. de Inſtit. Cleric. cap. 39. & Amalarius lib. 1. cap. 29. de Eccleſ. Officiis. Atque is ritus præferendi cereos accenſos baptizatis, vel baptiſandis, diverſus ſane fuit ab alio ritu pariter antiquiſſimo, quo, tempore ipſius Baptiſmi tradebantur cerei Neophytis, atque accendebantur: cujus rei ſæpiſſime Veteres mentionem faciunt, & plurima illorum teſtimonia adducunt Martene, Vicecomes, aliique. Imo nonnulli exiſtimant Catechumenos tempore exorciſmi etiam ardentem facem manibus tenuiſſe, quod tamen Binghamus negat. Diximus in Baptiſmo ſolemni Regum Galliæ deferri ab uno e Principibus Regiæ ſtirpis linteolum, quod nuncupant Chriſmale. Olim myſticum velamen, quod baptiſatorum capiti ſtatim poſt unctionem imponebatur, vocarunt Cappam, Galeam, & Chriſmale, uti conſtat ex Theodulpho Aurelianenſi in tractatu de Baptiſmo, Rabano de Inſtitutione Clericorum, & Alcuino in libro de Divinis Officiis. Illud ita deſcribit Anonymus Turonenſis in mſ. ſpeculo citatus a Martene: *Induitur deinde Chriſmali Neophytus, ſcilicet alba veſte, quæ inſtar cappæ lineæ caputium habet, quo caput, quaſi quadam mitra operitur, & filo rubeo ſuperſuitur.* Et Joannes Lanſpergius in Dial. de Monaſt. cap. 3. teſtis eſt, ætate ſua, nempe ſuperiori ſæculo, in multis Germaniæ, & Italiæ Eccleſiis, infantes e ſacro fonte eductos induere parvam interulam, cui annexum eſt capitium monaſtici cuculli. Tum Martene ex antiquo Pontificali Eccleſiæ Salisburgenſis, & ex Ordine Romano vulgato a Mabillonio tom. 2. Muſæi Italici deſcribit ritum imponendi Chiſmale infanti ex ſacro fonte levato, & uncto. Et hæc linteamina veluti ſacra habebantur; ut proinde Pipinus Rex Francorum dono miſerit Paulo I. Pontifici ſacra linteamina, cum quibus ſuſcepta de Baptiſmo fuerat ipſius filia, uti colligitur ex epiſtola Pontificis ad Pipinum data: *Præfatus nempe ſodalitatis veſtræ illuſtris Miſſus pretioſiſſimum nobis ſupernæ gratiæ munus attulit, ſabanum vi-*

delicet, in quo noſtra dulciſſima, & amantiſſima ſpiritalis filia ſacratiſſimo lavacro abluta, ſuſcepta eſt.

VI. Quum vero Rex Chriſtianiſſimus aliquem e ſacro fonte ſuſcipit, cæremonia etiam fieri ſolet in Capella Palatina, ad quam Rex accedit, præeuntibus militibus, Cubiculariis, Sociis Equeſtris Ordinis Spiritus Sancti, ſupremis belli Ducibus, ſeu Mareſcallis Franciæ, ſex nobilibus viris deferentibus cereum, Chriſmale, ſalinum, malluvium, gutturnium, & mappam; hos ſequuntur puer baptiſandus, Rex, & prope Regem Cardinales, Principes Regiæ ſtirpis, Duces, militeſque Prætoriani; quemadmodum apud Gothofredum to. 2. Cæremonialis Galliæ, ubi plurima occurrunt hujus rei exempla, legitur. Et ex Cæremoniali Dumontii, atque Roſſuetii colligitur, hoc eodem fere ritu Regem Chiſtianiſſimum anno 1695. egiſſe patrinum filiæ Oratoris Venetorum, quam in Capella Palatina Fontisbellaquei ſacris aquis abluit Cardinalis Boullionius Magnus Eleemoſynarius, aſſiſtente Parocho: & anno 1701. pariter Regem Chiſtianiſſimum in Capella Palatina filium Venetorum Oratoris ſuſcepiſſe e ſacro fonte, miniſtrante, cum aſſiſtentia Parochi, Cardinali Coiſlino Magno Eleemoſynario.

VII. In Aula Hiſpana ſpectat ad Magnum Capellanum Baptiſma conferre tum Regiæ proli, tum Aulicis, tum iis omnibus, qui in pæſentia Regis baptiſantur, ex variis Romanorum Pontificum privilegiis cap. 4. hujus libri relatis. Spectat vero ad Magnum Aulæ Magiſtrum, accepto a Rege imperio, Aulicos, Magnateſque certiores facere, quo die, ſacra cæremonia ſit peragenda. Ea die, in Capella Palatina, vel in Eccleſia, ubi Regius Inſans eſt baptiſandus, ad cornu Evangelii, prope Aram principem, in menſa quadam collocantur Pontificalia indumenta, & nonnulla aurea malluvia, quæ nomine oblationis conceduntur Antiſtiti ſacra facienti; veſtiarium quoque accomodatur, ubi Princeps baptiſandus veſtes exuat: ad cornu autem Epiſtolæ in alia menſa locanda ſunt inſtrumenta ad conferendum Baptiſma, quæ a nonnullis Magnatibus deferenda ſunt, quibus id Rex demandaverit. In Fonte Baptiſmali ſolet infundi tantillum ſacræ illius aquæ, qua ajunt ablutum in Baptiſmo S. Domenicum Ordinis Prædicatorum Fundatorem, quæque in Dominicanorum Cœnobio Caragnetæ civitatis Regni Caſtellæ aſſervatur, curante hanc rem Confeſſario Regis. Tum in ſalutatorio Principis cubiculo, ſuper menſam, & ſub umbella ſtatuuntur hæc inſtrumenta ad Baptiſma accipiendum, nempe interula, cereus, malluvium, mappa, & ſalinum a Magnatibus geſtanda. Stata die ad Regii Infantis regenerationem, Supremus Caſtellæ Præſes, Magnus Capellanus, Conſiliarii Status in Eccleſia Principem expectant, qui hoc ordine illuc accedit. Præcedunt Officiales quidam Aulici, quos Alcaldos nuncupant, ſequuntur Aulici adoleſcentes, tum qui Regis ſunt a cubiculo, & a menſa, vulgo *Gentiluomini di Camera, e di bocca*, Præfecti Domus Principis, Caduceatores ſeu Mazzerii quatuor, Præfecti Domus Reginæ, Præfecti Domus Regis, virgas manu geſtantes, Magnates Hiſpaniæ, Feciales, Proceres deferentes inſtrumenta Baptiſmo inſervientia, Regius Inſans lectica, aut ſede geſtatoria advectus una cum ejus Educatrice, vel Principe Regiæ ſtirpis, aut Hiſpaniæ Magnate, tum Matronæ Aulicæ. At Rex ſolet adeſſe nulla pompa, ſeu, ut ajunt, *incognito*. Quod ſi Princeps baptiſandus hæres Regni minime ſit, nec Caduceatores, nec

Fecia-

Feciales interveniunt cæremoniæ; neque ab Hiſpaniæ Magnatibus deferuntur inſtrumenta Baptiſmi, ſed a Præfectis Domus Regiæ. Oratores Principum comitantur baptiſandum Principem, ſi is pedes ad Eccleſiam pergit: at ſi lectica, aut ſede geſtatoria advectus, illum in Eccleſia expectant. Ad hujus fores Antiſtes Pontificalibus ornamentis indutus illum excipit, exceptumque ducit ad Fontem, dum a Muſicis Palatinis quædam Reſponſoria decantantur. Prima Aulæ Matrona denudat Infantem ſacris aquis abluendum, illam adjuvantibus cæteris Matronis Aulicis. Denique adminiſtrato Baptiſmo juxta conſuetum Eccleſiæ ritum, Epiſcopi, qui interſuere, exuti Pontificalibus indumentis, Principem comitantur uſque ad Ædes Regias, inceduntque ſimul cum Aulicis Matronis; redeunti Principi Rex, & Regina obviam occurrunt. Hoc fere ordine Ludovicus Princeps Aſturicenſium, Philipphi V. glorioſiſſimi Regis Hiſpaniæ, & Mariæ Adelaidis Sabaudæ filius, ſolemnibus Baptiſmi cæremoniis initiatus eſt in Capella Palatina a Cardinali Portocarrero Archiepiſcopo Toletano; ſed jam ſacro lavacro regeneratus fuerat a Carolo Borgia Archiepiſcopo Trapezuntino, Magno Capellano, aſſiſtentibus Epiſcopis Gerundenſi, & Ovedano, ſtatim ac in vitam venit anno 1707. Pariter in Capella Palatina ſacro donata fuit Baptiſmate anno 1638. Maria Tereſia Infans Hiſpaniæ; quæ poſtea Ludovico XIV. Galliæ Regi nupſit.

VIII. Regiæ ſobolis Baptiſmata ſolemni pompa adminiſtrantur in Aula Luſitana; uti plurimis exemplis conſtat libris ſeptimo, & octavo Hiſtoriæ Regum Portugalliæ. Et quidem primo ſolemnis gratiarum actio cum Liturgia, & Hymno *Te Deum* haberi ſolet in Eccleſia Palatina, præſente Rege cum univerſo Aulico Comitatu, & Oratoribus Principum. Quandoque etiam Cœnobitæ ad Eccleſiam eamdem ſe conferunt, ad gratias Deo agendas, quemadmodum in nativitate Joannis Infantis filii Petri II. Regis, die 30. Auguſti 1688. qui paucos poſt dies obiit, factum eſſe refert Souſa. Deinde elapſis nonnullis a nativitate diebus, Regius Puer baptiſatur in Eccleſia Palatina, olim quidem a Magno Capellano, nunc a Patriarcha. Spectat ad ſupremum Præfectum Domus Reginæ ulnis ſuis complexum ducere Regium Puerum ad Eccleſiam; illo abſente, Œconomus Domus Reginæ (*Veador da Caſa da Rainha*) fungitur hoc officio. Ducitur vero ſub baldachino a ſex Magnatibus Aulicis, ut plurimum ſupremis Conſiliariis, delato. Præcedunt Caduceatores, quos vocant *Porteiros das Maças*, Feciales, vulgo Reges armorum, Præcurſores dicti *Paſſavantes*, Nobiles viri, Officiales Aulici, Magnates. Sequuntur detecto capite nonnulli Proceres deferentes inſtrumenta adminiſtrationi Baptiſmi inſervientia, quæ ab Hiſpanis *inſignia*, a Gallis *honneurs* dicuntur; eaque ſunt cereus, malluvium, manutergium, ſalinum, Chriſmale. Sponſores, ſeu qui procuratorio nomine ſponſores agunt proxime incedunt ante Puerum baptiſandum; hunc vero proxime ſequitur Educatrix, clauduntque agmen Matronæ Aulicæ. In Eccleſia dum Regius Puer ſacris aquis abluitur, circumſtant nonnulli Aulici, quos *Moços Fidalgos* appellant, cereos accenſos in manibus habentes, quemadmodum factum legitur in Baptiſmo Infantis Iſabellæ filiæ Petri II. Regis, & Mariæ Franciſcæ Sabaudæ Reginæ, anno 1669. Rex, Regina, Regiique Principes adeſſe ſolent in abſide, ſeu ædicula, ut ajunt *incognito*. Attamen in Baptiſmo Infantis Mariæ Franciſcæ Iſabellæ filiæ Principis Braſileenſium, die 9. Januarii, an-

no

no 1735. Sereniſſimus Rex Joannes V. & Regina ejus conjux ſolemni pompa Solio inſidentes interfuere, atque dum Infantula ad Eccleſiam deducebatur ulnis excepta a Supremo Præfecto Domus Principis Braſilenſium, ſimul ſub umbella inceſſere; precedentibus umbellam Regiis Infantibus, ſequentibus Regiis feminis. Atque hoc fore ordine in Eccleſia Palatina Luſitana Baptiſmum perceperunt Alphonſus VI. an. 1643. Petrus II. anno 1648. uterque Joannis IV. filius, & Portugalliæ Rex, ab Emmanuele dà Cunha Magno Capellano: Iſabella Infans Petri II. Filia, anno 1669. a Franciſco de Sotomayor, Epiſcopo Targenſi, & Decano Palatinæ Capellæ: Joannes V. ejuſdem Petri II. Regis filius, anno 1689. ab Antiſtite Ludovico de Souſa, & Infantes D. Franciſcus, anno 1691. D. Antonius, anno 1695. D. Emmanuel, anno 1697. D. Franciſca anno 1699. ab eodem Ludovico de Souſa Magno Capellano, Cardinali, Supremo Fidei Vindice & Archiepiſcopo Ulyſſiponenſi. Eodem quoque ritu Infantes Joannis V. Luſitaniæ Regis filii, Maria Barbara, deinde Hiſpaniæ Regina Clementiſſima, anno 1711. Petrus Princeps Braſileenſium anno 1712. Joſeph itidem Braſilienſium Princeps ob illius mortem, anno 1714. & Carolus, anno 1716. ſacris aquis abluti ſunt a Cardinali de Cunha Magno Capellano. Et poſt Eccleſiæ Patriarchalis dignitatem additam Capellæ Palatinæ, ſimili ordine ſacrum Baptiſma collatum eſt a Thoma de Almeida Patriarcha, deinde Cardinali, Infantibus Alexandro, anno 1723. Mariæ Franciſcæ Iſabellæ, anno 1735. Mariæ Annæ Franciſcæ anno 1737. uti ex laudata Hiſtoria colligitur. Hinc patet, ſolemne eſſe in Aula Luſitana, ut Regii Principes, paucis a nativitate diebus, etiamſi hæredes imperii minime ſint, magna pompa ſacro regenerationis lavacro abluantur. Quum vero Principes imperii hæredes in vitam veniunt, ad hos ſolent Romani Pontifices honoris, & benevolentiæ cauſa faſcias benedictas tranſmittere, quibus Regius Puer involvatur, quod Innocentius XII. anno 1691. cum Joanne Principe, deinde Luſitaniæ Rege, & Clemens XI. anno 1715. cum Joſepho Principe Braſilienſium præſtitere. Id quoque officii, aliis Chriſtianis Principibus præſtant Romani Pontifices, cum ſucceſſores paterni imperii naſcuntur.

IX. Sed Regum Luſitanorum pietati ſingulare eſt, quod nati Infantes ſolemni quodam ritu Deo offerantur in Eccleſia a Regina eorum parente: Magnuſque Capellanus Pontificalibus indutus ornamentis Regium Puerum ad Altare admovet, dum interim Hymnus *Te Deum* decantatur. Hac inſigni religione Mariam Sofiam de Neoburgo Reginam Petri II. conjugem natos ſuos omnes Deo obtuliſſe teſtatur Souſa; illiuſque pietatem ad Mariam Annam Auſtriacam Joannis V. Regis uxorem, traductam. Quo autem ritu Joſeph Princeps Braſileenſium nunc glorioſiſſimus Rex Portugalliæ, natus die 6. Junii, anno 1714., baptiſatus, ac Deo oblatus fuerit, enarrat his verbis laudatus Auctor lib. 7. cap. 7. pag. 336. Hiſt. Luſit. *Em o dia 27. de Agoſto recebeo o Infante o ſagrato Bautiſmo com o nome de Dom Joſeph Franciſco Antonio Ignacio Norberto Agoſtinho, que lhe conferio o Cardeal da Cunha, Capellaõ mor, aſſiſtindo os Biſpos de Viſeu D. Jeronymo Soares, de Leiria D. Alvaro de Abranches, do Porto D. Thomas de Almeida, de Elvas Dom Fernando de Faro, de Tagaſte D. Manoel da Sylva Francez, de Hypponia D. Fr. Joſeph de Oliveria, e de Patara D. Fr. Joſeph de Jeſus Maria. Foy*

Pa-

Padrinho el Rey Luiz XIV. de França, e com procuração ſua Raynaldo de Mornay, Abbade de Orleans, ſeu Embaixador, e Madrinha a Emperatriz Iſabel. Foy levado a Pia nos braços do Duque de Cadaval, Mordomo mor da Rainha, debaixo de rico Paleo, de que tinhaõ as varas da parte direita o Marquez de Caſcaes D. Manoel de Caſtro, o Conde da Ribeira Grande D. Joſeph Rodrigo da Camera, o Conde da Sarzadas D. Rodrigo da Sylveira, e da parte eſquerda o Marquez de Alegrete Fernaõ Telles da Sylva, Gentil-homem da Camera del Rey, e do Conſelho de eſtado, o Conde dos Arcos D. Marcos de Noronha, Gentil-homem da Camera do Infante D. Franciſco, e o Conde Santiago Aleixo de Souſa da Sylva, Apoſentador mor. As inſignias foraõ lavadas neſta ordem: o Senhor D. Miguel o Salleiro, o Duque D. Jayme Eſtribeiro mor del Rey, e do Conſelho de Eſtado o Maçapaõ, o Marquez das Minas D. Luiz de Souſa Eſtribeiro mor da Rainha, e do Conſelho de Eſtado a Vela, o Marquez de Fronteira D. Fernando Maſcharenhas do Conſelho de Eſtado, e Vedor de Fazenda a Veſte Candida, e o Marquez das Minas D. Joaõ de Souſa Gentilhomem da Camera del Rey, e do Conſelho da Guerra a Toalha para purificar; e ſendo accompanhado na forma do Ceremonial da noſſa Corte, por todos os Grandes, e Officiaes da Caſa Real, e mais peſſoas, que tem lugar em ſemelhantes occaſioens, hia aſſiſtido da Marqueza de Santa Cruz D. Tereſa de Moſcoſo Oſorio ſua Aya, e ſe fez a funçaõ com Real magnificencia. El Rey, a Rainha, e os Infantes aſſiſtaraõ na Tribuna todo o tempo, que durou eſte acto. No dia 29. do referido mez ſahio a Rainha em publico a Igreja de S. Roque a offerecer o Infante recemnaſcido a Deos pela interceſſaõ de S. Franciſco Xavier. Depois da Rainha eſtar na Igreja dentro do ſitial, tomou ao Infante nos ſeus braços dos da Marqueza Aya, e neſte tempo deſceo do Altar o Cardeal da Cunha Capellaõ mor, reveſtido de Pontifical com Cappa, e Mitra, e a Rainha lhe entregou o Infante, e ſobindo ao Altar da banda da Epiſtola, fez a oblaçaõ, e voltando, o entregou a Rainha, que o deu a Marqueza Aya, que entrou com a Rainha para o ſitial, e logo ſe cantou o Te Deum *com grande ſolemnidade. Eſta devota oblaçaõ havia ja praticado a Rainha D. Maria Sofia com todos os ſeus filhos, deixando no Paço eſte, e outros devotos exemplos de exercicios, que foraõ bem obſervados da pietate da Rainha ſua ſucceſſora.* Petrum quoque Infantem genitum die 29. Auguſti anno 1717. eadem pompa baptiſatum, oblatumque Deo idem Auctor ſcribit lib. 7. cap. 9. Præterea Luſitanorum Regum filii in prima ætate ſolent Confirmationis Sacramento ſignari a Magno Capellano. Ita Infans Maria Iſabella Petri II. Regis, & Mariæ Franciſcæ de Sabaudia filia, die *6.* Januarii, anno *1669.* nata, ſacro Chriſmate uncta eſt a Ludovico Souſa Magno Capellano, & Archiepiſcopo Ulyſſiponenſi anno *1683.* Infans D. Antonius ejuſdem Regis filius, die 15. Martii, an. 1695. natus, Confirmationis Sacramentum percepit, ſimulque Tonſura Clericali initiatus eſt, anno 1703. in Oratorio privato Regis a Magno Capellano Joſepho de Lancaſtre, Supremo in Luſitania Fidei Inquiſitore. Is idem Antiſtes anno 1704. pariter in Oratorio privato Regis, Tonſura donavit Clericali Emmanuelem Infantem natum anno *1697.* Denique Luſitaniæ Infantes in prima quoque ætate armantur Milites, atque in Equeſtrem Ordinem Chriſti adſciſcuntur inſigni cæremonia, quæ fit in Eccleſia Palatina. Ita Joannem Principem, deinde Luſitaniæ Re-

Regem, una cum Inſante D. Franciſco in Capella Regia anno *1696.* armatum ſuiſſe Militem, creatumque Socium Equeſtris Ordinis Chriſti; Inſantem quoque D Antonium, qui in lucem venerat anno *1695.* donatum Militiæ, & Equeſtris Ordinis Chriſti inſignibus anno 1717. narrat Antonius Cajetanus Souſa.

X. Vix ulla ſuperſunt monumenta, queis compertum ſit, quo loco, quove ritu Siculi, Neapolitanive Reges ad ſacrum regenerationis lavacrum acceſſerint. Joannes Paternione Archiepiſcopus Panormitanus in allegationibus, quas edidit pro ſua Eccleſia Panormitana, inter alia privilegia recenſet, quod ibi Siculi Reges ſalutaribus aquis mergerentur. Cui adhærens Amatus lib. 13. cap. 1. ait, non in Capella Palatina, ſed in metropolitana Eccleſia Regios pueros ablutos, nullum a Pirro in notitia illius Capellæ indicari Regem, qui illic Baptiſmum acceperit, quos tamen in Cathedrali baptiſatos colligitur ex veteribus monumentis; & in Chronico cujuſdam Anonymi cap. 72. apud Martene tom. 3. Anecdot. legitur: *Anno a nativitate Domini* 1305. *indic. 3. die Mercurii in mane diei* 14. *videlicet menſis Julii apud Parcum novum de tenimento Panormi natus fuit ex dicta Domina Alionora uxore dicti Domini Regis Friderici II. eidem Regi Friderico filius nomine Domp. Petrus, qui Domp. Petrus die Sabbati* 24. *ejuſdem baptiſatus fuit in Fonte majoris Panormitanæ Eccleſiæ*. At vero in Eccleſiam Palatina non ſemel Regiis pueris collatum Baptiſma veriſimile eſt; tum quia Parochialis erat Eccleſia, eaque multiplici titulo præſtantiſſima, tum quia Reges conſueverunt in Ædibus ſuis Baptiſma accipere, quod & illis privilegium conceſſit Viennenſe Concilium. Accedit, Siciliæ Reges in privilegiis bene multis Panormitanæ Eccleſiæ conceſſis, quæ exhibent Pirrus, Fazellus, Baronius de majeſtate Panormitana, & Amatus, non aliam commemorare cauſam ſuæ erga Eccleſiam illam munificentiæ, quam quod ibi Diadema Regni acceperint, ibi quoque prædeceſſorum Regum cadavera tumulata jaceant. Eccur vero ſilentio præteriiſſent, ſe ibi regeneratos eſſe, Chriſtianæque religioni ibi nomen dediſſe? Quoad Neapolitanos Reges, hos conſueviſſe in Capella Palatina magnis ſolemniis celebrare Baptiſmata Regiæ prolis, indicat in ſuis Diariis MSS. Silveſter Guarinus relatus a Tutino in libro de ſeptem ſupremis Officiis Regni, cum agit de Proſpero Columna Magno Coneſtabulo Friderici Aragonii, Regis Neapolitani. Scribit enim ille vernaculo idiomate: *Domenica Paſca Roſata* (nempe die Pentecoſtes) 19. *Maii* 1499. *la Maeſtà del Re Federico fece battezzare lo ſuo figlio per mano dello Archiepiſcopo Napolitano di Caſa Carafa nella ſala grande del Caſtello nuovo, dove li poſero nome Alfonſo, e fatto grande triunfo, e feſta, e ſua Maeſtà convitò tutti li Baruni, e le Donne di Napoli, che da gran tempo non ſi ricordano tanto gaudio, e con ipſo delli balli, ed altro triunfo non ſi può narrare, lo Signore Proſpero Colonna ſi fecero Compare con lo Re, e ſua Maeſtà lo fece Conteſtabile, e lo Signor Fabrizio Colonna ſi fece Capitanio di gente d'arme, e tutti due fecero dono allo figliuolo da parte dell'altri Baruni*. Hujus ſolemnis Baptiſmi, uti teſtis eſt idem Tutinus, meminit quoque Jacobus Notarius in ſuis MSS. Annalibus, referens a Cardinali Oliverio Carafa Archiepiſcopo Neapolitano celebratum, pluresque Regulos in patrinorum honorem adſcitos ſuiſſe. Sed Julianus Paſſerus in ſuis Diariis MSS.

MSS. ab eodem Tutino relatis ſcribit, in Capella Palatina Arcis novæ baptiſatum Alphonſum, filium Friderici Regis, rem ita narrans: *La Regina Iſabella moglie di Re Federico partorì un figliuolo maſcolo, e ſubito mandarono un Cavallero al Re, e così ſe ne tornò da Puglia, e come fu junto in Napoli, ordinò di far lo Batteſimo, quale lo fece dentro lo Caſtiello nuovo, perche la naſcio, dove ſi fece Compare lo Signor Duca di Melfe nominato Trojano Caracciolo, & anco ſe fece per Compare lo Principe de Biſignano de Caſa Sanſeverino, e lo Signor Proſpero Colonna, & anco lo Ambaſciador di Venezia, & a lo figliuolo poſero nome D. Alfonſo Ramir de Aragona, e queſto fu alli 19. Maggio, lo dì de Paſqua Roſata con lo maggior triunfo dello Mundo, e lo ditto Battiſimo fu fatto alla Capella dentro lo Caſtiello, ed anco ſe fece per Compare lo Signor Fabrizio Colonna, e lo Piſcopo di Tarracona Catalano*. Olim namque fas erat plures ſuſceptores in Baptiſmo adhibere; ſed deinde Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. de refor. Matr. cap. 2. ne cognationis ſpiritualis impedimentum latius extenderetur, decrevit, *ut unus tantum, ſive vir, ſive mulier, juxta ſacrorum Canonum inſtituta, vel ad ſummum unus, & una, baptiſatum de Baptiſmo ſuſcipiant.* Hunc ipſum Fridericum Ferdinandi filium ſolemni pompa baptiſatum fuiſſe, patrinum agente Friderico Imperatore, qui tunc Neapoli aderat, indicat Summontius lib. 5. Hiſt. Neapol. his verbis: *A' 19. dell' iſteſſo meſe d' Aprile (come dice il Paſſaro) per compire l' univerſale allegrezza e feſta, nacque al Duca di Calabria il ſecondo figliuolo, il quale fu tenuto al batteſimo dall' Imperatore, e volſe fuſſe chiamato del ſuo nome (che poi ſuccedendo al Regno fu nominato Federico Secondo) e levatoſi l' Imperatore una cullana, guarnita di pretioſiſſime gemme, ſtimata di gran prezzo, la poſe ſopra al bambino, per lo cui naſcimento per molti giorni nella ſtrada dell' Incoronata ſi fecero belliſſime gioſtre mantenute dal Duca di Calabria*. Quod vero de ſplendidis epulis a Friderico Rege exhibitis occaſione ſolemnis Baptiſmi Alphonſi filii, id adhuc in more eſt in Aula Regum Galliæ: conſtat enim ex Cæremoniali Galliæ Gothofredi, Dumontii, & Roſſuetii, in Baptiſmo Ludovici XIII. anno 1606. & in Baptiſmo Delphini anno 1668. aliiſque Regiæ ſobolis Baptiſmis, peracto ſacro miniſterio, quod ad veſperam fieri ſolet, opiparam cœnam a Rege ſuſceptoribus inſtructam fuiſſe.

XI. Cæterum, regnantibus quoque Auſtriacis Hiſpaniæ Regibus, natalitia Regiæ ſobolis celebrata ſunt in Aula Neapolitana ſplendidiſſimo apparatu, choreis, ludis publicis, ſpectaculis, conceſſa pluribus reis venia, feſtivis ignibus, perſonatorum turbis, pugnis ludicris, & nobiliſſima indicta equitatione, qua Reguli, Optimates, & Prorex ipſe, equites adibant Metropolitanam Eccleſiam, ut ſolemni gratiarum actione acceptum beneficium compenſarent; uti ſub Proregibus Comite Beneventanorum, anno 1605. in natali Philippi IV. Regis; Duce Alcalenſium, anno 1629. in natali Balthaſſaris Caroli, illius Regis filii; Comite Penarandæ, anno 1661. in natali Caroli II. factum refert Parrinus in Theatro Proregum Neapolitanorum. Qui idem agens de Prorege Comite Caſtrillenſium deſcribit ſolemnia natalitia Philippi Proſperi filii Regis Philippi IV. quum & in Capella Palatina, & in Eccleſia Regia Carmelitarum grates Deo perſolutæ fuere, ſacris operante Joanne Salamanca Magno Capellano, editis plurimis, atque ſumtuoſiſſimis publicæ lætitiæ ſignis.

XII. At regnante Carolo Borbonio, cum ei natus eſt hæres paterni imperii, is fuit Ordo ſolemnis Baptiſmi. Principem natum die 13. Junii anno 1747. & ſacris aquis ablutum, ab ampliſſimo, & religioſiſſimo Cardinali Joſepho Spinelli Neapolitano Archiepiſcopo, ſolemnibus Baptiſmi cæremoniis initiandum, atque illius ſuſceptores fore Ferdinandum Hiſpaniæ Regem, & Mariam Barbaram Hiſpaniæ Reginam, Regales Parentes decrevere. Ad eam rem Neapolim ablegavit Rex Catholicus Ducem Metinæ-cœli nobiliſſimum Hiſpaniæ Magnatem primi ſubſellii, qui ejus nomine, & vice patrinum ageret: a Regina vero Hiſpaniæ demandatæ fuerunt ejus vices in eodem explendo munere Catherinæ Caraſæ, Principi Colubrani, Primæ Aulæ Matronæ. Ubi igitur omnia ad tantam celebritatem agendam in promptu fuere, ſtata die 4. Februarii, anno 1748. Dux Mirandæ, Regis a cubiculo, aurea clave donatus, Curru Regio ſex equis ducto advectus, ædes adiit, in quibus Hiſpanus Legatus diverſabatur, ut eumdem ad agendam cæremoniam deduceret. Uterque deinde Regium currum coſcendit, ac præcedente magna famulorum copia, incedentibus a dextra, lævaque currus octo adoleſcentulis e famulitio ipſius Ducis, ſequentibus ſex ejuſdem rhedis, quarum ſingulis alligati erant ſex equi, tum pluribus aliis rhedis, quas honoris, & pompæ cauſa, Proceres Aulici eo miſerant, ſumptu, luxuque magnificentiſſimo ad Ædes Regias proceſſere. In area ampliſſima Palatii Regii inſtructi fuere in acie milites Prætoriani Itali, Helvetiique: tum a deſtra, lævaque ſcalarum, a Palatii atrio uſque ad ædium Reginæ veſtibulum, conſtitutus in acie miles haſtatus. Ubi ad hoc veſtibulum ventum eſt, Dux militis cuſtodis corporis Regis, occurrit Hiſpano Legato, eumque ad interiores ædes duxit: ac interea temporis, ea quoque pervenit Princeps Colubrani Prima Aulæ Matrona, quæ partes implebat Hiſpanæ Reginæ, media inter Januarium Caraſam Roccellæ Principem, Regis a cubiculo, atque Socium Regalis Ordinis S. Januarii, & Principem Roccæ Aulicam Matronam, a quibus ex ædibus ſuis in ipſo Palatio Regio poſitis, ad Reginæ ædes deducta eſt; illamque haſtatus miles conſueto militari obſequio coluit, & Dux cuſtodum corporis Regis excepit. Tum ex ædibus Reginæ hoc ordine ad Capellam Palatinam progreſſi ſunt univerſi: præibat Magiſter Oſtiarius Domus Regiæ, vulgo *Uſciere Maggiore*, poſt hunc Fecialis ſeu *Re dell' armi* incedebat, cum quatuor Caduceatoribus ſeu *Mazzieri*; ſequebantur ii, qui Regis ſunt a cubiculo aurea clave donati, tam qui honoris cauſa ſunt in illum cœtum adſciti, quos vocant *Gentiluomini d' entrata*, quam ii qui operam ſuam in Aula præſtant, dicti proinde, *Gentiluomini d' eſercizio*; hos excipiebat Eleonora Sfortia Ceſarini Marchioniſſa S. Marci, & Educatrix Regiæ ſobolis, deferens ulnis ſuis complexum Regalem Puerum ſacris cæremoniis initiandum, media inter Ducem Metinæ-cœli a dextra, & Principem Colubrani a ſiniſtra incedentes; denique claudebant agmen Matronæ Aulicæ. In Capella Palatina ampliſſimus, & emeritiſſimus Antiſtes Neapolitanus Joſeph Cardinalis Spinelli, Pontificalibus indutus ornamentis, aſſiſtentibus ei nonnullis Metropolitanæ Eccleſiæ Canonicis, ſacro functus eſt miniſterio juxta conſuetum Eccleſiæ ritum: eoque abſoluto, Lelius Caraſa Marchio Arienſi, Dux militum cuſtodum corporis Regis, Socius Regalis Ordinis S. Januarii, tamquam Protonotarius Regni tabulas conſcripſit, quibus teſtabatur ſolemnem illam cæremoniam pera-

peractam fuiſſe; adhibitis ad eam rem teſtibus Principe Aragonæ Supremo Præfecto Domus Reginæ, & Principe Hoſtiliani Supremo Regii ſtabuli Præfecto. Hiſce itaque cæremoniis, Sereniſſimus Neapolitanus Princeps Philippus, ſacris ablutus eſt aquis. Hunc ddlemus ex adverſa valetudine in tenella ætate, imparem redditum imperio regendo. At Sereniſſimum Principem Carolum Antonium natum die 12. Novembris, ſequenti anno 1748. nulla pompa; nulliſque ſolemniis ſacro regeneravit lavacro in villari Domo Regia Porticenſi idem ampliſſimus Cardinalis Archiepiſcopus Neapolitanus. Is nunc in Hiſpania Princeps Aſturicenſium, paternam familiam, virtutem, pietatem perennandam promittit. Deus Optimus Maximus Regiam ſobolem diu nobis, Europæ, & Eccleſiæ ſervet incolumem.

XIII. Addere juvat titulos, quibus donati fuere noſtrorum Regum liberi, ut moris eſt apud omnes fere Europæ Principes. Normannos, qui Regio titulo in Sicilia, & in Apulia imperarunt, jam diximus ſe inſcripſiſſe Reges Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ: quod priſcis temporibus Sicilia ſuos habuiſſet Reges, Apulia vero diceretur Ducatus, Capua quoque ſub Longobardis inſignem Principatum conſtitueret. Et hinc Lotharius Imperator Neapolitano Regno potitus, uti ſcribit Diaconus lib. 4. cap. 26. Rainulphum conſtituerat Ducem Apuliæ, & Robertum Principem Capuæ, utrumque ſui exercitus ducem, ſibi addictiſſimum. Diximus etiam Normannos Principes non ſemel ſe ſe Reges Siciliæ, & Italiæ, vel Siciliæ, & Apuliæ dixiſſe: at conſueto tamen titulo dicebantur Reges Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ. Quamobrem illorum filii hiſce titulis Ducatus, & Principatus donati fuere: ita ut natu maximus, hæres Regni, diceretur Dux Apuliæ, ſecundo loco natus vocabatur. Princeps Capuæ, tertius vero Princeps Tarenti. Ita Rogerius filius natu maximus Rogerii I. Regis ex Albira uxore, conſtitutus eſt anno 1130. Dux Apuliæ; tum anno 1139. Dux Neapolis, quod hæc ampliſſima Civitas a Rogerio ſubacta eſſet, & e vivis exceſſiſſet Sergius Dux Neapolitanorum, uti legitur in Chronico Falconis apud Caracciolum. Amphuſium alterum Rogerii I. Regis filium nuncuparunt Capuæ Principem, & extincto Rogerio fratre, Ducem Neapolis. Willelmum ejuſdem Rogerii I. filium, qui deinde præmortuis fratribus in imperio ſucceſſit, dixere Principem Capuæ. Præter hos, duo alii memorantur a Scriptoribus filii Rogerii Regis, Tancredus nempe Princeps Barenſis, & Henricus Princeps Tarenti. Pariter Rogerio primogenito Willelmi I. Regis ex uxore Margarita, filia Regis Navarræ, datus eſt anno 1154. titulus Ducis Apuliæ, quem novennem puerum excitata ſeditione Siculi Regem acclamarunt, ſed gravi pedis ictu ab irato parente percuſſus; paulo poſt obiit. Henricus alter Willelmi I. filius, appellatus eſt Princeps Capuæ; & a nonnullis Scriptoribus memoratur Robertus ejuſdem Regis filius, & ipſe Principatus Capuani titulo donatus. Willelmo II. Regi nulli fuerunt liberi ex Joanna uxore, filia Henrici Regis Anglorum: quamobrem illi in imperio ſucceſſit Tancredus Comes Licii filius nothus Rogerii Ducis Apuliæ, primogeniti filii Rogerii I. Regis. Tancredi quarti e Normannorum ſtirpe Regis Siciliæ filius natu maximus Rogerius ex uxore Sybilia, Richardi Comitis Acerrarum filia, dictus eſt quoque Dux Apuliæ. Sed huic e vivis ſublato, antequam regno potiretur, ſucceſ-

ſit Willelmus hujus nominis III. quem, nulla ducta uxore, Henricus Imperator, regno, oculis, & virilibus privavit, immani crudelitate. Patet itaque, ſub Normannis Regibus, qui dicebantur Siciliæ Reges, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, primogenito filio, hæredi Regni collatum fuiſſe titulum Ducis Apuliæ, aliiſque Regis liberis titulos Principum Capuæ, & Tarenti. Atque hujuſmodi tituli adeo Regiis filiis, nec ullis aliis convenire exiſtimabantur, ut hoc prætextu Willelmus I. Tarentino Principatu privaverit Simonem nothum filium Rogerii I. Regis, cui parens Principatum illum ex teſtamento conceſſerat, quod nempe nonniſi legitimi Regum filii dicendi eſſent vel Duces Apuliæ, vel Principes Capuæ, vel Principes Tarenti; nothis vero liberis nonniſi Comitis titulus deberetur, uti narrat Falcandus in Chronico. Et quidem tunc temporis, præter Regios liberos, nulli vocabantur Principes, aut Duces, ſed Comites, etſi Regia cognatione vel ſtirpe eminerent.

XIV. Normannis Regibus Svevi Imperatores ſucceſſere, Henricus VI. Fridericus II. Corradus, Manfredus, hique pariter inſcribebantur Reges Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ; tum etiam Reges Hieruſalem, quod Jole filia Joannis de Brenna Regis Hieruſalem, & uxor Friderici II. paterna in Hieroſolimitanum imperium jura, viro communicaſſet; qui proinde Hieroſolymam adiens, ibi anno 1229. die Paſchatis unctus, coronatuſque eſt. At Svevorum Principum filii nec Ducatus Apuliæ, neque Principatus Capuæ, aut Tarenti titulis ornati leguntur; excepto Mamfredo filio notho Friderici, cui Principatum Tarentinum contulit parens, quod illi ſimul eſſent Imperatores, Regeſque Germaniæ, aliiſque titulis liberos ſuos exornarent. Ita ex Friderici II. Imperatoris, Regiſque Siciliæ filiis, Henricus dictus eſt Rex Germaniæ, Corradus dictus eſt Rex Romanorum, alter Henricus Rex Siciliæ: tum ex illius nothis, Entius Rex Sardiniæ, Fridericus Princeps Antiochiæ, Henricus Rex Corſicæ, Manfredus Princeps Tarenti, Richardus Comes Civitæ. Manfredum Svevorum Regum poſtremum, Carolus Andegavenſis & imperio, & vita privavit, quum a Clemente IV. donatus eſt imperio Siciliæ citra & ultra Pharum, nonnullis ſtatutis conditionibus, quæ tum apud noſtrarum rerum Scriptores, tum in Anecdotis Martene, ubi etiam habetur Infeudatio facta a Pontifice, legi poſſunt. Sed inviſum, infenſumque Gallorum imperium Siculi anno 1271. excitata famoſa ſeditione, inſigni Gallorum clade excuſſerunt, accerſito ad Regnum occupandum Petro Rege Aragonum, qui Conſtantiam duxerat Manfredi Regis filiam; neque umquam vel Romanorum Pontificum cenſuris, vel Caroli, & ſucceſſorum Regum Andegavenſium armis, in horum poteſtatem, ditionemque redigi potuere. Itaque Siciliam ultra Pharum Aragonii Reges adminiſtrarunt: qui tamen nec ipſi, neque eorum liberi dicti ſunt, vel dici poterant Duces, aut Reges Apuliæ, vel Principes Capuæ: bene vero ſibi addidere titulos Ducis Athenarum, & Neopatriæ. Ita Rogerius Manfredus, Willelmus, Joannes filii Friderici II. Regis, appellati fuere Athenarum Duces, Neopatriæ, & Randacii. Et Fridericus III. filius Petri Regis, antequam imperio potiretur, vocabatur Dux Athenarum & Neopatriæ; & Martinus Rex ſe inſcribebat Regem Siciliæ, Ducatuum Athenarum, & Neopatriæ Ducem, uti legitur apud Pirrum in Chronologia Regum Siciliæ. Imo Fridericus II. anno 1302. & Fridericus III. anno 1363. Reges Siciliæ ul-

ultra Pharum, initio ſœdere cum Carolo II. & Joanna I. Neapolitanis Regibus convenere, ut non ipſi dicerentur Siliæ Reges, ſed Trinacriæ, Neapolitanis vero Regibus Andegavenſibus hæreret titulus Regis Siciliæ.

XV. Quamobrem Andegavenſes Principes, etſi ſolam Apuliam, ſeu Neapolitanum Regnum adminiſtrarent, adhuc nuncupabantur Reges Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, uti conſtat ex plurimis eorum litteris relatis, tum a Neapolitanis Scriptoribus, tum a Martene in Anecdotis. Sed & Comites Forcalquerii, Provinciæ, & aliarum in Gallia ditionum vocabantur; uti in quibuſdam litteris Caroli I. datis anno 1270. Baillivo Andegavenſi tom. 1. Anecdot. Martene, is titulus occurrit: *Carolus Rex Hieruſalem, Siciliæ, Ducatus Apuliæ, Princeps Capuæ, Princeps Achajæ, Andegavii, Provinciæ, Forcalquerii, Tornodori Comes:* & in pacto matrimonii inter Carolum Regem Aragonum, & Margaritam filiam Caroli II. Regis Siciliæ, anno 1290. apud eundem Martene, is titulus legitur: *Carolus D. G. Rex Hieruſalem, & Siciliæ, Ducatus Apuliæ, Principatus Capuæ, Andegaviæ, Provinciæ, & Forcalquerii Comes*, Porro Caroli I. Andegavenſis primogenitus filius Carolus, dictus eſt Salerni Princeps, iſque defuncto patre imperium tenuit ſub nomine Caroli II. Hujus filius natu major, Carolus Martellus coronatus eſt Rex Hungariæ anno 1290. die 8. Septembris, quod defuncto Ladislao Hungariæ Rege, nulla ſuperſtite prole, Regnum materno jure ad illum perveniſſet. Is tamen ſupremum obiit anno 1301. Robertum Caroli II. alterum filium, hæredem Regni, Ducem Calabriæ nominarunt; tum Philippum alterum filium Principem Tarenti, Triſtanum Principem Salerni, Joannem Principem Achajæ, & Ducem Dyrrachii, Petrum Gravinæ Comitem. Deinceps primogeniti filii noſtrorum Principum, hæredes Regni, inſigniti fuere titulo Ducum Calabriæ; uti Carolus Roberti Regis filius natu major: & eo mortuo, Andreas filius Caroli Humberti Regis Hungariæ, filii Caroli Martelli; Ludovicus Tarentinus & Jacobus Aragonius ambo conjuges Joannæ I. Reginæ. At Ottoni Brunſuvicenſi, cui quarto nupſit Joanna Regina, Tarentini Principatus titulum, ditionemque conceſſit. Quamobrem ubi Joanna I. Ludovicum Ducem Andegavenſem adoptionis nomine ſibi filium ſucceſſoremque declaravit, eumdem conſtituit Calabriæ Ducem, ut eo titulo hæredem Regni denotaret. Ita enim legitur in litteris adoptionis a Joanna I. datis anno 1380. relatis tom. 1. Anecdotorum a Martene: *Nos itaque dictum Dominum Ludovicum Ducem, legitimum filium noſtrum adoptivum, hæredem, & ſucceſſorem noſtrum poſt tamen obitum noſtrum, ut eſt dignum, quem intra noſtra præcordia intenſa, & interna dilectione amplectimur, totis cupientes ſtudiis proſequi, privilegiis, libertatibus, titulis, prærogativis, dominationibus, dignitatibus, honoribus, & præeminentiis, perinde ac ſi noſter legitimus filius exiſteret naturalis, Ducatum Calabriæ, quem ſemper primogeniti Regni Siciliæ, & futuri Reges habere conſueverunt, & continue de eodem Ducatu fuerunt intitulati, & ipſius Ducatus Duces nominati, & appellati, in executionem, & demonſtrationem clariorem, quod nos ipſum Dominum Ludovicum Ducem ex nunc habemus, tenemus, & reputamus noſtrum legitimum adoptivum filium, & poſt noſtrum obitum hæredem, & etiam ſucceſſorem, eidem Domino Ludovico &c.* Tum ita deſcribitur a Martene ſigillum, quo obſignatæ erant Joannæ litteræ: *Scellè en las de ſoie cramoiſi, & iaune en eire vermeille repreſentant d' un cotè la Reine Jehanne ſur ſon throſne, la*

cour-

courrone en teſte, tenant de la main droit un ſceptre, au haut duquel eſt une fleur de lis, & de la main gauche une boule: ledit ſceau ſemè de Croix, eſt de fleurs de lis, & autour eſt ecrit: Johanna Dei gratia Regina Hieruſalem, & Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & cæt. *Et au contre-ſeel ſont marquez cinq petits ecuſſons, un au milieu, un en haut, un enbas, & deux aux coſtez, leſquels ecuſſons ſont ſemblables, & ſont mi-partis de Hieruſalem, & de Sicilie, & dans le dit contre-ſeel pour garnir, ſont pluſieurs las, dans leſquels ſont figurez de lions, & des oiſeaux, & au tour eſt ecrit:* Principatus Capuæ, Provinciæ, Folcalquerii, ac Pedemontis Comitiſſa. *Le ſceau a plus de trois pouces de diametre*. Joannæ imperium, vitamque abſtulit Carolus III. Dyrrhachinus, & huic in Hungaria interfecto, quo regnandi cauſa ſe contulerat, ſucceſſere Ladislaus, & Joanna II. ejus filii; his vero extinctis, nulla edita prole, Neapolitanum Regnum ceſſit Alphonſo Aragonum, & Siciliæ Regi, quem Joanna adoptivum filium conſtituerat.

XVI. Nec Alphonſo ulli fuere liberi, præter Ferdinandum ex illegitimo conjugio procreatum; quem Regni hæredem, Ducemque Calabriæ declaravit anno 1443. in Comitiis Regni, & cui Proceres, Regulique fidelitatis ſacramentum, hominiumque perſolverunt. Ritum, quo Ferdinandus inauguratus eſt Dux Calabriæ indicat Summontius lib. 5. Hiſt. Neap. his verbis: *Nel ſeguente giorno, che fu la Domenica a' tre dell' iſteſſo (Marzo) il Re con il figliuolo dal Baronaggio accompagnato, conferitoſi nella Chieſa delle Monache di S. Ligorio diede a D. Ferrante l' inſegne del Ducato di Calabria, ponendoli il cerchio d' oro nel capo, e la ſpada guarnita di gioje nella man deſtra, confirmandolo Duca di Calabria, e ſuo ſucceſſor nel Regno, facendone celebrare publico inſtromento*. Porro Rex Alphonſus hiſce titulis ſe inſcribebat: *Alphonſus Dei Gratia Rex Aragonum, Siciliæ citra, & ultra Pharum, Valentiæ, Hieruſalem, Hungariæ, Majoricarum, Sardiniæ, Corſicæ, Comes Barchionæ, Dux Athenarum, & Neopatriæ, ac etiam Comes Roſſilionis*. At Ferdinandus Alphonſi filius nuncupabatur Rex Siciliæ, Hieruſalem, & Hungariæ: & Alphonſus illius filius natu major, dicebatur Dux Calabriæ. Pariter hoc titulo donatus eſt Ferdinandus II. primogenitus Alphonſi Regis, illumque Pontifex Alexander VI. anno 1494. conſtituit Calabriæ Ducem, tradito enſe, & galero, uti narrat Summontius lib. 6. Hiſt. Neap. *Ma prima che il Papa deſſe licenza al Duca, avendo nella mattina di Natale celebrata la Meſſa nella ſua Cappella, chiamò a ſe il Duca, e li poſe in teſta una biretta di velluto fodrata di vajo, con un rivolto dell' iſteſſo vajo, e li cinſe la ſpada inveſtendolo del Ducato di Calabria per farlo legitimo ſucceſſore del Regno*. Sed Brochartus in ſuis Diariis manuſcriptis non meminit hujus conceſſæ inveſtituræ, etſi innuat enſem benedictum illi traditum; addit ab Urbe receſſiſſe aſſociatum ad portam uſque a duobus Cardinalibus ſimul cum eo equitantibus, uti etiam Urbem adiens exceptus fuerat. Jam vero ex his patet, ſub Normannis, primogenitos noſtrorum Regum filios dictos fuiſſe Duces Apuliæ; at ſub Andegavenſibus, & Aragoniis Duces Calabriæ; & hinc inſignis Juriſconſultus Andreas Æſernienſis ſcribit: *Primogenitus Regis dicitur a Rege inveſtitus de regione illa, & habere eam in feudum*. Quare Neapolitano Regno ad Hiſpanos Reges translato, Principes Aſturicenſium dicebantur quoque Duces Calabriæ, uti notat Auctor Hiſt. Civil. Neapolitanæ, quod hujus etiam Regni eſſent hæredes, & ſucceſſores.

CAPUT X.

DE NUPTIIS REGUM.

Regum Conjugia celebrari ſolent in Capella Palatina. II. *Ordo benedicendi Nuptias in Aula Imperatorum Germanorum*. III. *Et in Aula Regum Galliæ*. IV. *Vel ſi matrimonia fuerint alibi per procuratorem celebrata*. V. *Expenduntur nonnulli ritus nuptiales Aulæ Gallicanæ*. VI. *De Conjugiis in Aula Regum Hiſpaniæ*. VII. *Et in Aula Regum Luſitaniæ*. VIII. *De iiſdem in Aula Regum Neapolitanorum*. IX. *Ordo celebrandi Nuptias, regnantibus Aragoniis*. X. *Rurſus is Ordo deſcribitur ſub iiſdem Regibus*. XI. *Et ritus benedictionis Nuptiarum in ſolemni Liturgia*. XII. *De feliciſſimis Conjugiis* CAROLI BORBONII *&* MARIÆ AMALIÆ *de Saxonia:* FERDINANDI IV. *&* MARIÆ CAROLINÆ AUSTRIACÆ *Regum utriuſque Siciliæ*.

CHriſtianorum matrimonia, publico in loco, & in Eccleſia, a primis Eccleſiæ ſæculis celebrata fuiſſe indicat Tertullianus in libro de Monogamia ſcribens, ea fieri debere *coram Epiſcopo, Presbyteris, Diaconis, intervenientibus etiam in Eccleſia viduis*. Hinc vetuſti Rituales libri, & antiqua Sacramentaria ad nuptias ineundas exhibent Miſſam pro ſponſo, & ſponſa celebrandam, & benedictionem dandam in Eccleſia a proprio Sacerdote; quamvis in ædibus conjugum thalamo adſtantium, quandoque ſolemnis nuptiarum benedictio fuerit celebrata. Et notat eruditiſſimus Martene lib. 1. cap. 9. art. 5. de antiq. Eccl. rit. vetitum aliquando fuiſſe ſub anathematis pœna Matrimonium in privatis Oratoriis celebrare, uti conſtat ex Statutis Guillelmi majoris Epiſcopi Andegavenſis, & Triſtandi Archiepiſcopi in Synodo Senonenſi, quæ exſtant in Spicilegio Dacheriano. At ex antiquiſſimo more Conjugia Regum benedici conſueverunt in eorum Oratoriis Palatinis. Ita Joannes Patriarcha Conſtantinopolitanus ab Imperatore Mauritio rogatus, ejus benedixit nuptias in Palatio, uti teſtatur Theophilactus Simocata lib. 1. Hiſt. Mauricianæ: & Theophanes narrat in Domo Marinæ Auguſtæ celebratas fuiſſe nuptias Dementiæ filiæ Phocæ Imperatoris cum Priſco Patritio. Idem Theophanes lib. 4. n. 35. teſtis eſt, in Oratorio Palatino Deiparæ Phari a Michaele Imperatore conſtructo, ſæpe ſanctificata fuiſſe Imperialia conjugia. Eumdem viguiſſe morem apud noſtros Siciliæ Reges, indicat Romualdus Guarna Archiepiſcopus Salernitanus, auctor coævus in Chronico rerum a Normannis geſtarum edito tom. 1. Script. Ital. Muratorii, ubi narrat Guillelmo II. Siciliæ Regi deſponſatam Joannam filiam Henrici Regis Anglorum in Capella Palatina Panormitana: *Convocatis autem*, ait, *Rex Guillelmus Proceribus Siciliæ, & magna populi multitudine, prænominatam filiam Regis Angliæ in Capella ſua deſponſavit, & ſe, & eam glo-*

rioſe

rioſe coronari fecit, & ſolemnes de illa nuptias celebravit. Non raro tamen in Eccleſia metropolitana Regales nuptiæ conſecrabantur, quemadmodum de Blanca filia Caroli Regis Navarræ deſponſata Regi Martino I. juniori conſtat ex monumento quodam edito ab Amato lib. 13. cap. 1. de princ. Temp. Pan. ubi: *Providus Notarius Urbanus de Simbaldinis teſtis juratus, & interrogatus dixit, quod cum Sereniſſima Regina Blanca bonæ memoriæ eſſet eques, induta regalibus, & ſolemnibus indumentis, ante januam cortilis hoſpitii magni regii, olim de Claromonte, cauſa eundi ad majorem Panormitanam Eccleſiam ad ſe deſponſandam cum Sereniſſimo R. Martino felicis memoriæ, olim Rege Siciliæ, & ibidem conveniſſent, & eſſent nonnulli Nobiles tam felicis Urbis Panormi, quem nobiles civitatis Meſſanæ, ſeu Ambaxiadores ipſius civitatis, orta eſſet inter eos diſceptatio, & altercatio magna, quis eorum ducere debebat curdonem habenarum equitaturæ Dominæ Reginæ a parte dextera: inſiſtebant enim Ambaxiatores civitatis Meſſanæ aſſerentes ad eos ſpectare partem dexteram: Officiales vero dictæ urbis repugnabant, dicentes, ad eos dictam partem dexteram ſpectare, ex eo quia repræſentabant univerſitatem dictæ urbis, tamquam caput regni Siciliæ, & altercato per magnum ſpatium inter eos, fuit finaliter concluſum, & deliberatum per ſacrum regium concilium dicti D. Regis Martini, quod Officiales univerſitatis dictæ urbis, quæ eſt caput regni, deberent ire ex parte dextera, & dicti nobiles Ambaxiadores Meſſanenſes ex parte ſiniſtra, & ſic actum extitit*. Inde patet, qua pompa Siculæ Reginæ ad nuptias ducerentur. Pariter Neapolitanorum Regum conjugia, etſi aliquando in Eccleſia metropolitana, uti anno 1477. matrimonium Joannæ Aragoniæ cum Ferdinando I. Rege; aut in Eccleſia Sanctæ Mariæ Coronatæ, ubi Alphonſus Dux Calabriæ nupſit Hippolitæ Sfortiæ Mediolanenſium Ducis filiæ; tamen ſæpiſſime in Capella Palatina celebrata fuere. Jacobum enim Comitem Marchienſem in Arce nova, benedicto, traditoque anulo, uxorem duxiſſe Joannam II. Reginam, teſtantur Diaria Neapolitana tom. 21. Script. Ital. Muratorii. Conjugium inter Sanciam Aragoniam Alphonſi II. filiam, & Joffredum Borgiam nepotem Alexandri VI. in Capella Palatina celebratum deſcribit Brochârtus in ſuis Diariis manuſcriptis. Et ita rem utplurimum ſe habuiſſe, indicant noſtrarum rerum Scriptores, ubi referunt, in Arce nova, quæ fuit Regum domicilium, acta eſſe Regia conjugia. Quin & Principum Regiæ ſtirpis nuptiæ ibidem benedici conſueverunt. Narrat enim Dominicus Gravinenſis in Chronico rerum in Apulia geſtarum tom. 11. Script. Ital. Muratorii, Joannam I. Reginam optaſſe, ut matrimonium intêr Mariam ſororem ſuam, & Carolum Ducem Dyrrhachii, quod Agnes Caroli mater, inſcia Regina, ſpe aſſequendi Regni conciliaverat, in Capella Palatina Arcis novæ celebraretur; ut ea occaſione conjugem Arcem ingreſſum in carcerem conjiceret, infenſaſque nuptias irritas redderet: cujus rei Carolus conſcius factus abſtinuit ab Arcis ingreſſu, initoque in Capella ſua conjugio, Reginæ inſidias evaſit. Nunc de ordine agendum eſt celebrandi conjugia in Aulis Principum.

II. Conſtat ex monumentis a Dumontio, & Roſſuetio prolatis in Cæremoniali Imperii lib. 1. cap. 2. Aprocriſiarium Romani Pontificis anno 1673. nuptias benedixiſſe Leopoldi Imperatoris & Claudiæ Felicitæ Auſtriacæ in Eccleſia Jeſuitarum Graciacenſi: Epiſcopum vero Rhegienſem anno 1699. nuptialem benedictionem Joſepho Regi Romano-

manorum, & Wilhelminæ Amaliæ de Luneburgo in Capella Palatina Ducis Mutinenſium contuliſſe: Cardinalem denique de Saxe-zeits anno 1708. in Schombrunenſi Eccleſia Sanctæ Mariæ de Hit-zingen ſacro eodem functum eſſe miniſterio in conjugio Caroli Regis Romanorum, & Eliſabethæ Criſtinæ de Wolſembutel, quæ deinde Barcinonem adiens, ubi Carolus conjux morabatur, rurſum benedictione Eccleſiæ donata eſt in Cathedrali Barcinonenſi. At Maria Tereſia Caroli VI. Imperatoris filia, deinde Imperatrix glorioſiſſima, deſponſata fuit Franciſco II. Duci Lotharingiæ in Imperiali Eccleſia Viennenſi Auguſtinianorum Diſcalceatorum, die 12. Februarii, anno 1736. hoc quidem ritu. Ad veſperam illius diei, Imperator cum univerſo Aulico comitatu, ſponſa media inter Imperatricem Amaliam de Luneburgo Joſephi Imperatoris viduam, & Eliſabetham de Wolfembutel Caroli VI. conjugem, ad Eccleſiam acceſſere; ad cujus fores ab Apocriſiario Pontificio Crux illis eſt exhibita, ut eam oſcularentur. Tum primo quidem ad Sacellum Sanctæ Mariæ Lauretanæ, decantatis Litaniis, mox ad Aram principem, ſedentibus Imperatore, Imperatricibus, & ſponſis, lectæ ſunt a Parocho Aulæ Imperialis litteræ Pontificiæ: iiſque lectis, conſueto Eccleſiæ ritu, Apocriſiarius Pontificius ſponſos matrimonii vinculo conjuxit; tamdemque Hymno gratiarum actionis ſolemniter a Muſicis Aulæ Imperialis decantato, abſoluta eſt cæremonia. Sequenti vero die, Imperator, Imperatrices, conjugeſque ad eamdem Imperialem Eccleſiam rediere, ut Sacro adeſſent, quod ab eodem Apocriſiario Pontificio peractum eſt, aſſiſtentibus Parocho, & Capellanis omnibus Aulicis: dictoque Hymno *Gloria in excelſis*, Pſalmum *Beati omnes* modis muſicis Cantores Aulæ Imperialis ſubjunxerunt. Ad Oblationem, uterque conjux, flexis ad Altare genibus, oſculata ſacra Patena ab Antiſtite porrecta, nummos quoſdam aureos obtulit. Ad Orationem Dominicam, rurſus acceſſere ad Altare, Antiſteſque ſuper eos recitavit conſuetam Eccleſiæ orationem. Tandem ad Miſſæ finem, denuo Altare adeuntibus, recitata eſt ab Antiſtite oratio *Deus Abraham &c.* conjugeſque adſperſit aqua benedicta.

III. Deſcribit Gothofredus in Cæremoniali Galliæ ordinem, quo initia fuere conjugia anno 1558. Franciſci Delphini filii Henrici II. Galliæ Regis, cum Maria Stuarda Scotorum Regina; & eodem anno, Claudiæ ejuſdem Regis filiæ, cum Carolo II. Duce Lotharingiæ; tum anno 1559. Eliſabethæ pariter Henrici II. filiæ, cum Philippo II. Hiſpaniæ Rege; & anno 1572. Henrici IV. Galliæ Regis, cum Margarita ſorore Caroli IX. itidem Regis Francorum. Regias haſce nuptias Cardinalis Borbonius Pontificalibus indutus inſignibus conciliavit ad valvas Eccleſiæ metropolitanæ Pariſienſis, excitato ibi amplo, & ſublimi tabulato ad ſacram cæremoniam peragendam; qua finita, conjuges, Rex, cum magno Principum, Præſulum, Oratorum, atque Aulicorum comitatu Eccleſiam ingreſſi, Sacro adſuerunt celebrato ab Epiſcopo Pariſienſi, dum interim Feciales, projectis in populum nummis, pluries acclamarent *Largeſſe*. Nunc vero plerumque in Capella Palatina, Regia conjugia a Magno Eleemoſynario benedicuntur, qui idem in cubiculo Regis adeſſe ſolet ſponſalibus Regiis conciliandis. Ita in Capella Palatina Verſaliarum, anno 1697. Cardinalis Coislinus Primus Eleemoſynarius Regis benedixit Philippi Borbonii Ducis Burgundiæ, Ludovici XIV. filii, cum Maria Adelaida Sabauda nuptias. Ibidem anno 1684. a Cardinali Buillonio Magno

 Elee-

Eleemoſynario, Anna filia Ducis Aurelianenſium nupta eſt Victorio Amedeo Duci Sabaudiæ, cujus vices agebat unus e Regiæ ſtirpis Principibus. Ibi etiam, anno 1698. Cardinalis Coislinus Primus Eleemoſynarius ſacrum egit miniſterium, ut Leopoldi I. Ducis Lotharingiæ, & Carlottæ Eliſabethæ Aurelianenſis matrimonium conciliaret. Maria Ludovica filia Ducis Aurelianenſium nupſit Carolo II. Hiſpaniæ Regi, anno 1679. in Capella Palatina Fontis-bellaquei, Cardinali Bullionio Magno Eleemoſynario ſacris operante; qui primum benedixit anulum, tum tredecim nummos donandos ſponſæ, deinde Sacrum celebravit. Evangelii, & pacis oſculum Epiſcopus Aurelianenſis Primus Eleemoſynarius, una cum Epiſcopo, qui miniſtrabat Antiſtiti Sacrum facienti, præbuere Regi, Reginæ Galliæ, & Reginæ Hiſpaniæ. Abſoluto Sacro, accepta benedictione, oſculatis ſacris Corporalibus, ſubſignato libro, ubi recenſentur initia conjugia, juratum fuit a Rege fœdus Noviomagi firmatum cum Hiſpanis, ultimo decantatus eſt Hymnus gratiarum actionis. Verum Ludovicus XIV. nupſit Mariæ Tereſiæ, filiæ Hiſpaniæ Regis, in Eccleſia S. Joannis de Luz, quo ſe contulerat, ut conjugi ex Hiſpania venienti occurreret. Sacro functus eſt miniſterio Epiſcopus Bajonenſis; atque Cardinalis Mazarinus vices agens Magni Eleemoſynarii exhibuit Regi ad Liturgiam Evangeliorum librum, & oſculum pacis.

IV. Quandoque tamen Regum Galliæ conjugia alibi per procuratorem celebrantur; ſed ubi Regalis conjux Galliam, Regemque conjugem adierit, rurſum precibus, & benedictione Eccleſiæ ſanctificantur. Nam ex Gothoſredo in Cæremoniali Galliæ conſtat, Eliſabetham filiam Maximiliani II. Imperatoris, anno 1570. in Cathedrali Spirenſi ab Archiepiſcopo Moguntino deſponſatam Carolo IX. Galliæ Regi; & Mariam Mediceam anno 1600. Florentiæ, a Cardinali Aldobrandino Legato Pontificio deſponſatam Henrico IV. Galliæ Regi, deinde in Gallia, ſimul cum conjuge, audita Liturgia, benedictionem nuptialem accepiſſe. Eodem modo res ſe habuit in nuptiis glorioſiſſimi Regis Ludovici XV. & Mariæ Lenszinski filiæ Stanislais Regis, quas deſcribunt Dumontius, & Roſſuetius in Cæremoniali Galliæ. Siquidem primo in Cathedrali Argentoratenſi, die 15. Auguſti, anno 1725. Cardinalis Rhoanus illius civitatis Epiſcopus, & Magnus Eleemoſynarius haſce nuptias conciliavit, anulum benedixit, atque tredecim nummos juxta morem Gallorum, vices Regis agente Duce Aurelianenſium. Poſtquam vero Regina ad Fontem-bellaqueum pervenit, nuptialem benedictionem accepere Regales conjuges in Capella Palatina ab eodem Magno Eleemoſynario, & hoc quidem ritu. Capellam Palatinam Regales conjuges, præeunte univerſo Aulico comitatu, ingreſſi, Solium conſcenderunt, ibique procubuerunt in genua; prope eos aderant Principes Regiæ ſtirpis, Magnates Regni, & Matronæ Aulicæ; adhærebat Regi ejus Confeſſarius: prope Aram aderant omnes Eleemoſynarii Regii, & primo inter eos loco Epiſcopus Metenſis Primus Eleemoſynarius. Tum Magnus Eleemoſynarius Pontificalibus indutus ornamentis, medius inter Epiſcopos Sueſſionenſem, & Vivarienſem, qui Diaconi, & Subdiaconi munere fungebantur, e Sacrario progreſſus ad Altare, ſalutatiſque Altari, Rege, & Regina, conſcendit ſupremum Altaris gradum, ſtetitque verſus ad Regem. Adhæc Regales conjuges, monente Magno cæremoniarum Præfecto, ad Altare acceſſerunt, comitantibus eos Principibus Regiæ ſtirpis. Ubi brevem ad eoſdem habuit concio-

nem,

nem, tum benedictionem contulit nuptialem. Quo facto, reverſi ſunt ad Solium, flexiſque genibus, illuc una cum Miniſtris acceſſit Antiſtes, ut Regales conjuges adſpergeret aqua benedicta. Inde Sacrum ſolemni ritu inchoavit; lectoque Evangelio, Epiſcopus Sueſſionenſis, qui Diaconum agebat, ſacrum Codicem primo Celebranti, deinde una cum Epiſcopo Metenſi Primo Eleemoſynario, præbuit Regi deoſculandum. Ad Offertorium Rex primum, deinde Regina, flexis ad Altare genibus, ſinguli obtulere cereum, cui affixi erant viginti aurei nummi, vulgo *Luigi*; & quidem cereum Regis Princeps Regiæ ſtirpis, cereum Reginæ Matrona pariter Regiæ ſtirpis detulerant. Dicta Oratione Dominica, Regales conjuges, monente cæremoniarum Præfecto, rurſum ad Altare procubuerunt, & dum ab Antiſtite conſuetæ recitabantur preces ad benedicendas nuptias, Epiſcopus Metenſis Primus Eleemoſynarius Regis, & Epiſcopus Forojulienſis Magnus Eleemoſynarius Reginæ fulciebant velum ſuper conjuges expanſum. Nam ſpectat ad Regios Eleemoſynarios id munus in Regiis conjugiis; uti in nuptiis Ludovici XIV. ab Epiſcopo Lingonenſi, & alio Eleemoſynario; & in nuptiis Delphini illius filii cum Maria Victoria Bavara, anno 1680. ab Epiſcopis Aurelianenſi, & Condomenſi; & in aliis Regiis conjugiis factum legitur apud Dumontium, & Roſſuetium. Pacem ad Liturgiam præbuere Regiis ſponſis Epiſcopus Vivarienſis Subdiaconum agens, & Epiſcopus Metenſis Primus Eleemoſynarius. Peracto Sacro, Antiſtes adſperſit conjuges ſacra aqua, eoſdem donavit benedictione, tum ſacra Corporalia illi obtulit deoſculanda. Mox ad eos Solio inſidentes acceſſit Parochus Fontisbellaquei librum deferens, ubi inita conjugia recenſentur: hunc vero librum Magnus Eleemoſynarius, & calamum ſponſis porrexit, ut manu ſua ſubſignarent: poſt Regem, & Reginam, omnes Principes Regiæ ſtirpis ſubſignarunt, præbente eis calamum uno ex Regiis Eleemoſynariis. Dum vero hæc agerentur, diſtribuebantur a Fecialibus in populum numiſmata. Tandem habita ab Antiſtite brevi concione, decantatus eſt Hymnus gratiarum actionis a Cantoribus Capellæ Regalis.

V. Itaque in Aula Regum Galliæ, primum Sponſalia in cubiculo Regis contrahuntur præſente Magno Eleemoſynario, tum in Capella Palatina ab eodem Pontificalibus induto ornamentis Sacrum celebratur, anulus, & tredecim aurei nummi benedicuntur ſponſæ concedendi; & nuptialis benedictio adminiſtratur; Regales conjuges cereis affixos aureos nummos offerunt Antiſtiti, velo teguntur a duobus Eleemoſynariis expanſo, librum conjugatorum ſubſignant, & a Fecialibus numiſmata diſtribuuntur. Sponſalia, uti obſervat Martene Lib. 1. de antiq. Eccl. rit. cap. 9. olim fieri ſolebant publice, coram teſtibus, & Parocho, qui ipſas matrimoniales tabulas ſubſignabat. Juxta hunc antiquiſſimum morem, in Aula Regum Galliæ nunc temporis Sponſalia in cubiculo Regis conciliantur coram Magno Eleemoſynario Rocchetto induto, quemadmodum in nuptiis Mariæ Ludovicæ Aurelianenſis cum Carolo II. Hiſpaniæ Rege anno 1679. & Carlottæ Eliſabethæ pariter Aurelianenſis cum Leopoldo I. Duce Lotharingiæ anno 1698. a Cardinali Coiſlino Magno Eleemoſynario; & in nuptiis Annæ Aurilianenſis cum Victorio Amedeo Duce Sabaudiæ anno 1684. a Cardinali Bullovio factum referunt in Cœremoniali Galliæ Dumontius, & Roſſuetius. Narrat quoque Gothofredus in Cæremoniali Galliæ, in

nuptiis Catharinæ ſororis Henrici IV. cum Duce Lotharingiæ, Cardinalem Bullonium exoptaſſe, ut non in Ædibus Regiis, ſed in Eccleſia, ſacra hæc cœremonia abſolveretur, affirmaſſe e contra Regem, *que ſa preſence valoit bien une Egliſe*. Tum etiam mos eſt in Gallia, ut Magnus Eleemoſynarius, peracto ſacro miniſtero, librum a Parocho delatum, ubi conjugia omnia recenſentur, ſubſcribat. Illud notandum eſt, Parochum nempe Verſaliarum, vel Fontisbellaquei, aut illius loci, in quo hujuſmodi Regia conjugia celebrantur, adeſſe ſtola Sacerdotali indutum, etſi in Capella Palatina, & a Magno Eleemoſynario ſacrum agatur miniſterium, uti referunt in Cæremoniali Galliæ lib. 2. cap. 3. Dumontius, & Roſſuetius. Et id quidem antea inuſitatum, tunc primum obtinuit, cum in Capela Palatina Pariſienſi, anno 1641. Cardinalis Richielius neptem ſuam Ludovico Borbonio deſponſavit; veritus, ne ipſo e vivis ſublato, hujuſmodi matrimonium irritum fieret prætextu aliquo, eo præſertim, quod ſine præſentia Parochi juxta Tridentini decreta fuiſſet celebratum. Hinc Parochum loci præſentem voluit ſacræ ceremoniæ, etſi antea nulla fuiſſet Parocho juriſdictio in Capella Regis: exinde ille mos invaluit, ut fruſtra Cardinalis Antonius Barberinus Magnus Eleemoſynarius illi abrogando operam dederit. Mos vero ille benedicendi tredecim aureos nummos ſimul cum anulo, qui ſponſæ a ſponſo conceduntur, vetuſtiſſimam habet originem. Nam antiqui Galli per ſolidum & denarium ſecundum Legem Salicam ſponſalia celebrabant. Hinc apud Fredegarium cap. 18. de miſſis ad Gundebaldum Burgundionum Regem pro petenda Chlodoveo Regi Coltilde uxore legitur: *Legati offerentes ſolidum & denarium, ut mos erat Francorum, eam partibus Chlodovei deſponſant*. Et Martene teſtis eſt, adhuc pluribus in locis ſupereſſe veſtigium antiquæ hujus conſuetudinis, ubi ſponſus contrahendo matrimonium aliquam pecuniæ ſummam ſponſæ tribuit; atque in Rituali Remenſi anno 1585. præſcribi, ut Sacerdos anulum benedicturus, tredecim poſtulet denarios, quorum tres concedebantur ſponſæ, ſimul cum anulo, in ſignum traditi ei dominii corporis, & bonorum ſponſi, reliqui vero decem Sacerdoti donabantur. Addit, denarios illos, non ex quavis communi moneta aſſumtos, ſed ad hunc ſingularem uſum præſertim cuſos fuiſſe.

VI. In Aula Regum Hiſpaniæ, Magnum Capellanum, vel per ſe, vel per alium, Regalibus nuptiis benedictionem Eccleſiæ impendere poſſe, probant privilegia plurima a Romanis Pontificibus conceſſa, quæ Capite quarto hujus libri retulimus. Plerumque tamen Regales feminæ Hiſpanis Regibus, aut Principibus deſponſatæ, ſacra cæremonia matrimonio copulantur, antequam ad Hiſpaniam, Regiumque conjugem pervenerint. Ita Eliſabetha filia Henrici II. Galliæ Regis, Philippo II. Hiſpaniæ Regi nuptui tradita, anno 1559. benedictionem nuptialem accepit Lutetiæ Pariſiorum, ad valvas Metropolitanæ Eccleſiæ, vices Catholici Regis agente Duce Albano; cujus cæremoniæ ordinem, & pompam fuſe deſcribunt Gothofredus in Cæremoniali Galliæ, & Franciſcus Modius tom. 1. Pandectarum triumphalium. Pariter conjugium Mariæ filiæ Ducis Aurelianenſium cum Carolo II. Hiſpaniæ Rege 1679. in Capella Palatina Fontisbellaquei celebratum eſt, Cardinali Buillonio Magno Eleemoſynario ſacrum miniſterium, & Principe Contiaci vices Regis Catholici, agentibus; & huic celebritati interfuere Cardinalis Bonzi Magnus Eleemoſynarſus Re-

Reginæ, Epiſcopus Aurelianenſis Primus Eleemoſynarius, cæterique Regiique Eleemoſynarii.. Verum Philippus V. glorioſiſſimus Rex Hiſpaniæ, anno 1701. Mariam Adelaidam Sabaudam duxit uxorem in Barcinonenſi Eccleſia Sanctæ Mariæ majoris, uti legitur in Cæremoniali Hiſpaniæ edito a Dumontio, & Roſſuetio. Ibidem deſcribitur ordo, quo eidem Philippo V. Regi nupſit Inclyta, & Clementiſſima Eliſabetha Farneſia, anno 1714. die 16. Septembris, in Cathedrali Parmenſi, vices Regis agente Duce Parmenſium. Feliciſſimis hiſce nuptiis, unde tot, & tanta in nos, & Italiam univerſam commoda derivarunt, e quibus nata ſoboles Carolus glorioſiſſimus Rex utriuſque Siciliæ, nunc Hiſpaniæ, Philippus Dux Parmæ, & Ludovicus, Principes pietate, virtute, clementia præſtantiſſimi, contulit benedictionem Eccleſiæ Cardinalis Gozzadinus Pontificius Legatus. Sedentibus itaque in Solio Duce Parmenſium procuratore Regis Catholici, & ad ejus ſiniſtram Sereniſſima Sponſa, lectæ primum fuere a Ludovico Anguiſola Vicelegato Urbini Pontificiæ literæ, quibus veniam faciebat Pontifex impedimenti cognationis, quod inter conjuges intercedebat, tum a Gerardo Giandemaria Vicelegato Ferrariæ lectæ ſunt Catholici Regis literæ, quibus in ineundo conjugio vices ſuas demandabat Duci Parmenſium. His lectis, Legatus Pontificius, conſueto ritu, nuptias benedixit, tum Hymno gratiarum actionis Deo grates redditæ, quod tam fauſtum, dignumque matrimonium conciliaſſet. Tandem a Pontificio Legato donata eſt nomine Romani Pontificis Sereniſſima Sponſa Roſa aurea benedicta, quam illa eidem Eccleſiæ dono dedit. Matrimonium Sereniſſimi Principis Philippi Borbonii, deinde Parmæ & Placentiæ Ducis, cum Ludovica Eliſabetha Ludovici XV. glorioſiſſimi Galliæ Regis filia, die 25. Auguſti, anno 1739. in Capella Palatina Verſalienſi, quo ritu peractum ſit, legitur in Hiſtoria illius anni, Amſtelodami, & Venetiis edita, ex qua conſtat, ſponſalia primum inita in ipſo Regis conclavi, præſentibus Rege, Regina, Principibus Regiæ ſtirpis, ac Sereniſſimi Sponſi vices agente Aurelianenſium Duce; matrimonii tabulas lectas, ſubſcriptaſque; tum Cardinalem Rohanium Magnum Eleemoſynarium ea precibus, & benedictione ſanctificaſſe. Sequenti die celebratum in Capella Regia Conjugium his verbis deſcribitur: *Il dì 26. giorno del maritaggio, il Re con tutta la ſopracennata comitiva portoſſi nella Capella del Caſtello: dove ſi erano già raunati gli Ambaſciadori, e Miniſtri eſteri colle perſone più riguardevoli della Corte. Quivi andò la Spoſa ad inginocchiarſi ſopra i gradini, per li quali ſi ſale al Santuario, & il Duca d' Orleans inginocchioſſi alla ſua dritta. Uſcito allora dalla Sacreſtia il medeſimo Cardinale ſalì all' Altare, al quale s' avvicinarono il Re, la Regina, il Delfino, e le Madame Reali, con la Spoſa, ed il Duca d'Orleans; e vicino a queſti reſtò ancora il Marcheſe de las Minas per eſſer teſtimonio del maritaggio. Il Cardinale cominciò la funzione con benedire tredeci pezze d' oro, e un anello, conſegnando e quelle, e queſto al Duca d' Orleans, il quale poſe l' anello nel quarto dito della mano ſiniſtra di Madama la Spoſa, e le diede le tredeci pezze d' oro in fede del maritaggio in nome del Principe D. Filippo. Allorchè il Cardinale domandò al Duca, ſe come procuratore di D. Filippo Infante di Spagna prendeva per ſua legitima conſorte Madama Luiſa Eliſabetta di Francia, il Duca ſi volſe dalla parte del Re, e chinoſſegli profondamente. La Spoſa parimente non die riſpoſta del ſuo aſſenſo, ſe non dopo aver avuto permiſ-*

miſſione di riſpondere dalla Regina . Compiute le formalità del maritaggio, e ricevuta da Madama, e dal Duca la Nuzial benedizzione, il Cardinal di Roano cominciò la Meſſa : Dopo l' Offertorio la Spoſa andò all' offerta ; e poſcia il Duca. Alla fine del Pater due Limoſinieri del Re diſteſero ſopra la teſta della Spoſa , e del Duca un Velo di broccato d' argento , e non ne lo tolſero , ſe non dapoichè furono dal Cardinale compiute le conſuete orazioni . Finita la Meſſa il Cardinale avvicinatoſi all' inginocchiatojo del Re , e della Regina preſentò loro li Regiſtri de' maritaggi della Parrocchia , e fu ſottoſcritto queſto di Madama dalla mano di Sua Maeſtà . Conjugium Mariæ Tereſiæ Hiſpaniarum Infantis cum Delphino Ludovici XV. filio anno 1745. die 18. Decembris, Matriti in Regiis Ædibus initum fuit : tum die 23. Februarii , in Capella Palatina Verſalienſi , Cardinalis Rohanius Magnus Eleemoſynarius Regales Conjuges donavit Eccleſiæ benedictione.

VII. Quoad conjugia Luſitanorum Principum , mos eſt , ut cum primum Regales feminæ Luſitanis Regibus deſponſatæ ad conjugis Aulam perveniunt , ibi benedictionem nuptialem accipiant a Magno Capellano in Eccleſia ut plurimum Palatina . Ita Maria Franciſca Eliſabetha de Sabaudia Alphonſo VI. Portugalliæ Regi deſponſata fuit anno *1666.* Rupellæ in Gallia ab Epiſcopo Laudunenſi ; viceſque Regis egit Marchio de Sande illius Orator. Ubi vero Luſitaniam appulit , in Eccleſia quadam Monialium S. Claræ prope Ulyſſiponem una cum Rege conjuge ſub umbella excepta , decantato ſolemniter Hymno gratiarum actionis , benedictione nuptiali donata eſt ab Epiſcopo Targenſi , Magno Capellano , & electo Epiſcopo Lamacenſi . Quod quidem conjugium infeliciter ceſſit : ſiquidem anno *1668.* ex ſententia Curiæ Archiepiſcopalis Ulyſſiponenſis irritum , nullumque habitum eſt ; ut proinde illa Petro Principi, Alphonſi Regis fratri, cui Luſitani Ordines imperium commiſerant , nupſerit ; obtenta relaxatione impedimenti publicæ honeſtatis a Cardinali Vindocinenſi Legato Clementis IX. Atque hæc omnia rata habuit Pontifex, ad quem illa Franciſcum de Villes e Societate Jeſu Confeſſarium ſuum tranſmiſerat , datis litteris Supremo in Luſitania Fidei Vindici , aliiſque nonnullis Præſulibus , ut rem hanc diſcuterent , ac ſententiam dicerent. Has vero nuptias, die 2. Aprilis , anno *1668.* in Oratorio Palatino conciliavit Targenſis Epiſcopus Magnus Capellanus . Deinde anno *1684.* Maria Franciſca de Sabaudia e vivis ſublata eſt ; atque Petrus II. Rex Portugalliæ anno *1687.* ſecundas iniit nuptias cum Maria Sofia de Neoburgo Palatini Electoris filia . Hæc ſponſalia in Capella Electorali Hildebergæ celebrata ſunt , miniſtrante rem ſacram Epiſcopo Spirenſi Coadjutore , & vices Luſitani Regis agente ipſius Oratore : tum in Aula Ulyſſiponenſi, & in Eccleſia Palatina Magnus Capellanus Regiis ſponſis contulit benedictionem nuptialem . E Petri II. & Mariæ Franciſcæ de Sabaudia conjugio Eliſabetha Ludovica filia Victorio Amedeo Sabaudiæ Duci nuptum danda erat ; poſtquam a Comitiis generalibus Regni, venia facta eſſet illarum legum , quæ Regales feminas imperii Luſitani hæredes prohibent cum exteris Principibus in matrimonium collocari . Et eam ob rem Dux Sabaudus Ulyſſiponem ablegaverat Carolum d' Eſte Marchionem Ornani Oratorem ſuum, qui vice ſua promiſſis fidem obligaret : Iſque anno *1682.* in Aula Ulyſſiponenſi , Principe , & ejus conjuge ſub umbella ſedentibus, adſtante univerſo Aulico comitatu, poſtquam ab Epiſcopo Emma-

manuele Pereira, qui Regis erat a ſummis imperii negotiis, recitatæ eſſent matrimoniales Tabulæ, juravit tactis Evangeliis, flexiſque genibus, ſe Infantem uxorem ducturum, & inita pacta ſervaturum. Deinde ſimile ſacramentum, eodemque ritu, Dux Cadavalenſis ipſius Infantis nomine exhibuit. Verum hæ nuptiæ irritæ fuere; illaque anno 1690. obiit innupta. Petri II. Regis, & Mariæ Sofiæ de Neoburgo Reginæ Joannes V. filius, deinde Fideliſſimus Rex Luſitaniæ, anno 1708. die 9. Julii, Mariam Annam Auſtriacam Leopoldi Imperatoris filiam duxit uxorem: haſque feliciſſimas nuptias primum in Germania in Pago quodam prope Viennam Cardinalis de Saxonia-Zeits conciliavit; viceſque Luſitani Regis obivit Imperator; tum in Luſitania, conſuetis Eccleſiæ precibus, benedixit in Eccleſia Palatina Nunus da Cunha de Ataida Magnus Capellanus. Inde præclariſſima ſoboles ad Luſitani, & Hiſpani imperii felicitatem nata, Maria Barbara Xaveria, quæ anno 1728. Ferdinando Principi Aſturicenſium, poſtea pio Hiſpaniæ Regi nupſit; & Joſeph Princeps Braſileenſium, qui eodem anno Mariam Annam Victoriam Philippi V. Hiſpaniæ Regis filiam, ſororemque Caroli Borbonii Regis utriuſque Siciliæ duxit uxorem. Porro Sereniſſimæ Infantis Mariæ Barbaræ Xaveriæ ſponſalia cum Ferdinando Principe Aſturicenſium, qui vices ſuas Luſitano Regi demandaverat, in Patriarchiali Eccleſia Ulyſſiponenſi magnis ſolemnibus inita ſunt, Patriarcha Sacris operante, Rege cum Oratoribus Principum, Magnatibus Aulæ, Regiiſque Infantibus præſente; ſacraque cæremonia abſoluta eſt Hymno gratiarum actionis, & data benedictione a Patriarcha. Pariter Hiſpana Infans Madriti in Eccleſia Palatina Braſileenſium Principem ſibi matrimonio conjunxerat. Deinde anno 1729. uterque Rex cum Regia familia, Regiiſque ſponſis ad utriuſque imperii confinium acceſſere; quo pariter Ulyſſiponenſis Patriarcha cum nonnullis ampliſſimi Patriarchalis Collegii Prælatis, quos Principales vocant, ſe contulit, ut Regiis conjugibus benedictionem Eccleſiæ adminiſtraret. Totum rei geſtæ ordinem fuſe deſcribit Antonius Cajetanus Souſa lib. 8. Hiſt. Reg. Luſit. cap. 6. pag. 275. & ſeq. narratque Sereniſſimos conjuges in Eccleſia Helvarum ſub umbella exceptos accepiſſe a Patriarcha nuptialem benedictionem.

VIII. Quanta olim magnificentia, Neapolitanorum Regum nuptiæ celebrarentur, teſtis eſt Pontanus lib. de magnific. cap. 16. ſcribens: *Neapolitanorum Rex Ferdinandus in Hippolitæ Mariæ nurus, & Alphonſi filii nuptiis, Principes, ac populos Italiæ omnes ad eas invitavit, miſſi ab iis Oratores ſingulari comitate accepti. Ludi plurimis diebus editi, orcheſtris, ac gradibus ad ſpectandum magnis ſumptibus diſpoſitis, iiſque partim purpura, ac ſerico, partim variato panno intectis, equeſtres concurſiones magno apparatu hominum, atque equorum factæ. Epulæ lautiſſimæ, ac largiſſimæ præbitæ. Quibus tamen quamvis nihil defuiſſe videtur, longe tamen ſpectatiores fuere nuptiæ, quas Alphonſus pater fecit, collocata Helionora nepte Friderico III Germanorum Imperatori, in quibus Imperator ipſe cum omni fere Germaniæ nobilitate affuit, compluribus item Hiſpaniæ Principibus, qui Helionoram ex Hiſpania deduxerunt. His in nuptiis, ut alia taceam, venatio exhibita eſt quatuor millibus paſſuum a Neapoli, qui locus a Regibus venationi ſtatutus eſt. Fixa tentoria in campis ſecundum Agnanam paludem, fontes e vario vini genere paſſim ad littus facti: menſæ apparatæ, in quibus ſupra triginta hominum millia diſcubuere.*

Hæc

Huc accedit, quod qui ſpectandi gratia convenerant, plurimi mortales onerati oſculentis plurimorum dierum domum rediere. Neſciam an Sol in hoc magnificentiæ genere quidquam viderit magnificentius. Et rurſus lib. de ſplend. cap. 4. loquens de eodem Alphonſo. *Quo tempore*, ait, *Helionoræ neptis nuptias, de quibus diximus, celebravit, Dii boni, non Regiam modo ſuam, non Friderici Auguſti, non tot Procerum domos, ſed pene urbem omnem luculentiſſime exornavit. Quin etiam miri operis tentorium ſecundum Agnanam paludem ſtatuit die venationis, quod magni etiam Oppidi inſtar erat, quo die videre licuit, non tentorium modo ipſum, ſed paludis oram omnem ſplendere tapetis aulæis, abacis ſcenicis, e frondibus, e pannis, e variis etiam textis*.

IX. Nunc de ſacris ritibus, aliiſque cæremoniis in nuptiarum celebritate obſervatis, dicendum erit. Summontius lib. 5. Hiſt. Neapol. enarrat conjugium Ferdinandi I. Neapolitani Regis cum Joanna Aragonia anno 1477. his verbis: *Alli 11. dell' iſteſſo (Settembre) nel ricco ponte per lei preparato nel molo grande fu ricevuta ſotto il palio dalla Ducheſſa di Calabria e la Ducheſſa di Ferrara, ch' erano accompagnate con le principali Signore della Città, e dal Cardinal Rodorigo Borgia, che pochi dì prima era ſtato mandato dal Pontefice a coronarla . . . . . E meſſi a cavallo, come il Duca ſeguito dal Paſſaro, il Cardinale, e la Regina andorno ſotto il palio in proceſſione per tutti i ſeggi, in ciaſcun de' quali erano Donne ricchiſſimamente veſtite, le quali uſcivano a baciar la mano alla Regina. Gionti poi nel Duomo, & avendo fatta orazione, il Cardinale benediſſe la Regina, e ritornati a cavalcare nel modo tenuto andorno a ſmontare nel Caſtello di Capuana, ove fu cariſſimamente ricevuta dal Re, il quale era con tutti li Baroni e Signori del Regno, e con gl' Ambaſciadori di tutti i Principi d' Italia, e del Gran Soltano, e del Re di Tuniſi, e con le principali Signore della Città: vi erano 72. ben ſonanti trombe con altri muſici ſtromenti. La Domenica a' 14. del detto a ore 17. il Re ritornò con tutto il Baronaggio avanti la porta dell' Arciveſcovato, ove poco appreſſo gionſe la Regina accompagnata da gran numero di Signore, ove per il Cardinal predetto ſi fe il ſponſalizio. Poi entrati in Chieſa il Cardinale con l' aſſiſtenza di 40. Veſcovi, celebrò la Meſſa dello Spirito Santo, e benediſſe li Spoſi, ove tennero il Palio il Duca di Calabria, D. Federico ſuo fratello, D. Ferrante Principe di Capua, e D. Pietro figli del medeſimo Duca. Poi a' 16. del meſe nella ſtrada dell' Incoronata ſi fe la Coronazione di queſta Regina con pompa grandiſſima, percioche eſſendo ivi ordinato un belliſſimo teatro con l' Altare, per celebrare la Meſſa, e due gran ſedie con molta maeſtà, vi giunſe il Re con la corona in teſta, e la Regina in trezze, ſopra due cavalli bianchi coperti di broccato ricamato di gioje, e perle; il freno del cavallo della Regina era portato dal Duca d' Amalfi, con Giulio Antonio Acquaviva Conte di Converſano con le berrette in mano, e Franceſco di Capua Conte d' Altavilla con molti Baroni gli venivano avanti a piedi. Dopo venne la Ducheſſa di Calabria con la Ducheſſa di Ferrara con quattro Carrette piene di gran Signore, e ritrovorono al teatro il Cardinal Borgia con molti Veſcovi, il quale con belliſſime cerimonie cominciò la Meſſa in pontificale, & a tempo, e luogo, coronò la Reina, ornandola dell' altre inſegne reali: e per la prima, diegli l'oglio ſanto nella ſpalla deſtra, doppo li poſe la Dalmatica di drappo di ſeta bianca ricamata, appreſſo li coronò la teſta della Real Co-*

ro-

rona, & aſſentata appreſſo al Re gli diede lo Scettro, quale fu condotto dal Prencipe di Salerno, & il Pomo d'oro, che li porſe Pietro del Balzo Duca di Venoſa. Compitaſi la Meſſa, e dataſi la Pontifical benedizzione, il Re fece 20. Cavalieri, e fatto buttare bona quantità di moneta d'argento di più ſorte in mezzo la turba delle genti, cavalcarono ambi due li Spoſi con le corone in teſta, il Re alla deſtra della Regina, e il Cardinale alla ſiniſtra, e paſſando per tutti i Seggi ritornarono nel Caſtello nuovo. Ex his colligitur Regales conjuges inſigni pompa, & equitatione ad Eccleſiam deductos, ad cujus valvas, uti olim moris erat, matrimonium contrahebatur, tum in Eccleſia, celebrato Sacro, benedictio nuptialis concedebatur, quo tempore velum ſuper conjuges expandebatur a Principibus Regiæ ſtirpis ſuffultum, effundebantur in multitudinem numiſmata, creabantur a Rege Milites, Equiteſque, atque Regio conjugio nedum Proceres, ſed & Epiſcopi plures Regni intererant.

X. Quæ omnia luculentiſſime exhibet Joannes Brochartus in ſuis Diariis MSS. ubi ordinem deſcribit conjugii initi anno 1494. inter Sanciam Alphonſi II. Regis notham filiam, atque Joffredum Borgiam Alexandri VI. conſanguineum. Ac primo quidem refert ſponſalia in ipſis ædibus Regis inita hoc ritu. *Feria quinta, ſeptima menſis Maii contractum fuit matrimonium per verba de præſenti inter Ill. D. Joffredum Borgia . . . . S. D. N. Papæ Alexandri VI. & Ill. D. Sanciam de Aragonia filiam illegitimam Sereniſſimi Alphonſi II. Siciliæ Regis, hoc ordine. R. D. Cardinali Montiſregalis Legato Apoſtolico, & Sereniſſimo in quadam Camera Caſtri novi Neapolitani in duabus ſedibus ſedentibus, & inter ipſos alia, & ad ſiniſtram Regis quarta ſimilibus ſedibus vacuis, venit prædictus D. Joffredus a paucis nobilibus aſſociatus, & ſedit ad ſiniſtram Regis; parum poſt venit Sancia prædicta per Ill. D. Fidericum de Aragonia, fratrem Regis a ſiniſtris ejuſdem ducta, & duodecim vel circa mulieribus ſive matronis aſſociata, quæ locata fuit inter Legatum, & Regem patrem ſuum a ſiniſtris, quibus ſic ſedentibus, venit R. Julianus Epiſcopus Tropejenſis prædicti Sereniſſimi Regis Capellanus Major amictu, alba, cingulo, ſtola, & mitra pretioſis paratus, Capellano ſuo ſuperpelliceo, & pluviali induto ante ipſum Baculum paſtoralem deferente, qui coram Legato, & Rege conſtitutus, depoſita mitra pro reverentia ipſis facienda, in terram genuflexit. Dum accepta mitra dixit Sponſæ:* Ill. Madonna Sancia volete voi pigliare per voſtro legitimo Spoſo l'Ill. M. D. Joffredo Borgia quì preſente: *ad quæ verba reſpondit ſine mora:* Voglio. *Quo facto idem Epiſcopus ad virum reverſus dicit:* Ill. D. Joffredo volete voi pigliare per voſtra legitima Spoſa, e moglie l'Ill. D. Sancia d'Aragona quì preſente: *ad quæ verba ipſe etiam reſpondit ſine mora:* Voglio. *Et tunc idem D. Joffredus acceſſit ad ſponſam, & Epiſcopus accepta manu dextra Sanciæ ſponſæ conjunxit eam dexteræ manui Joffredi, & alter alterius manum ſic tenens, ipſe Epiſcopus dixit tres orationes, videlicet* Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob &c. Benedicat vos Deus &c. Reſpice quæſumus Domine &c. *in ordine Sponſalium poſitas: quibus dictis, producto ſuper utroque ſigno Crucis, receſſit, facta prius Legato, & Regi, ut prius, reverentia. Anulum ſponſæ non impoſuit, quia dicebat juxta conſuetudinem Neapolitanam anulum ſponſæ imponi in valvis Eccleſiæ ante inthronizationem ſponſi, & ſponſæ, non modo. His ſic peractis, quidam Notarius Neapolitanus contractum matrimonii hujuſ-*

modi tempore claræ memoriæ Ferdinandi Siciliæ Regis ſtipulatum publice legit, cujus copiam D. Stephanus de Narnia Notarius Cameræ Apoſtolicæ in manibus habens diligenter cum alio originali, quod dictus Neapolitanus Notarius legebat, auſcultabat. In quo quidem contractu inter alia dicto D. Joffredo promittebantur Principatus Jex, & Comitatus, quatuor millia ducatorum ſingulis annis inſerentes, & in eo continebatur, quod ipſe D. Joffredus infra annum, quindecim millia ducatorum ſponſæ tradere deberet, qui contractus fuit de novo ſtipulatus, & ſtipularunt D. Stephanus, & alius Notarius ſupradicti rogati. Quo peracto, apportatæ fuerunt quatuor petiæ broccati diverſorum colorum pulcherrimæ, & nonnullæ aliæ de velluto, tres collanæ aureæ cum diverſis perlis, & manilia, multi anuli, & alia hujuſmodi ornamenta muliebria valoris, ut a circumſtantibus æſtimabatur, octo millium ducatorum, vel circa, quæ omnia fuerunt ſponſæ donata pro parte D. Joffredi prædicti. Hoc itaque ritu in ædibus Regis coram Magno Capellano Pontificalibus ornamentis induto contractum fuit matrimonium per verba de præſenti.

XI. Benedictionem vero anuli, & nuptiarum in ſolemni Liturgia, & in Capella Palatina ita deſcribit Brochartus: *Dominica, undecima menſis Maii, pluit mane per totum diem quaſi inceſſanter, & copioſiſſime. In mane ejuſdem diei circa horam 14. venit ad Capellam Caſtri novi Rev. D. Legatus cum Rege Alphonſo a ſiniſtris ſuis, mediam inter ſe ducentes, ſeu habentes D. Sanciam de Aragonia ejuſdem Regis filiam illegitimam, ſponſam D. Joffredi, præcedentibus Nobilibus, Baronibus, & Regalibus ſuo ordine. D. Joffredus præceſſit proximus Regi & Legato a dextris D. Friderici fratris Regis; quibus ante portam Capellæ ſupradictæ conſtitutis: R. in Chriſto P. N. Epiſcopus Gravinenſis D. Matthæus Miſſam in dicta Capella Pontificaliter celebraturus, qui omnibus paramentis Pontificalibus paratus mitra, & juxta oſtium dictæ Capellæ cum Capellanis ſuis ſuperpelliceis indutis, quorum unus baculum deferens paſtoralem pluviali paratus erat, benedixit anulum, quem unus militum ſponſi coram ipſo Epiſcopo tenebat, & aqua benedicta adſperſit. Tum Epiſcopus tradidit anulum ſponſo, qui digito ſiniſtræ manus ſponſæ infixit, & impoſuit, quo impoſito, Epiſcopus adſperſit ſponſum & ſponſam aqua benedicta, & ingreſſi ſunt Capellam; eo ordine, prout prius.* Benedictionem, & traditionem anuli olim factam eſſe ad Eccleſiæ valvas indicant plurimi antiqui Rituales libri editi a Martene loco citato, Redonenſis, Lyrenſis, Antiſiodorenſis, Lugdunenſis, Leodienſis. Quin & in Græcorum Euchologio anulus nuptialis benedicitur ad Eccleſiæ fores. Expleta hac benedictione, inchoabatur Sacrum. Hinc ubi diſſolvendum erat conjugium aliquod, detrahebatur anulus ſponſæ pariter in Eccleſiæ atrio. Quod in celebri illa ſolutione matrimonii Ladislai Neapolitani Regis cum Conſtantia Claromontia, auctoritate Bonifacii IX. facta, legitur in Diariis Neapolitanis Ducis Montisleonis præſtitiſſe Cardinalis Florentinus illius Pontificis Legatus. Cæterum in Sanciæ, & Joffredi nuptiis, non Capellanus Major, ſed Epiſcopus Gravinenſis ſacro munere functus eſt, quod ille Regi adhærere debuerit, dum Liturgia celebrabatur. Pergit Brochartus, benedicto, traditoque anulo, inchoatam fuiſſe ſolemnem Liturgiam, ritu jam alibi deſcripto; eaque durante: *Sponſus, & ſponſa*, ait, *locum habuerunt in medio Presbyterii inter Altare & thalamum, Altari facies vertentes, ante ſe habentes quilibet cuſſinum broc-*

cati

cati auri ad genufle&tendum, & duos ſimiles ad ſedendum, & ſedebant, quando ſedebant Legatus, & Rex, & cum illis etiam ſtabant, & genufle&tebant. Ad elevationem SS. Sacramenti, Sponſus, & Sponſa genuflexi tenuerunt quilibet unum cereum album pulchre elaboratum trium librarum, vel circa, decem ducatos infixos habentem, illos tenentes uſque ad finem Miſſæ, excepto eo tempore, quo eis pax dabatur, tunc Clericus Sacriſtiæ tenuit ambos cereos, & pace accepta, illos eis reſtituit. Facta elevatione SS. Sacramenti tentum fuit ſuper Sponſum & Sponſam baldachinum cum quatuor baculis, quorum unum tenebat Ill. D. Joannes Piccolomineus de Aragonia, Marchio Liciti, frater Ducis Amalphitani, nepos Reverendiſſimi Cardinalis Senenſis ex fratre; Mag. D. Carolus Comes Venafræ ſecundum; & tertium, & male, quia Religioſus non debet gravari in ſimilibus, Religioſus D. Calcerandus Borgia Miles Ordinis S. Joannis Hieroſolymitani frater R. D. Cardinalis Legati; & quartum Mag. Bartholomæus Serra Miles, uſque poſt communionem Celebrantis. Dicto per Celebrantem: Per omnia ſæcula ſæculorum, *ante*, Pax Domini, *Celebrans poſuit SS. Sacramentum ſuper Patenam, videlicet illam particulam, quæ Sanguini erat commiſcenda, & converſus ad ſponſum, & ſponſam in eorum loco permanentes, ſtans in medio Altaris dixit ſuper eis* Dominus vobiſcum, *ſponſos benedicens*, Oremus propitiare Domine &c. *qua dicta converſus ad Altare Celebrans accepta particula dixit* Pax Domini. *Tum dicta oratione prima* Domine Jeſu Chriſte, *Celebrans dedit pacem cum ore Diacono, & Diaconus cum ore ſponſo, & cum ore ſponſus ſponſæ: Legatus, & Rex non habuerunt pacem, quia ita dixerunt eſſe conſuetum. Facta communione adminiſtratum fuit baldacchinum, & repoſitum in Sacriſtiam. Finita Miſſa ſponſus & ſponſa acceſſerunt ante Altare, & ibi in ultimo gradu ſuper dictis duobus cuſſinis genuflexerunt, ad ipſos converſus Celebrans cum mitra ſtans dixit:* Accipe uxorem tuam, *prout in Ordinario. Tum ſponſus, deinde ſponſa obtulerunt Celebranti cereos cum ducatis, manus ejus oſculantes, de quibus tamen famula Reginæ duos ducatos publice extraxit, videlicet de quolibet cereo unum ducatum. Legatus, his peractis, ſtans in ſede ſua, & thalamo, Crucem ſuam Capellano ſuo extra thalamum ante ipſum tenente, dedit benedictionem dicens &c. Et conceſſis intereſſentibus Indulgentias ſeptem annorum, quas publicavit Celebrans, deſcendit deinde Legatus, & Rex de thalamo, & ſponſam inter ſe recipientes, ſponſo, & aliis ordine ſuperius dicto incedentibus, aſcenderunt Caſtrum per lumacham prope Altare conſtitutam, ubi Legatus permanſit illa die, & uſque circiter ſextam horam noctis; fecit parum poſt aſcenſum in Caſtrum collationem in camera ſibi aſſignata, deinde ad Regem rediit, qui ſibi theſaurum ſuum oſtendit. Prandium fecerunt ibi Legatus, Rex, ſponſus, & ſponſa, D. Fridericus, ad dextram D. Friderici Orator Regis Hiſpaniæ, ad ſiniſtram Regis D. Joffredus ſponſus, & ad ſiniſtram D. Joffredi Gentilis Virgineus. Incœptum fuit prandium circa horam ſecundam noctis, & duravit inter horam quintam, & ſextam. Peracto prandio, ſponſa a Legato, & a Rege aſſociata fuit ad Palatium ſponſi, quod erat immediate extra portam Caſtri novi, præcedente ſponſo, & aliis, ut hoc mane fecerunt.*

Ritus hi fere omnes occurrunt in pluribus Gallicanis Ordinibus ad benedicendas nuptias editis a Martene; hique facile ab Andegavenſibus ad nos derivarunt: preſertim cæremonia illa fuit antiquiſſima, ut dum conjuges benedicebantur, ſuper eos velum expanderetur in ſi-

gnum pudoris, quod ab Ambroſio lib. de Virg. cap. 11. dicitur flammeum nuptiale. Is ritus adhuc in Gallia viget, uti etiam ritus oblationis a ſponſis faciendæ. Quod vero ex oblatione a conjugibus facta Antiſtiti, duos abſtulerit nummos Aulica Matrona, uti narrat Brochartus; id videtur derivatum ex veteri Gallorum more, qui in ineundis nuptiis, denarios quoſdam exhibebant, quorum aliqui tradebantur ſponſæ in ſignum traditi dominii corporis, alii vero Sacerdoti rem ſacram miniſtranti concedebantur, uti jam diximus.

XII. Fauſtum, fortunatumque conjugium Caroli Borbonii glorioſiſſimi Regis utriuſque Siciliæ, & Mariæ Amaliæ de Saxonia Auguſti III. Poloniæ Regis inclytæ filiæ, auſpicato initum eſt Dreſdæ, anno 1738. die 9. Maii, in Ædibus Regiis, vices Caroli Regis obeunte Principe Electorali Saxoniæ, germano Sereniſſimæ Sponſæ. Ordinem totius rei geſtæ exhibet Hiſtoria illius anni, Amſtelodami, Venetiiſque edita: Ibi: *Li 9. di Maggio alle cinque ore dopo il mezzo giorno il Principe Reale, avendo ſeco la procura del Re Carlo, fece la funzione di ſpoſare a nome di ſuo Cognato la Principeſſa ſua ſorella. Il Nunzio Apoſtolico, aſſiſtito da tre Veſcovi Polacchi diè loro la benedizione nuzziale. Seguì la funzione in una gran Sala alla preſenza delle loro Maeſtà, de' Principi, e Principeſſe della Caſa Reale, e degl' Ambaſciadori Ceſarei, e di Spagna. V' intervenne ancora tutta la Nobiltà del paeſe, come pure gran numero di Signori Polacchi, & altri foraſtieri. Indi il Nunzio intonò il* Te Deum, *che fu cantato da Muſici tra lo ſtrepito di una triplice ſcarica de cannoni, e della moſchettaria. Dopo la funzione il Re, la Regina, e tutta l' illuſtre adunanza accompagnarono la Real Spoſa nel ſuo Appartamento*. Cui venienti ad Venetos uſque fines obviam miſit Rex conjux Cajetanum Buoncompagni Soranorum Ducem, Supremum Præfectum Domus Reginæ, Magnatem Hiſpaniæ, nunc Plumbinenſium Principem, Sociumque Velleris aurei, & Regalis Ordinis S. Januarii, & Catharinam Caraſam Colubrani Principem, Primam Aulæ Matronam, alioſque plures Aulicos, qui Conjugem Neapolim uſque deducerent. Eam Veneti Patres inſigni magnificentia, faſtuque ſplendidiſſimo, in omnibus ſuæ Ditionis locis excepere, conſtituto ad hanc rem Antonio Mocenigo, qui ipſius Senatus nomine, & vice curaret omnia, Reginamque coleret conſuetis officiis. Nam eſt in more poſitum apud ampliſſimos Patres illos, ſummis honoribus proſequi Regales Principes, trajicientes Venetæ Ditionis loca; quod olim etiam Beatrici Ferdinandi I. Neapolitanorum Regi Filiæ, Matthiæ Hungariæ Regi deſponſatæ, atque in Pannoniam eunti præſtitere magna pompa, quam deſcribit Franciſcus Modius tom. 1. Pandectarum triumphalium. Ubi vero Sereniſſima Conjux Pontificiam adiit Ditionem, Cardinalis Agapitus Moſca Legatus Romani Pontificis, ei Ferrariam venienti occurrit, gratulatus nomine Romani Pontificis de initis nuptis, felicique adventu. Tum qua pompa & ritu excepta fuerit Ferrariæ, deſcribitur in laudata Hiſtoria. Pariter in omnibus locis Pontificiæ Ditionis, uti par erat, magnis honoribus excepta eſt: & id quidem ex antiquiſſimo more; conſtat enim ex Franciſco Modio tom. 1. Pandectarum triumphalium, quam ſplendide, & magnifice excepta fuerit Romæ, anno 1473. Eleonora filia Ferdinandi I. Neapolitani Regis, nupta Herculi Eſtenſi Ferrariæ Duci; haſque nuptias Pontificem Xiſtum IV. facta die Pentecoſtes benedixiſſe, narrat Summontius. Deni-

que

que ad Neapolitani Regni confinia prope Terracinam, excitato nobiliſſimo tentorio, Regales Conjuges magno Procerum comitatu ſibi invicem occurrerunt; tum Gajetam primum, deinde Neapolim die 23. Junii, atque ad ſolemnem gratiarum actionem in Capella Palatina ſe contulere. Nulla vero a Neapolitanis omiſſa publicæ lætitiæ ſigna, ſummique erga Regales Conjuges obſequii, & amoris argumenta; ſolemnes gratiarum actiones in omnibus fere Eccleſiis habitæ; plurimi ſtatuti feſtivi dies; faces noctu ubique ad lætitiam accenſæ; moles plurimæ triumphales miri operis erectæ; ſplendidi currus elaborati, quibus perſonatorum nobilium virorum, ac matronarum turba vehebatur; choreæ in Ædibus Regiis actæ; turris lignea magnæ molis, & nobiliſſimi operis in area Palatii Regii conſtructa; nundinæ ibidem inſtitutæ quarumlibet mercium, eæque tandem plebis arbitrio permiſſæ ſunt; arx lignea ampliſſima ad quingentos paſſus a littore, mediis in aquis excitata, & rerum comeſtibilium copia onuſta, quam plebs illuc ratibus advecta deprædabatur, mox feſtivum evomebat ignem; ſcenica plura ſpectacula edita; & alia plurima ad lætitiam, & ad magnificentiam comparata. Ferdinandus ejus filius, qui nunc temporis Neapolitanum Regnum feliciter adminiſtrat, uxorem duxit Mariam Carolinam Franciſci I. Romanorum Imperatoris, & Mariæ Tereſiæ Auſtriacæ filiam, gratia, venuſtate, virtute, præſertim vero clementia, & humanitate præſtantiſſimam. Hæ nuptiæ die 7. Aprilis 1768. Viennæ, in Auguſtinianorum Diſcalceatorum Eccleſia, ſacris operante Apocriſiario Pontificio, conciliatæ fuerunt. Quanta vero lætitia Neapolitanos affecerint, & quibus publicis obſequii, & gaudii ſignis eas celebraverint, & quo ſtudio, qua benevolentia Regales Conjuges colant, exploratum eſt omnibus. Ex his enim præclariſſimis Nuptiis, Neapolitani Regni felicitatem ſtabiliendam, augendam, & perennandam, ſpes eſt fidiſſima univerſis.

CA-

CAPUT XI.

DE RITU CONFERENDI ORDINES EQUESTRES.

Ritus inaugurandi Equites Velleris Aurei in Hiſpania. II. *Et agendi feſtum diem S. Andreæ Apoſtoli tutelaris Ordinis.* III. *De Ordine Equeſtri ſub patrocinio SS. Conceptionis nuper a* Carolo Borbonio *Hiſpaniæ Rege inſtituto.* IV. *Ritus cooptandi Equites in hunc Ordinem.* V. *Ritus creandi Equites Spiritus Sancti in Gallia.* VI. *Et ejus ſolemnia celebrandi.* VII. *De Ordine Equeſtri Periſcelidis in Anglia.* VIII. *Et Aquilæ nigræ in Boruſſia.* IX. *Ritus armandi Milites olim apud Neapolitanos Reges uſitatus.* X. *Societates Equeſtres olim a Neapolitanis Regibus conſcriptæ.* XI. *Statuta Equeſtris Ordinis Spiritus Sancti, Ludovico Tarentino Neapolitanorum Rege auctore.* XII. *Equites huic Sociatati primum adſcripti.* XIII. *Ritus creandi Socios* dell' Armellino *ſub Aragoniis Neapolitanis Regibus.* XIV. *Ritus inaugurandi ſeptem ſupremos Proceres Neapolitani Regni.* XV. *De Regali Ordine S. Januarii inſtituto a* Carolo Borbonio. XVI. *Ordo creandi Equites S. Januarii.* XVII. *Et Officiales ejuſdem Societatis.* XVIII. *Et agendi feſtum diem S. Januarii.* XIX. *De Ordine Conſtantiniano.* XX. *Ritus hujuſmodi Equites initiandi.*

REgum coronationes, natalitia, conjugia, plurimis in populum, nobiles, Magnateſque collatis beneficiis ad publicæ lætitiæ cumulum ſolent celebrari, præſertim vero quorumdam Procerum, qui de Rege, aut Republica ſunt optime meriti, cooptatione in Equeſtrem Societatem aliquam, cujus ipſi Reges auctores ſunt, datoreſve. De harum Equeſtrium Societatum origine, inſtitutione, diverſitate Sanſovinus, aliique plures ſcripſere: quamobrem ſacras hic dumtaxat cæremonias in cooptandis Sociis proſequemur, utpote quæ ſpectant ad hujus libri inſtitutum, cum hujuſmodi cooptationes ſacro abſolvantur miniſterio, & ut plurimum in Capellis Palatinis. In Hiſpania ampliſſimus eſt Equeſtris Ordo Velleris aurei, olim a Philippo Burgundiæ Duce anno 1430. conſcriptus in ſuis cum Eliſabetha Joannis Luſitaniæ Regis filia nuptiis; cujus Societatis ſupremum regimen, una cum Ditionibus Ducum Burgundiæ, extincta horum Principum ſtirpe, hæreditario jure ad Hiſpanos Reges pervenit. Is Ordo tutelarem habet S. Andream Apoſtolum, cujus feſtum diem olim ſolemni pompa in Capella Ducum Burgundiæ celebrarunt Sodales; hique ſequenti ritu in Societatem adſciſcuntur. Primo, ubi Rex aliquem hoc honore afficiendum decrevit, illum Cancellarius Societatis inſtituit in iis, quæ agenda ſunt, traditis ei Sta-

Statutis Societatis, & formula juramenti ab eo præſtandi: tum monentur Socii omnes, qua die, qua hora, cooptatio ſit facienda. Stata die, conveniunt omnes in aula quadam Regii Palatii, ibique Rex in ſede, Sodales in ſcamno, Officiales Societatis (Cancellarius, Theſaurarius, Secretarius) in alio ſcamno conſident, & jubente Rege, Sodales capita operiunt. Poſt Regis ſedem ſtant Supremus Præfectus Regii ſtabuli, & Primus Præfectus equorum; prope vero ſedem Regis paratur menſula, ſuper quam Crux, & Evangeliorum liber collocantur. Tunc, Rege innuente, Sodalium poſtremus, & Cancellarius adeunt Candidatum in anteriori manentem cubiculo, ut ab eo perſcrutentur, an noverit Statuta Societatis, an eadem ſervare velit, & an armatus ſit Miles. Quæ quidem ubi Percontator ad Regem retulerit, is Candidatum jubet accerſiri, qui medius inter Cancellarium, & Percontatorem ſiſtit ſe Regi, eoque ſalutato, illi quidem ſuis ſe reſtituunt locis, ipſe vero ſtans ante Regem, e ſcripto quodam a Feciali Societatis accepto grates plurimas agit Regi, & ſimul ſe exequendis Societatis legibus operam omnem daturum promittit. Cui, jubente Rege, Cancellarius accedens ad ſedem Regis, hujus nomine reſpondet, eum nempe adſcitum in Societatem ob præclara ejus merita, ſperare Regem, ut officio ſuo ſit ſatisfacturus; ſed ante cooptationem, eum armandum eſſe Militem, atque juramentum ab eo præſtandum. His a Cancellario dictis, Supremus Præfectus Regii ſtabuli porrigit Regi enſem, quo a Rege ter percutiuntur humeri Candidati in genua provoluti, his verbis ter prolatis: *Queris ſer Cavallero:* Cui Candidatus: *Si quiero:* Rex vero ſubdit: *Dios hos haga buen Cavallero, y el Apoſtolo San Andres:* ultimo enſis manubrium, Regiſque manum deoſculatur. At ſi cooptandus in Societatem jam fuerit armatus Miles, omittitur hæc cæremonia. Sequitur juramentum, quod a Candidato perſolvitur flexis genibus, manu dextra tangendo Crucem, ſiniſtra Evangeliorum librum, juxta Societatis ſtatuta, quæ a Cancellario leguntur. Juramenti ſumma eſt, ſe totis viribus ſupremum Societatis regimen Regi vindicaturum, ejus juſſa facturum, omnem daturum operam ad Societatis gloriam, & incrementum, æquo animo laturum quæcumque adverſa ſubeunda eſſent cauſa Societatis, hujus ſtatuta ſervaturum, denique Torquem ſe redditurum, nec ultra ſe tamquam Socium habiturum, ſi ob crimen aliquod expunctus fuerit a Societate. Ubi hæc protulerit, Candidatum ſciſcitatur Cancellarius, an dictis ſe juramento adſtringat; ille vero ſubdit: *Aſſi lo juro y prometto, aſſi me ayde Dios y todos los Sanctos.* Mox eumdem provolutum in genua, Rex, accepto a Theſaurario Torque aureo, his verbis alloquitur: *La Orden os recibe en ſu amigable compañia, y en ſeñal de ello os preſenta eſte Collar, quiera Dios, que lo podais traer largo tiempo, a onra y ſervicio ſuyo, en ſalſamiento de la ſanta Igleſia para onra y acrecentamiento de la Orden, y de vueſtros meritos y buen renombre, en nombre del Padre, del Hijo, del Spirito Santo:* impoſitoque Torque ejus collo, is oſculatur manum Regis, a quo ulnis excipitur. Tum cæteris Sociis mutuo amplexu ſalutatis, ultimo inter eos loco ſedet, niſi Princeps ſit Regiæ ſtirpis, cui primus conceditur locus; ſedentem Rex jubet caput tegere. Surgunt deinde omnes, & cæremoniæ finis imponitur.

II. Feſtum diem S. Andreæ Apoſtoli tutelaris Societatis ſolemni ritu celebrant in Capella Palatina Regis Hiſpaniæ, Confratres Velle-

ris

ris aurei. In pervigilio habentur Comitia Societatis in aula quadam Palatii Regii, aſſidentibus Rege, & Sociis, operto capite, & foribus clauſis. Cancellarius, accepto a Rege ſcripto, profert quid agendum ſit in illis Comitiis; tum quiſque ſuam dicit ſententiam, antiquiores primi verba faciunt, niſi adſit Princeps aliquis Regiæ familiæ, cui ante omnes dicendum eſt. Actis Comitiis, univerſi adeunt Palatinam Eccleſiam ad Veſpertina Officia, & hoc ordine incedunt: Adoleſcentes Aulici, Magiſtri equorum, vulgo *Cavallerizzi*, Cubicularii, ſeu *Gentiluomini*, Caduceatores, vulgo *Mazzieri*, Præfecti Domus Regiæ, ſeu *Maggiordomi*, Officiales Societatis, Socii operto capite, Principes Regiæ ſobolis, Rex medius inter quatuor Feciales, vulgo *Re dell' armi*. In Capella Rex & Principes conſiſtunt ſub Regiis Cortinis, & prope has Feciales, Socii in ſcamno, Officiales in alio ſcamno, Antiſtes Sacra faciens prope Altare in cornu Epiſtolæ, Magnus Capellanus prope Altare in cornu Evangelii conſident. Regi thus datur a Magno Capellano, Principes vero Regiæ ſtirpis thure coluntur ab alio Capellano Aulico. Sequenti die, eodem ordine, adſunt univerſi Liturgiæ in Capella Palatina, de qua re ita ſcribit Turturetus lib. de Sacel. Hiſp. cap.4. *Conſuevit Rex maximus, tamquam Dux Burgundiæ, & aurei Velleris ſummus Præfectus ſolemne feſtum S. Andreæ Apoſtoli celebrare: in cujus Divi patrocinio is Ordo ſplendidiſſimus fuit inſtitutus, & quem Domus Burgundica habuit tutelarem. In pervigilio Rex Catholicus Veſpertinis Horis, quæ in publico Aulæ Sacello modis muſicis decantantur, præſens adeſt, ſed deductis Regiis Cortinis. Milites ipſi aurei Velleris operti capita conſident in ſcamno, in quo aſſidere ſolent cæteris diebus Hiſpaniæ Magnates, qui eo die non interſunt: hos excipiunt Cancellarius, & Secretarius ejuſdem Ordinis, ſed in ſcamno diſtincto; aſſidentes caput etiam contegunt. Cum matutinis horis Sacrum peragendum Pontificali apparatu, Rex Sacellum intrat, quem parum antecedunt Feciales (vulgo Reges armorum) qui deinde ſe ſiſtunt paulo ſupra Regias Cortinas. In Sacro, quod peragit ſolemni ritu Antiſtes aliquis ex primariis, qui in Aula degunt, illud eſt notandum, poſt oblatam Hoſtiam, Rex ad Altaris gradus progreſſus, & genuflexus Antiſtiti offert nummum aureum. Idem efficiunt cæteri Commilitones aurei Velleris ſuo ordine, quem antiquitas demonſtrat (ut & in ſeſſione) necnon Cancellarius, & Secretarius, ad ſuas quiſque ſedes deinde revertitur*. Eo die Rex in conſpectu omnium ſub umbella accumbit menſæ, & in alia menſa diſcumbunt Sodales omnes. Ad veſperas ejuſdem diei, rurſum adeunt omnes Palatinam Eccleſiam ad audienda Veſpertina, & Matutina Officia: quæ pro expiandis manibus Sodalium defunctorum, modis muſicis decantantur. Altero die Sacrum celebratur pro Sociis vita functis; & ad Offertorium, Rex ſolus, oſculata Patena, offert aureum nummum. Sacro peracto, porriguntur Regi, & Principi Aſturicenſium cerei a Cancellario, cæteris vero Sociis cerei traduntur a Clerico aliquo Capellæ Regiæ; hiſque accenſis, fit Abſolutio ad tumulum, qua finita, univerſi ad ædes ſuas ſe recipiunt.

III. Sed hoc ipſo anno 1771. dum hæc ſcribimus, Carolus Borbonius glorioſiſſimus Hiſpaniæ Rex, die 19. Septembris, novam, eamque nobiliſſimam inſtituit Equeſtrem Societatem, occaſione capta, quod e Carolo Aſturicenſium Principe, & Ludovica Maria Borbonia Philippi filia, olim Ducis Parmæ, & Placentiæ, natus ſit Infans, Deo

Deo dante, hæres futurus imperii paterni. Hujus Societatis Statuta, paragraphis octo ſupra quinquaginta comprehenſa, Hiſpano ſermone edita ſunt Matriti; atque eorum ſumma hæc eſt. Ad perenne ſuæ lætitiæ ſignum ob natum Infantem, & ad ſubditorum virtutem præmiis, & honoribus proſequendam, declarat Rex, ſe Equeſtrem conſcribere Societatem, nuncupandam *Regalem diſtinctum Ordinem Hiſpanum Caroli III.* cui nonniſi, qui de Rege, & Regno bene meruerint, adſcribi debent; & cujus ipſe, & ſucceſſores Hiſpaniæ Reges perpetuo dignitatem habeant *Magni Magiſtri*, ac facultatem creandi Equites, augendi, vel minuendi eorum numerum; leges quoque ſtatuendi, ac mutandi. Tum in argumentum ſuæ & totius Regni pietatis, religioniſque erga Beatam Virginem ſine labe conceptam, hujus patrocinio, ac tutelæ committit Ordinem; & hinc Socii in pervigilio ejus feſti, ſingulis annis, ſacra Euchariſtia refici debent, ac orare pro Rege, & Regno; quotidie etiam preces effundere pro Catholicæ Fidei incremento, & in die Commemorationis omnium Defunctorum fidelium ſolemnem Curſum recitare ad expiandos manes Sociorum. In duas vero claſſes diſtinctos voluit Socios, nempe primi ordinis ſeu *Gran Croci*, *Caballeros Grandes-Cruces*; & ſecundi ordinis, ſeu Equites Penſionarios, *Caballeros Penſionados*. Illos quidem numero ſexaginta, & nonniſi vigintiquinque annorum ætatis, (exceptis ab hoc numero, & ab hac lege Infantibus, aliiſque ſupremis Principibus) juſſit faſciam cœruleam oris albis contextam geſtare ab humero dextro ad ſiniſtrum lattus protenſam, a cujus extrema parte Crux pendeat ſimilis formæ Crucis Ordinis Sancti Spiritus; ſed in ejus medio conſpiciatur imago Deiparæ Virginis Immaculatæ; ex altera vero parte, nota Regis cum ſuperimpoſita Corona, & addito hoc ſymbolo: *Virtuti & merito*: præter aliam Crucem operis phrygii, tum ſuperiori veſte, tum pallio conſutam. In magnis vero ſolemniis iidem Torquem aureum a collo ſuſpenſum, a quo Crux pendet; & talare veſtimentum ſericum albi coloris, vulgo *Manto*, anteriori parte complicatum, referens ex ea parte colorem cœruleum, induere debent; pileum quoque alba criſtà adornatum. Inſignia hæc tum ſe, tum Regios Infantes continuò delaturos promittit. In horum numero, quatuor ex Eccleſiaſticorum Ordine eſſe decrevit, præter Magnum Cancellarium, qui tamen faſciam a collo ſuſpenſam, Cruceſque acu pictas veſti, & pallio conſutas, more Clericorum gerant. Equites omnes hujus primi ordinis donandos eſſe *Excellentiæ* titulo, aliiſque honoribus voluit. Quoad Equites ſecundi ordinis, ſive *Penſionarios*, eorum numerum ad biſcentum ducere conſtituit; ita tamen ut Eccleſiaſticos viginti, non vero tres Officiales Ordinis, complectatur; & ut ſinguli ex hac claſſe annuas penſiones percipiant, collatis ad hanc rem ab ipſo Rege quindecim centenis millibus eorum nummorum, quos Hiſpani *Reales* nuncupant. Horum Crux ſimilis formæ, ſed minoris magnitudinis, haud a faſcia & humero pendet, ſed a faſciola ſuperiori veſti, ſive thoraci alligata; & eorundem ſolemnis veſtis talaris, ejuſdem cum cæteris formæ, & coloris, lanea tamen eſſe debet. His, qui in hanc Societatem ſunt adſciti, fas non eſt alterius eſſe Equeſtris Ordinis, excepto Velleris aurei, & S. Januarii, & quoad eos tantum, qui hunc S. Januarii Ordinem ab eodem Carolo Rege accepere; idque intelligendum eſt de inſignibus diverſi Ordinis ejuſdem dignitatis. Magnus Cancellarius ex Eccleſiaſticorum numero, primum poſt Regem, Regioſque Infantes, locum in

 Socie-

Societate obtinet: cujus eſt ſigilla cuſtodire; Inſignia conferre Equitibus Penſionariis; Candidatorum documenta de eorum moribus, & nobilitate accipere, & diſcutere; Conventui præeſſe, abſente Rege, ubi de negotiis agitur Societatis; & ut ejus Statuta ſerventur, incumbere. Quo munere, primum Rex donavit ampliſſimum Cardinalem Cordova la Cerda, Patriarcham Indiarum, & Majorem Capellanum. Sunt & alii tres Officiales Societatis ex Equitum tamen Penſionariorum claſſe, nempe Secretarius cuſtodiendis ſcripturis; Theſaurarius erogandis penſionibus, & ſervandis Inſignibus; Magiſter cæremoniarum moderandis cæremoniis addicti; qui Crucem faſciæ alligatam & a collo pendentem gerunt. Tum ſemel in menſe ipſi apud Magnum Cancellarium convenire debent, una ſimul cum tribus Sociis primi ordinis, ſeu *Gran Croci*, aliiſque tribus ſecundi Ordinis,* ſeu Equitibus Penſionariis, (quique ſex, ſingulis trienniis, a Rege nominantur) ut invocata primum Spiritus Sancti ope, de negotiis agant ad Societatem ſpectantibus. Sacra Societatis, abſente Rege, celebranda ſunt in quadam Matritenſi Eccleſia ad eam rem conceſſa; preſente tamen Rege, in Capella Palatina, ubi is ordo ſedendi præſcriptus eſt a Rege. A dextra Altaris parte, ſeu cornu Evangelii, collocatur ſedes Regis, quem prope ſequuntur ſupremi Aulæ Officiales juxta morem, & a dextra parte Regiæ ſedis aſſident Regii Infantes; tum hinc inde in ſcamnis Proceres Ordinis, ſeu *Gran Croci*; deinde in alio ſcamno tres Officiales Ordinis, Magiſter cæremoniarum medius inter Secretarium a dextris, & Theſaurarium a ſiniſtris; ſequuntur mox ſcamna cæterorum Equitum; ita tamen ut Novitii in ſeparato ſcamno poſtremi omnium ſedeant. A ſiniſtra vero Altaris parte, ſeu cornu Epiſtolæ, Magnus Cancellarius, aliique quatuor Antiſtites e numero Equitum primi ordinis aſſident; quos ſequuntur in alio ſcamno cæteri Eccleſiaſtici in hunc Ordinem cooptati, e claſſe Equitum Penſionariorum. Hunc vero ordinem præcedentiæ in hac Societate ſervandum voluit, ut nempe Magnates Hiſpaniæ, tum eorum primogeniti præcedant iis, qui hac dignitate carent, ſervato inter eos, qui ejuſdem ſunt dignitatis, ordine antiquitatis, vel ætatis. Et quoad Equites Penſionarios, qui antiquiores ſunt in Societate præcedunt; aut ſi eodem tempore plures in eam adſciti ſunt; is erit ſervandus ordo, quo in Regiis litteris nominati fuere. Itaque, cum Regi adeunda erit Capella Palatina una cum Sociis ad ſacra ſolemniter celebranda; e Regiis Cubiculis præcedere debent bini Equites Penſionarii, hos ſequi debent tres dicti Officiales Societatis, tum etiam bini Equites primi ordinis, ſeu *Gran Croci*; mox Infantes, Rex ipſe, ac poſt Regem Antiſtites e primo Sociorum ordine.

IV. Ad eum ſpectat, qui eſt a ſummis imperii negotiis, vulgo *Secretario di Stato*, illum quem Rex ad hanc Societatem adſciverit, hujus rei conſcium facere, tum etiam Magnum Cancellarium, & Secretarium. Candidatus, ſi abſens ab Aula ſit, poteſt ab eo, cui Rex hoc munus commiſerit, inſignia accipere Societatis; non vero Torquem aureum, neque talarem veſtem; ab ipſo Rege (niſi ſupremi Principis jus habet) in Aula accipiendam. At Candidato incumbit documenta ſuorum morum, ſuæque nobilitatis a tritavis uſque, utrinſque ejus parentis familiæ, traductæ, ad Magnum Cancellarium tranſmittere in Conventu Societatis examinanda, & probanda. Is vero Novitius dicitur, qui nondum juramentum emiſerit, neque Torquem aureum,

reum, & talarem veſtem a Rege acceperit; vel ſi e numero Penſionariorum ſit, inſignia ei Magus Cancellarius contulerit. Juramento hujus Societatis promittit Eques *ſe ad mortem uſque Catholicam Romanam Religionem profiteri; neque directe quidquam, nec indirecte contra Regem, Regiam familiam, ejuſque Regnum agere; Regi fideliter inſervire; et etiam tamquam ſupremo ordinis Magiſtro morem gerere; Statuta Societatis religioſè obſervare.* Ritus hujus juramenti emittendi, atque in hanc Societatem cooptandi is eſt a Rege ordinatus. *Eſtarà en pie a los de la Igleſia el Pretendiente haſta que el Maeſtro de Cerimonias le dica, que ſe acerque; y quando lo execute, ſe arrodillarà al lado de la meſa. El Gran Cancellier, que eſtarà immediato, le pregunterà ſi eſtà enterado de los Eſtatutos de la Orden, y de las obligaciones que impone; y luego que reſponda afirmativamente, le prevenderà ponga la mano ſobre los Evangelios, y haga el juramento eſtablecido. A continuacion le tomarà de la mano el miſmo Canciller; y nos le preſentarà arrodillado a nueſtros pies. Si el Pretendiente no habiere ſido antes armado Caballero, tomarà dico Cancellier la eſpada deſnuda, que el Teſorero le entregarà, y la benedecirà, haciendo ſobre ella la ſeñal de la Crux, y diciendo:* Benedic Domine Sancte Pater Omnipotens æterne Deus, per invocationem ſancti tui nominis, per adventum Chriſti filii tui Domini noſtri, per donum Spiritus Sancti Paracliti, & per merita Beatæ Mariæ Virginis, hunc Enſem, ut hic famulus tuus, qui hodierna die, eo, tua concedente pietate, præcingitur, inviſibiles inimicos ſub pedibus conculcet, victoriaque per omnia potitus, maneat ſemper illeſus: per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen. *Deſpues nos la darà para que hagamos eſta ceremonia en la forma regular: y conſecutivamente nos preſentarà el Collar y demas Inſignias (tomandolas tambien de mano del Teſorero) para que adornemos con ellas el Novicio. Eſte nos beſarà la mano, y ſe retirarà al pueſto que antes occupaba al lato de la meſa. Eſtando allì le dirà el Cancellier eſtas palabras:* Habeis recibido la Gran-Cruz de la Real y Diſtinguida Orden Eſpañola de Carlos Tercero en premio de veſtra virtud y merito, y llevareis ſiempre ſus Inſignias como un publico y permanente recuerdo de lo que debeis à Dios, al Rey, que tan altamente os ha honorado, y a la Orden, que viene a daros eſte nuevo luſtre. *Concluido eſto ſe levanterà, y paſſarà a occupar el lugar que le correſponde.* Quod ſi plures, eodem die, hujus Ordinis Inſignibus donantur, ſatis erit Magnum Cancellarium ſemel Enſem benedixiſſe. Atque hoc quidem ritu Equites primi ordinis, ſeu *Gran Croci*, præſente Rege, initiantur. De Equitum Penſionariorum inauguratione, ita Rex ſtatuit: *en la reception de los Caballeros Penſionados ſe obſervaran ſubſtancialmente las miſmas ceremonias, que en las de los Grandes-Cruces. El Canciller, que es el que debe hacer la funcion, tendrà ſu ſilla al lado derecho dell' Altar mayor, le accompañaran algunos Caballeros Grandes-Cruces (que eſtaran igualmente adornados con ſus Mantos) Todo los demas Caballeros Penſionados, los Caballeros Novicios, los Miniſtros de la Orden, y los Eccleſiaſticos ſe hallaràn en los lugares, que les eſtàn ſeñalados: y habrà ademas en parage ſeparado otros bancos para las Perſonas de claſe, que quieran aſſiſtir a la cerimonia. Sentado el Gran Canciller y todos los demas, a excepcion del Pretendiente, leerà el Secretario el principio de la Cedula de eſta nuova Inſtitucion, y el nombramiento de dicho Pretendiente. El Maeſtro de ceremonias llama-*

Digitized by Google

rà a eſte, deſpues y el Canceller le preguntarà: Querèis ſer individuo de la Real y diſtinguida Orden de Carlos Tercero? *a que reſponderà:* A sì lo deſeo, y pido. *Le volverà a preguntar:* Eſtais enterado de los Eſtatutos, y pronto a jurarlos, y complirlos? *y reſponderà:* Lo eſtòi. *Entonces le quiterà la Eſpada uno de los Caballeros Grandes-Cruces, y arrodillandoſe al lado de la meſa harà el juramento en la forma preſinida. Asì executado, tomarà el Gran-Canciller la Eſpada para benedicirla, come va dicho; deſpues de hacer con ella la Cruz ſobre los hombres y cabeza del Pretendiente la entregarà al otro Caballero Gran-Crux, que ſe la da de ceñir: y a queſta, ſe arrodillarà dichó Pretendiente a los pies del Canciller, quien le pondrà al pecho la Cruz, diciendos las miſmas palabras, que ſe expreſaron hablando de los Grandes-Cruces. Hecho eſto poniendole el Canciller el Manto de la Orden, le dirà eſtas palabras:* Exuat te Deus veterem hominem cum actibus ſuis, & induat te novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate, & veritate, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: Amen. *fenecido el acto de recepcion beſarà la mano el nuevo Caballero al Prelado Canciller, abrazarà a todos los demas, y irà a occupar ſu pueſto. Deſpues de cuya ceremonia, ſe dirà, o cantarà el Salmo:* Laudate Dominum omnes gentes.

V. In Gallia præſtantiſſimus eminet Ordo Equeſtris Spiritus Sancti, cujus auctor fuit Henricus III. anno 1578. (exemplo hauſto ab Aula Neapolitana, uti infra dicendum erit) quod ſacra die Pentecoſtes, tum Poloniæ, tum Galliæ imperium fuerit aſſecutus. Is Ordo centenario Sociorum numero conſtat, recenſitis Rege Chriſtianiſſimo Supremo Moderatore, quatuor Cardinalibus, Epiſcopis quatuor, Magno Eleemoſynario, Cancellario, Præfecto cæremoniarum, Theſaurario, & Secretario. Ut quis in hanc nobiliſſimam adſciſcatur Societatem, conſtare debet illum Orthodoxa Fide, & optimis moribus imbutum, quod plerumque illius Epiſcopi teſtimonio comprobatur, ubi habet domicilium. Sed Orthodoxæ Fidei profeſſio emittenda eſt coram Magno Eleemoſynario. Debet etiam conſtare eumdem ex claro eſſe genere, cujus rei conſcius ſit Rex a Cancellario, is vero a duobus Sociis, quibus hæc cura demandatur. Inſigne Societatis, præter pallium holoſericum liliorum floribus, flammis, aliſque ex auro, & argento intertextum; eſt Torques aureus ex liliis flammarum congerie circumdatis (quibus Henricus IV. caſſides, & alia belli trophæa addidit) elaboratus, cui Crux adhæret columbæ formam exhibens. Hæc tamen inſignia nonniſi ſolemni inaugurationis die geſtantur; cæteris namque diebus Crucem argenteam deferunt veſtibus adſutam; aliamque pendentem a faſcia cærulea collo innexa. Cæremonia inaugurationis his fere ritibus abſolvitur, uti referunt Dumontius & Roſſuetius lib. 3. cap. 1. Cæremonialis Galliæ. Candidatus a Præfecto cæremoniarum ducitur ante Regis Solium, ubi ſedet Rex Chriſtianiſſimus, & hinc inde cæteri Sodales; procumbens in genua ſacramentum emittit, & propria manu ſubſignat, ad Evangeliorum librum, quem ſupra Regis genua apertum exhibet Cancellarius. Dato juramento, Rex accepta a Præfecto cæremoniarum ſolemni veſte Ordinis, ea Candidatum induit, cujus collo mox Torquem a Theſaurario porrectum imponit, his verbis: *Recevez de noſtre main le Collier de notre Ordre du Benoit S. Eſprit. Au nom du Pere, du Fils, du S. Eſprit.* Qui vero huic Societati adſcribitur, is etiam in Equeſtrem Con-

Confratriam S. Michaelis Archangeli, quæ fundatorem habuit Ludovicum XI. anno 1469. cooptari debet. Hæc cæremonia agi ſolet ad veſperas, uti contigit anno 1724. die ſacra Pentecoſtes, cum a Rege Criſtianiſſimo in Capella Palatina Verſalienſi, quinquaginta ſelectiſſimi Proceres, ac inter eos Cardinalis de Geſures, Archiepiſcopi quoque Lugdunenſis, Aquenſis, & Narbonenſis in Equeſtrem Societatem Spiritus Sancti adſciti fuere. Ordinem totius rei geſtæ deſcribunt citato loco Dumontius, & Roſſuetius, atque ita fere ſe habuit. In pervigilio Pentecoſtes, primum in Ædibus Regiis adſcripti ſunt Candidati Equeſtri Confratriæ S. Michaelis, enſe ter percuſſis a Rege humeris ſingulorum, his verbis: *De parte de S. George & Saint Michel je vous fais Chevalier*, datoque ſingulis amplexu, quem Galli vocant *accollade*. Tum omnes Palatinam Capellam adiere, ubi decantato Hymno, *Veni Creator Spiritus*, & dicta oratione ab Epiſcopo Metenſi Socio Ordinis, qui Sacra faciebat, Rex Solio inſidens excepit ſacramentum a præfatis Cardinali, & Archiepiſcopis emiſſum, quos deinde donavit Societatis inſignibus, faſcia nempe cærulea a qua Crux pendet; ſiquidem Socii ex Eccleſiaſticorum numero Torquem minime geſtant. Et poſt decantatas Veſperas, in Societatem adſcivit cæteros Candidatos, qui bini ad Solium accedebant, eos ducentibus Præfecto cæremoniarum, & Sponſore. Sequenti die, univerſi Sacro ſolemni ritu in Capella Palatina peracto interfuere.

VI. Olim Sodales Equeſtris Confratriæ S. Michaelis Archangeli a Ludovico XI. Galliæ Rege conſcriptæ, ſingulis annis, die illi ſacra, adeſſe debebant ſolemni Liturgiæ, & ad Offertorium ſinguli nummum offerebant. Altero die, Sacrum agebatur pro expiandis manibus defunctorum Sodalium, pariterque ad Offertorium cereus a ſingulis offerebatur. Ita ex Statutis illius refert lib. 2. cap. 45. Peiratius. Et erat olim Galliæ Regibus dies S. Michaelis Archangeli feſtivus, atque ſolemnis; imo Carolus VIII. Sancti Archangeli imagine, Regia vexilla juſſit exornari. Quod uſitatum quoque fuit Græcis Imperatoribus, ut pote quia, teſte Codino, inter vexilla, quæ in magnis ſolemniis præferebantur Imperatori, primum, præcipuumque fuit Archiſtrategum, ita dictum, quod in eo impreſſa eſſet effigies Principis cæleſtis militiæ, ſeu Michaelis Archangeli. Nunc vero temporis a Sociis nobiliſſimi Ordinis Spiritus Sancti, ſolemnia aguntur ſingulis annis, & quidem ultima anni die, primaque anni ſubſequentis, quod pridie Kalendas Januarii in Pariſienſi Auguſtinianorum Eccleſia Henricus III. ſplendidiſſimum illud Equeſtre Sodalitium conſcripſerit. Quandoque tamen ipſa ſacra die Pentecoſtes, & inaugurantur Socii, & ſolemnia ab omnibus aguntur, uti contigit anno 1724. in cooptatione illa quinquaginta Sodalium, quam deſcribunt Dumontius, & Roſſuetius. Aderant Socii omnes Torque, & veſtimento Ordinis induti, Rex inſidebat Solio media in Eccleſia conſtructo, Regique adhærebant Magnus Eleemoſynarius, & Primus Eleemoſynarius, & Confeſſarius; poſt Regis ſedem Dux militum cuſtodum corporis Regis, & Præfectus Regii cubiculi; prope Solium quatuor Officiales Societatis totidem in ſubſelliis; Socii hinc inde in ſcamnis aſſidebant, Antiſtites vero in alio ſcamno prope Aram in cornu Epiſtolæ. Antiſtes Metenſis, Socius Ordinis, Sacrum faciebat. Evangeliorum librum obtulit Regi deoſculandum Archiepiſcopus Lugdunenſis e Sociorum Collegio antiquior, qui & pacis oſculo Regem donavit. Ad Offertorium

Ma-

Magnus Eleemoſynarius prægustavit unam ex Oblatis ad periculum faciendum pro communione Regis. Tum monente cæremoniarum Præfecto, Rex medius inter duos Principes Regiæ ſtirpis, manu ferens accenſum cereum a Cancellario porrectum, præeuntibus Feciali, Caduceatore, & quatuor Officialibus Societatis, ad Altare acceſſit, ibique flexis genibus, oſculato anulo Antiſtitis, primo cereum obtulit, deinde tot aureos nummos, quot vitæ annos egerat, a quodam Regiæ ſtirpis Principe ei traditos. Facta a Rege oblatione, Principes Regiæ ſtirpis ſinguli, Sodales vero cæteri bini, Cancellarius, tum Præfectus cæremoniarum medius inter Theſaurarium, & Secretarium adeuntes Altare, nummum aureum obtulere. Eodem ordine, Rex Chriſtianiſſimus ſumpturus Euchariſtiam ad Altare acceſſit, duoque Eleemoſynarii, duo itidem Principes Regiæ ſtirpis mappulam coram Rege expanſam detulere. Tandem acceptis ab Eleemoſynario Eulogiis, & ab Antiſtite benedictione, oſculato ſacro Corporali, rediit ad Regias Ædes. Sequenti die, in eadem Capella Palatina Verſalienſi, eodem fere ritu, ſociis e vita ſublatis parentatum fuit. Rex violacea indumenta gerebat, ſiquidem violaceo colore in luctu, Francorum Reges utuntur, cæteri Socii atrati interſuere.

VII. Eduardus III. Anglorum Rex nobiliſſimam conſtituit ſub S. Georgii patrocinio Equeſtrem Societatem Periſcelidis, ſive ob periſcelidem ſuam in prælii, quod feliciter ceſſerat, teſſeram datam, uti tradunt nonnulli; ſive ob periſcelidem Joannæ Comitiſſæ Sarisberienſis venuſtiſſimæ feminæ, quam illi choreas agenti delapſam Rex ex humo ſuſtulit, addens futurum, ut brevi ſummus honor ejuſmodi periſcelidi haberetur. Socii cæruleo ſubligari aureis litteris inſcripto: *Hony ſoit, qui mal y penſe*, ideſt: *Male vertat ei, qui male cogitat* ſiniſtram tibiam paulo infra genu ſubſtringunt aurea fibula. Solemnibus vero inaugurationis diebus, Collare geſtant ex eadem crurali faſcia ſæpius iterata & roſis alternatim rubris, & albis, quod Lancaſtriæ, & Eboracenſis familiæ ſtegma extitit, conflatum; appenſa effigie D. Georgii tutelaris. Hujus Societatis Antiſtitem agit Epiſcopus Vintonienſis, Cancellarium vero Epiſcopus Sarisberienſis, ac Secretarii munere fungitur Decanus Vindeſorienſis. Inſignes in hac Societate partes agit Garterius, qui primus, præcipuuſque eſt e Londinenſi Collegio Fecialium, vulgo *Re dell' armi*. Ad hunc enim ſpectat cæremonias omnes Ordinis moderari; Socios monere, quo die, qua hora, Vindſorii conveniendum ſit ad ſolemnia agenda, vel ad novos Socios adſciſcendos; Sociorum inſignia gentilitia, galeam, & ſcutum in Templo Vindſorienſi ſuſpendere; eorum præclara geſta tabulis conſignare, & obitum cæteris ſignificare; ad abſentes una cum Legato Regis, inſignia Societatis deferre; denique Regio funeri imminere. Nec ſine multiplici ritu Garterius ordinatur; ſiquidem flexis genibus coram Magno Mareſcallo, præſtito juramento, oſculatis Sacro Codice, & enſe, dum Regis litteræ leguntur, vinum effunditur a Magno Mareſcallo ſupra illius caput, tum donatur inſignibus Societatis. Ad hunc quoque ſpectat amovere Templo Vindſorienſi gentilitia arma eorum, qui ob crimen aliquod Societate ejiciuntur. Porro inaugurantur Socii in Eccleſia Palatina Vindſorienſi D. Georgio tutelari Societatis ſacra, ubi perpetuo aluntur viginti ſex nobiles viri, inopes rerum familiarium, qui a Deo precentur Ordinis proſperitatem; eaque inauguratio fit multiplici ritu, & inſigni pompa.

VIII.

VIII. Pariter in Aula Boruſſiæ Principum, etſi Calvinianæ communionis, Equites Aquilæ nigræ a Friderico Marchione Brandeburgi anno 1701. conſcripti, tunc primum cum ſe Boruſſiæ Regem ſalutari, ungique juſſit, multiplici ſacra cæremonia coram Antiſtite Aulæ inaugurantur in Capella Palatina. Nam, uti legitur apud Dumontium, & Roſſuetium cap. 4. §. 3. Cæremonialis Boruſſiæ, primo Antiſtes Aulæ, (quem vocant Aulæ Epiſcopum, quia ſacris rebus, Calviniano more, in Aula præeſt) expectat Principem prope ſacram Menſam; neque enim Calvinianis Altare dicitur, uti nec Sacrificium. Illuc Princeps, Aulicis, Sociiſque ſtipatus accedit, Solium conſcendit, & ſilentibus muſicis bellicis inſtrumentis, Palatini Cantores Hymnum inchoant, *Veni Creator Spiritus*; huic ſubditur Oratio ab Antiſtite ad ſacram Menſam prolata, qua Deo grates agit ob inſtitutam a Principe Societatem, illumque deprecatur; ut ſuam effundat gratiam in Principem, Socioſque, qua officio ſuo ſaciant ſatis, & Chriſtianam colant pietatem. Subjungitur hiſce precibus Oratio Dominicalis; qua finita, nonnulli decantantur Pſalmorum verſus. Mox a Societatis Secretario leguntur Statuta; iiſque lectis, Candidati a cæremoniarum Præfecto advocantur: quos Cancellarius conſcios facit accepti a Principe beneficii, ſimulque monet, non antea cooptandos ſore in Societatem, quam conſuetum protulerint ſacramentum. Hinc, præeunte Secretario verba, jurant Canditati ſervaturos ſe Statuta, quæ illis exhibentur. Adhæc Theſaurarius Cancellario, & is Principi porrigit Torquem Societatis, quo Candidati, flexis ante Principem genibus, & oſculata ejus manu exornantur, dum interim pulſantur muſica militaria inſtrumenta. Ad ſuam quiſque ſedem, monente Præfecto cæremoniarum, ſe recipit: atque Antiſtes ſingulorum nomina proſerens, ſingulis fauſta precatur, utque cedat eorum inauguratio in Dei, Fidei, Principis, & Societatis gloriam, juxta ſymbolum Societatis *Suum cuique*. Has fauſtas precationes Chorus excipit reſpondendo *Amen*. Rurſum Pſalmorum verſus a Cantoribus Palatinis, & Oratio gratiarum actionis ab Antiſtite, & Oratio Dominica recitantur. Sequitur benedictio ab Antiſtite data, tum Hymnus, deinde Antiphona: *Eſto fidelis uſque ad mortem, & ego tibi dabo coronam gloriæ*. Denique ſingulorum, qui in Societatem adſcripti ſunt, oblationibus cæremonia abſolvitur.

IX. Siculos, Neapolitanoſque Reges conſueviſſe militari cingulo donare in magnis ſolemnibus, ut in eorum Coronatione, aut Conjugio, vel ob inſignem aliquam victoriam de hoſtibus partam, vel primo eorum in civitatem aliquam ingreſſu, quoſdam, qui rebus optime geſtis, honorem illum meruerant, paſſim indicant noſtrarum rerum Scriptores. Ita Rogerium I. Regem, Neapolim ingreſſum cum Innocentio II. duos ibi menſes ſeſtos egiſſe, & centum quinquaginta creaſſe Milites, enarrat Fazellus lib. 1. rerum Sicularum. Et de eodem Rogerio ſcribit lib. 4. cap. 5. Abbas Teleſinus: *Ipſe Rex Natalis Dominici ſubſequentis die adveniente, duos liberos ſuos ad Militiam promovit, Rogerium ſcilicet Ducem, & Tancredum Barenſem Principem, ad quorum videlicet laudem, & honorem quadraginta Equites cum eiſdem ipſis militari cingulo decoravit*. Nam & Reges ipſi, & eorum filii, vel ab Epiſcopis, vel a Regibus militare accipiebant cingulum, uti pluribus exemplis conſtat apud eos, qui de hac re ſcripſere. De Mamfredo Rege, Spinellus in Diariis tom. 1. Scrip. Ital. Muratorii,

rii,

rii, refert: *Rex Mamfredus ingreſſus ſolemni pompa Neapolim creavit ibi triginta tres Equites, juſſitque eos bono animo eſſe, eo quod volebat bonam concordiam cum Papa, & eſſe filius obediens Eccleſiæ. Recordatus autem Archipresbyteri Caraccioli, qui fuerat pædagogus ſuus, quæſivit, quinam ex ejus familia ſupereſſent Neapoli. Intelligens porro, duos ſupereſſe nepotes, accerſitos ad ſe creavit Equites cum proviſione unciarum quinquaginta*. Ludovicus II. Andegavenſis, anno 1390. Neapolim ſolemni pompa adiens, nonnullos ſuarum partium ſtudioſos donavit eo die militari cingulo, uti lib. 4. Hiſt. Neap. narrat Summontius. Eodemque teſte, Carolus Andegavenſis initis anno 1272. ſecundis nuptiis, plures conſtituit Milites. Carolus III. in die Natalis Domini anno 1383. Urbano VI. Pontifice Sacris operante in Metropolitana Eccleſia Neapolitana, Baſilio Januenſi contulit Militiæ gradum, cui ipſe Rex enſem tradidit, nepos vero Pontificis admovit calcaria. Teſtis eſt Facius lib. 9. plures ab Alphonſo Rege ordinatos Milites in gratiam Friderici Imperatoris, quem Neapoli magnificentiſſime exceperat: *Pleroſque civium*, ait, *in honorem ejus* (Helionoræ neptis) *& Friderici ingreſſus Neapolim, Equeſtri dignitate decoravit. Nonnullis etiam id poſtulantibus a Friderico eam dignitatem dari, æquo animo tulit*. Conſtat quoque, Alphonſum II. Neapolitanorum Regem, decem & ſeptem Milites; & Jacobum II. Siciliæ Regem quadringentos conſtituiſſe Milites in die coronationis ſuæ. Et ad hanc rem dabantur a Rege litteræ, cujuſmodi ſunt Friderici Siciliæ Regis datæ Perrellode Ciſario Panormitano, quæ leguntur in quodam antiquo Chronico Siciliæ tom. 3. Anecd. Martene. *Satis decens, & honorabile fore decernitur, quod in ſolemnitatibus nuptiarum, quæ inter inclytum Dominum Petrum II. Illuſtrem Regem Siciliæ primogenitum noſtrum, & Inclytam Dominam Elizabeth Filiam Illuſtris Regis Bohemiæ in Civitate Meſſanæ, in feſto Nativitatis Domini proxime futuro ſunt feliciter omnimode celebrandæ, certi fideles noſtri honoris, & nominis noſtri, & dicti Filii noſtri avidi zelatores, & præcipue ad hoc apti, militari cingulo decorentur. Cumque tu, vel filius tuus ad ſuſcipiendum dictum militiæ cingulum aptus, idoneus, & ſufficiens dignoſcaris, nobis, & eidem nato noſtro plurimum complacebis, ſi ad dicta ſolemnia decenter te, filium tuum, præpares ad decorandum vel te, vel eum honore militiæ, ut expedierit, acceſſurum*. Tantoque ſumptu olim Equeſtre cingulum accipiebant, ut ob eam rem fas eſſet Dynaſtis ſubſidia extraordinaria ſubditis imperare. Veterem ritum armandi Militem exhibent nonnulli antiqui Ordines editi a Martene p. 3. lib. 2. cap. 12. ubi Antiſtes benedicit enſem de Altari ſumptum, eoque cingit Militem, recitatis quibuſdam precibus, is vero vagina eductum enſem ter vibrat; tum acceptis ab Epiſcopo oſculo pacis, & alapa, & vexillo, calcaria ei a nobilibus viris imponuntur. Sed apud Neapolitanos Reges is fuit Ordo creandi Militem, quem deſcribunt Summontius lib. 3. Hiſt. Neapol. & Tutinus in libro *de' Seggi di Napoli* cap. 14. Referunt namque in Eccleſia excitato tabulato, ordinandum Militem ſediſſe in argentea ſella, ibique examinatum, an iis præditus eſſet conditionibus, quæ Militi conveniunt; mox oblato ab Antiſtite Evangeliorum libro, jurare debuiſſe, ſe Regi fidelem futurum, & adiuvandis miſerorum rebus omnem daturum operam; deinde a duobus Equeſtris Ordinis viris ductum ad Regem, hunc illius caput, vel humeros enſe tetigiſſe his verbis: *Iddio ti faccia buon Cavaliero;* po-

poſtea a nonnullis Aulicis matronis enſe cinctum, & a quatuor Militibus ei impoſita calcaria aurata; quo facto, ductum ad nobiliorem ſedem, medium conſediſſe inter Regem, & Reginam; tandem pretioſiſſima quædam ex ſaccaro condita, ſingulis diſtributa fuiſſe. Dubitandum haud eſt, quin ſæpe hæc cæremonia peracta fuerit in Capella Regis, & coram Magno Capellano. Neque enim ſemper Reges in Civitate principe, neque ſemper in Neapolitana Eccleſia Milites crearunt: ſed ſæpe in Aula, ſæpiſſime in caſtris congreſſuri cum hoſtibus, aut ſtatim a parta victoria. Tum vero & in Capella ſua, & coram Magno ſuo Capellano, cingulum militare contulerunt. Ita Petrum IV. Aragoniæ Regem in Capella Palatina Majoricenſi nonnullos ad militiam ordinaſſe anno 1343. ſcribit Zurita Ann. Arag. p. 2. lib. 7. cap. 68. Et innumera ſunt exempla eorum, etiam Principum, qui in caſtris militari cingulo donati ſunt.

X. Alii vero non ad militarem dumtaxat gradum, ſed ad Equeſtrem aliquam Confratriam, cujus Neapolitani Reges auctores fuerant, cooptabantur. Scriptores Neapolitanarum rerum memorant Confratriam quamdam a Ludovico Tarentino Joannæ I. Reginæ conjuge anno 1352. die ſacra Pentecoſtes inſtitutam, quæ Nodi nuncupata eſt: quod ejus Sodales ſericum funiculum perlis ornatum, nexu quodam complicatum, & pectori admotum gererent. Atqui tamen hæc Confratria ſub invocatione & patrocinio Sancti Spiritus viguit: & ad hujus ampliſſimæ Societatis exemplar Henricus III. Gallorum Rex præclariſſimum conſcripſit Ordinem Spiritus Sancti in Gallia, ad hæc uſque tempora inſignem. Quod ſane noſtris Scriptoribus inſciis, ex antiquo quodam monumento eruit D. Laboureur in addit. ad Com. D. de Caſtelnau, agens de Henrico III. & de inſtituta ab eo Societate, tom. 2. ait. *Cet Ordre n' eſt qu' une imitation d' une pareille Milice du S. Eſprit, inſtituee l' an 1352. par Lovis Anion dit de Tarente, Roy de Hieruſalem & de Sicile, a cauſe de la Reine Jeanne ſa femme, & ſa couſine; de la quelle n' ayant point eu d' enfans, cet Ordre prit fin avec lui, & ſe perdit ſi bien dans le deſordres, & les revolutions, qui arriverent au Royaume de Naples, qu' on l' avroit meſme ignoré; ſi non que l' original des Conſtitutions eſtant tombé au pouvoir de la Seigneurie do Veniſe, elle en fit preſent a Henri III. quand il y paſſa a ſon retour de Pologne. Il le trouva d' autant plus beau, qu' il lui convenoit parfaitement pour eſtre né la jour de la Pentecoſte, & pour avoir eſte le meſme jour couronné Roy en Pologne, & en France, auſſi bien que ce Roy Lovis ſon premier Inſtituteur, qui receut a meſme jour lex deux Couronnes de Sicile, & de Hieruſalem. C' eſt pourquoy il le prit en augure, & reſolut de ſe l' approprier, comme s' il eut eſté de ſon invention, & aprés l' avoir copié, & commenté les Statuts, il donna ordre au S. de Ghiverny de le bruler; mais il fit conſcience de faire perir un ſi rare monument, le quel outre le merite de ſon ſujet, & de ſon antiquité, eſtoit encore fort eſtimable pour les belles miniatures en velin, ou l' on void l' hiſtoire de ce qui eſt contenu en chaque canon, ou ſtatut. A la premiere fueille eſt le myſtere de la Trinité, repreſentée dans un ciel tout ſemé de fleurs de Lys au lieu d' eſtoiles, & accompagné de pluſieurs Anges; dont il y en a deux aux coſtez, qui portent chacun un rouleau, ou eſt eſcrit en lettres Gothiques* ſpiritu plena. *Devant cette Trinité ſont repreſentez priants le Roy Louis, & la Reine Je-*

 an-

anne, avec cette ſouſcription: Dominus Ludovicus Rex, Domina Joanna Regina, *& a coſté eſt la figure du noud de l' Ordre, qui eſt en forme d' un double lacs d' amour. Au deſſus de cette Image eſt eſcrit:* Ludovicus Dei gratia Rex Hieruſalem, & Siciliæ, *entre deux eſcuſſons l' un d' Anjou tout plein, e l' autre party d' Anjou, & de Sicile. Ce livre eſcheut depuis a Philippe Hurault Eveſque de Chartres fils du S. de Chiverny, & appartient a preſent a M. René de Longueil S. de Maiſons Præſident au Parlement. Le S. de Sainte Marthe Conſeiller en la Cour des Aydes m' en ayant communiqué la copie, je la donneray icy comme une piece digne de l' Hiſtoire, & qui fera voir quelles doivent eſtre les qualitez de ceux, qui aſpirent a l' honneur d' un ſi noble Chevaliere.* Quo teſtimonio conſtat, Henricum III. Gallorum Regem e Polonia in Galliam reducem, a Venetis accepiſſe Statuta Societatis Spiritus Sancti a Ludovico Tarentino Neapolitanorum Rege conſcripta, exinde hauſiſſe exemplar ſimilem Societatem in Gallia ordinandi, optaſſe tamen, ut Statuta illa igni traderentur, quæ tamen diu ſervata, tandem a Domino Laboureur typis edita ſunt. Ea ſequenti exhibemus paragrapho, quod ad Capellæ Palatinæ cæremonias, ad Aulæ Neapolitanæ ornamentum, & ad antiquitatem illuſtrandam plurimum faciant. Corolus III. Dyrrachinus, qui Joannæ I. ſucceſſit anno 1381. auctor fuit nobiliſſimæ Societatis ſub S. Nicolai Myrenſis Epiſcopi patrocinio, in cujus honorem Eccleſiam conſtruxit, & ſolemnia quotannis agi voluit: cui, qui adſcripti erant, Navem geſtabant veſtibus effigiatam, illam, qua Argonautas olim vectos in Colchidem, Jaſone duce, Poetæ fabulati ſunt. Sed & Renatus Dux Andegavenſium, Rex Siciliæ, in Divi Mauritii Eccleſia Civitatis Andegavenſis, Equeſtre inſtituit Sodalitium Lunæ Creſcentis, ſeu corniculatæ; quod Socii lunam corniculatam brachio ſubligatam geſtarent, uti ſcribit Pontanus lib. 1. de bello Neapolitano. Memorat Pontanus adſcitum in hanc Societatem a Joanne Andegavenſi, qui contra Ferdinandum I. de Regni Neapolitani imperio decertavit, Robertum Sanſeverinum virum genere, dynaſtiis, & rebus geſtis ampliſſimum.

XI. Statuta Societatis Spiritus Sancti a Ludovico Tarentino, & Joanna I. Neapolitanorum Regibus edita, & a D. Laboureur in additionibus ad monumenta D. Caſtelnau, Gallico idiomate, quo exarata fuerunt, publici juris facta, hoc inſcribuntur titulo. *Ce ſont les Chapitres faicts & trouves par le Tres-excellent Prince Monſeigneur le Roy Loys par la Grace de Dieu Roy de Jeruſalem, & de Secille. All' honneur du S. Eſprit Trouveur, & Fondeur de la Tres-noble Compagnie du S. Eſprit au droit deſir, encommencee le jour della Pentecoſte l' an de grace MCCCLII. Nous Loys par la Grace de Dieu Roy de Jeruſalem, & de Secille. All' honneur du S. Eſprit, le quel jour par la grace nous fuſmes couronez de nos Royaumes, en eſſaucement de Chevalerie, & accroiſſement d' onneur, avons ordené de faire une Compagnie des Chevaliers, qui ſeront appellez les Chevaliers du S. Eſprit au droit deſir, & les dits Chevaliers ſeront en nombre de trois cens; des quels Nous comme Trouveur, & Fondeur de cette Compagnie ſerons Princeps: & auſſi doivent eſtre tous nous Succeſſeurs Roys de Jeruſalem, & de Secille. Et a tous ceux, que nous avons esleus, & eslıront a eſtre de la dite Compagnie faiſons ſcavoir, que nous penſons a faire, ſe Dieu plet, la premiere feſte au Chaſtel de Leuf enchan-*

chante du merveilleux peril, *le jour de la Pentecoſte prochain venant. Et pour ce tous les deſſudits Compagnons, qui bonnement pouveront, ſojent audit jour, audit lieu, en tel maniere, comme cy apres ſera deviſe : & adoncques ſera plus a plain a tous les Compagnons parlé de cette matiere.* Ipſa Statuta hiſce Capitulis conflata ſunt. I. Socio cuilibet jurandum eſt, daturum ſe omnem operam, ſive conſilio, ſive armis, ſive quovis alio modo, tum in exequendis, quæ Princeps imperaverit, tum in obſervandis Statutis Societatis. II. Singulis Sociis jugiter geſtandum eſt in veſte inſigne Societatis, nempe Nodus pectori admotus cum hoc ſymbolo; *ſi Deo placet*: & qualibet feria ſexta in memoriam Dominicæ Paſſionis deſerenda ſunt indumenta nec ornatu, nec colore conſpicua, cum nigro capitis tegumento, quod Veteres cucullum dixere, Galli dicunt *Chaperon*. III. Ei, qui egregium aliquod facinus in bello geſſerit, dummodo non in Eccleſiam Romanam arma tulerit, fas eſt Nodum ſolvere, ſolutumque gerere, uſquedum Hieroſolymitanum Chriſti Domini monumentum adierit, ibique veluti trophaeum collocaverit: exinde Nodum rurſus complicatum deferet, ſed cum hoc ſymbolo, *Deo placuit*, additiſque circa Nodum flammulis, ſeu radiis, quæ vim Spiritus Sancti illapſam denotant. IV. Inſigne Societatis, ſeu Nodus cum ſymbolo: *ſi Deo placet*, non in veſtibus ſolum exprimi, ſed in manubrio enſis ſculpi debet, additis nomine, cognomento, & galea ſcutaria illius, cujus eſt enſis. V. Sociis jejunandum eſt qualibet feria quinta totius anni; ſin minus, tres alendi ſunt eo die inopes, vel eiſdem ſtipes eroganda, quanta ſufficit ad unius diei alimoniam. VI. Die ſacra Pentecoſtes Socii omnes conveniant Neapolim ad agenda ſolemnia Societatis in Capella Arcis Lucullanæ, vulgo *Caſtel dell' Ovo*, quam in honorem Sancti Paracleti Princeps excitavit. Is vero Corona redimitus eo die Comitia habet; Sociiſque, quibus exiguæ ſunt opes, ex ærario ſuo pecuniam ſubminiſtrat, quantam itineris faciendi cauſa impenderint: VII. Eo die Socii omnes candidis induti veſtibus, in quibus prope regionem cordis effigiatæ ſint flammulæ Spiritus Sancti, manu geſtantes enſem erectum, adſint Liturgiæ in dicta Capella, ubi ſua cuilibet eſt ſedes, gentilitiis inſignibus, galea ſcutaria, nomine, & cognomento cujuslibet diſtincta: abſolutoque Sacro, univerſi flexis genibus Hymnum *Veni Creator Spiritus*, preceſque recitent, ut in Societatem cæleſtia dona Spiritus Sanctus effundat. VIII. Quo die Socii ad celebritatem conveniunt, eorum ſinguli tabulas deferant, ubi eorum præclara geſta recenſeantur, haſque Clericis illius Capellæ tradant, ut ab iis Principi, ejuſque Conſilio exhibeantur: quæque Princeps cum Conſilio ſuo memoratu digna exiſtimaverit, hæc ab iiſdem Clericis deſcribenda ſunt in libro ad hanc rem in Capella aſſervato, cui titulus: *Livre des advenemens aux Chevallers de la Compagnie du S. Eſprit au droit deſir.* IX. Principi in Palæſtinam ad bellum Sarracenis inferendum, & ſacra loca Chriſtianis vindicanda trajicienti, adeſſe debet quilibet e Sociorum numero; itidem & aliis omnibus in Palæſtinam expeditionibus, quas Romana Eccleſia, vel Chriſtiani Principes ſuſceperint, ni impedimento aliquo prohibeantur. X. Sociorum vexilla in gerendo bello, præſertim ſi pro Fide, aut Principe decertaverint, tum alba ſint, tum Spiritus Sancti effigiem flammis radiantem præferant: atque eis in prælio ſit vocalis teſſera, *Au droit deſir*. XI. Qui ſegniter cum hoſte pugnaverit, haud candidis utatur veſtibus in celebrandis ſolemnibus

Societatis, ſed atratis; neque veſtes ipſas flammulis Spiritus Sancti inſigniat, quinimo haſce litteras legendas in iis exhibeat: *J'ay eſperance au S. Eſprit de ma grand houte amander*; ſpem nempe habeo, ſavente Divino Spiritu, quod mihi probro datum eſt, diluturum. Neque eo die diſcumbat una cum cæteris Sociis in eadem menſa: id vero uſquedum judicio Principis, ejuſque Conſilii, inuſtam ſibi infamiæ notam purgaverit, XII. Nulli ex Sociorum cœtu fas eſt longa aggredi itinera, non antea impetrato Principis conſenſu; tuncque in Comitiis ſignificanda eſt ratio ſuſcepti itineris, ut Socii abſentiam intelligant univerſi. XIII. Si qui e Sociis dum omnem navat operam, ut perpatrato inſigni facinore, *Voti* compos fiat, ob id in egeſtatem inciderit; re diſcuſſa, & probata in Conſilio, ei Princeps opem, ſubſidiumque conferet. XIV. In Arce Lucullana, quo Socii ad agenda Comitia conveniunt, menſa erit nuncupanda *la Table deſiree*, quod in ea diſcumbendum ſit illis, qui jam *Voti* compotes facti, inſigne aliquod facinus in prælio geſſerint, Nodumque propterea ſolverint. Inter eos vero primi ſedent, qui pluries decertando meruerint; principe tamen loco conceſſo ei, qui ſolutum antea Nodum rurſum complicaverit, iſque caput lauro cingit eo die, more veterum Romanorum. XV. Ipſo die Pentecoſtes, ſacris rebus abſolutis, Comitia Societatis habenda ſunt, atque ſingulis Sociis vi ſacramenti ſui incumbit officium proferendi quicquid ad Societatis gloriam ſpectat & utilitatem. Quod quidem, ſi Patrum conſilio expedire viſum fuerit, probatumque, addendum erit Statutis Societatis, curante hanc rem Principe. Si quæ de hujuſmodi Statutis ſervandis emergunt diſſidia, ea Patrum ſuffragio, & judicio in Comitiis ſunt definienda. XVI. Qui in hanc Societatem eſt cooptandus, ſi jam antea alteri Societati Equeſtri nomen dederit, vel ea abire, vel hanc omnibus aliis præferre debet: cooptatus vero in Spiritus Sancti Societatem, neque hac ipſa abire, neque alteri nomen dare poteſt, inconſulto Principe, ejuſque Conſilio. XVII. Qui a Principe creantur Scutiferi Societatis, ii armandi ſunt Milites, antequam ad agenda ſolemnia admittantur. XVIII. Socius quilibet morti proximus curet, imperetque, ut ipſo e vivis ſublato, enſis in cujus manubrio ſculpta ſunt Societatis inſignia ad Principem deferatur; tum quoque Nodus, omnium quos habet nobiliſſimus ad Capellam Societatis tranſmittatur. XIX. Princeps accepto enſe defuncti Socii curet, imperetque, ut infra octo dies illius ſolemne funus in Capella Societatis agatur: cui funeri ipſe, ceterique Socii, qui non ultra unius diei iter ab Aula diſſiti ſunt, adſint; tum ad Liturgiam, enſis offeratur ab aliquo defuncti conſanguineo, vel amico ad Altare, comitantibus enſem offerendum cæteris Sociis, qui ad Altare flexis genibus pro illo preces effundant. XX. Enſis cujuslibet Socii vita functi ſuſpendendus eſt in eadem Capella Societatis: ibi quoque excitandum eſt monumentum, & in marmore incidendum, quo die, quo loco Socius ille e vivis exceſſerit. XXI. At vero Sociis præclariſſime meritis, ut qui ſolutum antea Nodum rurſus ſubligarunt, addendæ ſunt in monumento flammulæ Spiritus Sancti, ſimulque litteris ſculpendum eſt, illum officio ſuo functum eſſe, ac jam *Voti* compotem factum. XXII. Si Sociorum aliquo ſupremum obeunte, Princeps abſit ab Aula, ei incumbit infra annum parentalia defuncto indicere, & agere. XXIII. Quilibet e Sociorum cœtu in alicujus Socii morte, ſeptem Miſſas pro expiatione animæ celebran-

das

das imperet, infra menſem ab accepta notitia. xxiv. Nulli fas eſt Nodum ſuum ſolvere, niſi cum quinquaginta, vel pluribus Barbutis decertaverit, & ita ſe fortiter geſſerit, ut vel primus in hoſtem irruperit, vel hoſtem primus vulneraverit, vel vexillum ad terram uſque projecerit; vel hoſtium Ducem cœperit, & ad finem uſque pugnæ rem inſigniter egerit. xxv. Pariter ei fas eſt, Nodum ſolvere, qui cum exigua ſuorum manu contra tercentos Barbutos arma contulerit, & primus impetum fecerit, vel vulnus injecerit, dummodo exitus pugnæ ipſi feliciter ceſſerit, & egregie navatam operam Princeps probaverit.

XII. Atque hæc ſunt illius ampliſſimæ Societatis Statuta, quibus conſtat, Societatis inſignia, tum Nodum pectori admotum, tum Spiritus Sancti flammeos radios fuiſſe. Quoad Barbutos, qui ibi nominantur, horum nomine, vel intelligendi ſunt Brabeutæ, ita dicti ab accipiendo Bravio, Italice *Campioni*; vel milites quidam ita nuncupati a tegminis aliqua ſpecie, quo caput tegebant. Horum mentio fit in epiſtola quadam Innocentii VI. apud Martenium, tom. 2. Anecdotorum, & in Chronico Veronenſi apud Muratorium, ubi: *Et ab alia parte Civitatis Veronæ verſus portam S. Maximi jam equitaverat D. Bernabous de Vicecomitibus de Mediolano cum octingentis Barbutis*. Cenſet doctiſſimus Cangius, illos olim Barbutas dictos, quos deinde Itali *Lances* ſeu *Lanciarios* appellarunt. Porro ex Menennio in libello de Ordinibus Militaribus conſtat, adſcitos a Ludovico Tarentino in hanc Societatem Robertum Tarenti Principem ejus fratrem, Barnabam Vicecomitem Mediolani Principem, Thomam Sanſeverinum Comitem Marſici, & Sancti Severini, Magnum Comeſtabulum; Robertum Urſinum Comitem Nolæ, Magnum Juſtitiarium; Goffredum Martianum Comitem Squillacii, Magnum Admiratum; Erricum Caraczolum Comitem Hiracii, Magnum Camerarium; Nicolaum Acciajolum, Magnum Seneſcallum; Honoratum Gaetanum Comitem Fundorum, Joannem Sanframundum Comitem Cerreti, Guglielmum Baucium Comitem Noyæ, Raimundum Baucium Comitem Soleti, Loyſium Sanſeverinum, Gualterium Caraczolum Viola, Phillppum Caraczolum Viola, Franciſcum de Loffredo, Robertum Siripannos, Guglielmum de Tocco, Jacobum Caraczolum, Joannem de Burgentia, Bartholomæum Caraczolum Carafa, Ligorium Caraczolum Carafa, Joannellum Caraczolum Carafa, Joannellum Buzzutnm, Matthæum Buccaplanula, & Chriſtophorum de Coſtantio. Horum nomina Menennius teſtatur hauſiſſe ſe e libello quodam Nicolai Agnelli Paccæ Neapolitani, cui titulus: *Ordines & Societates militares Regni*.

XIII. Aragoniis deinde Regibus imperantibus, aliud a Ferdinando I. Rege conſcriptum eſt anno 1463. Equeſtre Sodalitium, cujus inſigne fuit pellis alpini muris, vulgo *Armellino*, cum hoc ſymbolo: *Malo mori, quam fœdari*. Quod nempe Marinum Martianum Sueſſanorum Ducem, affinem ſuum, hoſtemque infenſiſſimum, captum, & in carcerem conjectum noluiſſet morti dare: qui tamen antea in ipſius Regis vitam, diſſimulato pacis tractandæ cauſa prope Teanum colloquio, fœdiſſime inſidias paraverat. Huic Societati adſcriptum Herculem Eſtenſem Ferrariæ Ducem, miſſo illuc Joanne Antonio Carafa, qui Torquem Societatis deferret, ſcribit Pigna in Hiſtoria Eſtenſis familiæ. Et Menennius in citato libello refert ex Pacca adlectos Alphonſum Calabriæ Ducem, Regis primogenitum, Herculem

Eſten-

Eſtenſem Ferrariæ Ducem , Galeatium Sfortiam Ducem Mediolani ;
Alexandrum Sfortiam Piſauri Principem , Robertum Sanſeverinum
Principem Salerni , Franciſcum Baucium Ducem Andriæ, Regis con-
ſanguineum, Julium Antonium Aquavivum Ducem Atriæ, Trojanum
Caracciolum Ducem Melphiæ, Antonium Piccolomineum Amalphita-
num Ducem, Regis conſanguineum, & Pii II. nepotem , Urſum Ur-
ſinum Nolæ Comitem , ac Aſculi Ducem , Antonium de Ruere Du-
cem Soræ Sixti IV. nepotem , Petrum Guevara Magnum Sene-
ſcallum , Marchionem Vaſtii , ac Regis conſanguineum , Innicum
Avalos Comitem Camerarium , & Alphonſum ejus filium Piſcariæ
Marchionem , Honoratum Gaetanum Comitem Fundorum , Ferdi-
nandum Guevara Comitem Belcaſtri , Alphonſum Guevara Comi-
tem Archarum , Marinum Caraczolum Comitem Sancti Angeli , Ja-
cobum Caraczolum Comitem Burgentiæ , Virginium Urſinum , &
Joannem Jordanum ejus filium , Robertum Urſinum Tagliacotii ,
& Albæ Comitem , Diomedem Caraſa Comitem Magdaloni , Scipio-
nem Pandonum Comitem Venafri , Andream de Capua Altevillæ Co-
mitis filium , Matthæum de Capua Palenæ Comitem , Antonium Ca-
raſa Muntiſdragonis Dominum , Galeatium Caraczolum Vici Domi-
num , Domitium Caraczoli Ruodi Dominum , & Calabriæ Guberna-
torem , Galeottum Caraſa Foruli Dominum , & Regis conſanguineum ,
Guevaram de Guevara Arpaiæ Dominum , & Vallis Beneventanæ Gu-
bernatorem , Loyſium de Aquino Caſtellioni Dominum , Albericum
Caraſa , & Jacobum Caraſa de Spina Caſtriveteris Dominum . Ritum
vero ab Arogoniis Regibus adhibitum & in armandis Militibus , &
in cooptandis Sociis *dell' Armellino* exhibet Joannes Brochartus in
ſuis Diariis manuſcriptis , ubi poſt enarratam Alphonſi II. coronatio-
nem ait , *Rex coronatus ad altare ſuperius dictum , prius Corporali ,
& manibus deoſculatis , & ſignatis , juxta ordinem ſuperium dictum
aſcendit , & ſedit in faldiſtorio ibidem ſibi parato , & Legatus ad Re-
gis dextram , ut alias faldiſtorio , cappa indutus ſimiliter ſedit , quibus
ſic ſedentibus , D. Joannes Pontanus Regis Secretarius ex quadam ce-
dula quam manibus tenebat , ſtans ad ſiniſtram Regis in gradu inferio-
ri Altaris pronunciavit de verbo ad verbum , & Heraldus Regis ad
ſiniſtram Pontani ſtans eadem verba ſucceſſive proclamabat , ut ab
omnibus intelligerentur . Sententia autem pronuntiationum , & procla-
mationum fuit : Rex creavit Ill. D. Joannem Borgiam Ducem Gan-
diæ , S. D. N. . . . . Principem Tricaricenſem , Comitem Clarimontis ,
Comitem Lauriæ , & Comitem Carinolæ . Item ſimili modo per aliam
cedulam , ut ſupra pronuntiatam , & proclamatam , Rex creavit , con-
ſtituit Ill. D. Joffredum Borgiam ejuſdem S. D. Noſtri Alexandri Pa-
pæ etiam . . . . . . de domo Aragoniæ , & fecit ipſum Principem
Squillaci , Comitem Cariati , & Regni Siciliæ citra Pharum Protonota-
rium , quo taliter pronunciato , idem D. Joffridus genuflexit coram Re-
ge , qui impoſuit ſibi Elmetum , ſive Galeam ſupra aurem ſiniſtram ,
& creavit eum Militem dicens :* Iddio e S. Giorgio ti facci buon Ca-
valiere . *Deinde impoſuit ſibi Stolam albam , ſupra quam Stolam , an-
te impoſitionem juravit velle capitula illius obſervare . Tum recepto
ab eo , & per ipſum D. Joffredum ſuper collanam auri de Sociis Her-
mellini , præſtito juramento , quod velit capitula Societatis illius Har-
mellini obſervare : Rex eamdem collanam humeris D. Joffredi impoſuit ,
& ipſum Societati hujuſmodi Hermellini aggregavit . Poſtmodum per*

aliam

aliam cedulam ſimili modo pronuntiatam & proclamatam Rex creavit, conſtituit Mag. D. Gentilem Virginium Urſinum de domo Aragonia, & Grandem Conteſtabilem Regni. Inſignia autem tam D. Joffredo, quam Gentili Virginio Grandis Conteſtabulatus hujuſmodi non dedit, quia illis receptis debebant per civitatem a Baronibus aſſociari equitantes, quod hodie propter equitationem Regis fieri non potuit, ſed ad alium diem hoc reſervavit. Creavit poſt hæc idem Rex decem ſeptem alios Milites, quorum cuilibet Galeam impoſuit, & cum puncta enſis ſingulos inter aurem ſiniſtram, & ſummitatem Galeæ tetigit dicens: Iddio e S. Giorgio ti faccia buon Cavaliero. *At illis, qui collanas offerebant, illis humeris eorum impoſuit, ſed nullum eorum de Societate Stolæ ſive Harmellini fecit. Primus dictorum decem ſeptem fuit Joannes de Sanguine Nobilis Neapolitanus Camerarius Regis, & ut credo, ſecundus Martinellus Regis Magiſter Juſtitiarius. Creatis Militibus hujuſmodi, ſurrexit Rex, & Legatus, qui ipſum Regem uſque ad portas Eccleſiæ, extra portam a dextra Regis incedens aſſociavit, ſequentibus Prælatis in eorum mantellis: Rex ibidem Legato præſente aſcendit equum, cujus frænum pectorale, & gropperam perlis in copioſo numero ornaverat, & pallam per ſtringam ſuam digito annulari alligari ſiniſtræ manus fecit, ſceptrum in dextra ferens, ſub baldacchino, quod Barones portabant, equitavit.*

XIV. Memorat hoc loco Brochartus alteram inſignem cæremoniam, qua creabantur ſeptem Proceres Regni. Olim enim in Neapolitano Regno ſeptem præcipua fuere munera totidem Magnatibus commiſſa, qui proinde poſt Regem primum locum occupabant. Horum primus dicebatur Magnus Comeſtabulus, eratque Imperator militum, & ſupremus Dux belli; ſecundus Magnus Juſtitiarius, cui ſuberant Magiſtratus omnes, qui in negotiis tum civilibus, tum criminalibus jus dicunt; tertius Magnus Ammiratus, ſeu ſupremus claſſis, & rei maritimæ Præfectus: quartus M. Camerarius, qui Regios proventus curabat; quintus M. Protonotarius ſervandis Chartis Regiis addictus; ſextus M. Cancellarius, cui commiſſa erat cuſtodia Regii ſigilli: ſeptimus denique M. Seneſcallus, ſeu ſupremus Domus Regiæ Preſectus. Hi ſeptem Proceres in publicis, Regiiſque cæremoniis aſſidebant una cum Rege purpureis induti veſtibus, ſingulique habuere ſuæ dignitatis inſigne, uti Magnus Comeſtabulus enſem, Magnus Juſtitiarius vexillum, Magnus Ammiratus facem, Magnus Camerarius Coronam Regiam; Magnus Protonotarius librum, Magnus Cancellarius Doctoralem lauream, Magnus Seneſcallus truncum Unicornis animalis. De eorum origine, quæ a Normannorum ætate repetenda eſt, officio, ac juriſdictione, Tutinus in libro de hac re edito, Freccia in libro de Subfeudis, aliique plures cum ſcripſerint, hic cæremoniam in eorum inauguratione adhibitam dumtaxat tractabimus, utpote quæ ſæpe in Capella Palatina, abſoluto Sacro, peragebatur. Et ex Tutino quidem colligitur, Magnum Comeſtabulum flexis ante Regem genibus, ab eo accepiſſe enſem, cum his verbis: *Accipe Sanctum gladium, in quo noſtros adverſarios dejicies.* Verum ſæpe in Capella Palatina inaugurabantur hujuſmodi Proceres Regni. Ita Alphonſus II. in die coronationis ſuæ, Joffredo Borgiæ conſanguineo Alexandri VI. contulit gradum Magni Protonotarii, & Virginio Urſino Magni Comeſtabuli. Sed horum munerum inſignia alio die ipſis tradidit in Eccleſia Palatina, quod acceptis inſignibus debuiſſent ſtatim

Civi-

Civitatem perequitare; id vero in die coronationis Regis fieri minime potuiſſet, cum ipſi Regi erat equitandum. Rem narrat Joannes Brochartus in ſuis Diariis manuſcriptis, ſimulque deſcribit Ordinem hujus cæremoniæ: *Feria ſexta dicti menſis Maii ante meridiem, vel circa, in Caſtro novo Sereniſſimus Alphonſus Siciliæ Rex dedir inſignia Principalia D. Joffredo Borgia de Aragonia Principi Squillaci, videlicet circulum aureum rotundum ſimplicem in modum fili, ſeu cordæ, groſſitudinis majoris digiti manus, quem capiti ſuo impoſuit, & duo vexilla, ſine ſtendarda, una cum armis ſuis, & Aragonum inquartata; quod aſſignatum fuit portandum D. Calcerando Borgiæ Militi Ordinis S. Joannis Hieroſolymitani, fratri Reverendiſſimi D. Cardinalis Montiſregalis Legati; & aliud, campum habens claucum, ſive glaudum, & duos monticellos pares cum tertio illis ſuperpoſito, & ſcalam auream ex paſſibus undecim aliquantulum per tranſverſum tendentem in altum, quod fuit traditum D. Bartholomæo Serra Militi de familia dicti D. Joffredi portandum. Quibus inſigniis receptis idem D. Joffredus equitavit per Neapolim, hoc ordine: præceſſerunt Tibicines, & Fiſtulatores, quos ſequebantur Nobiles, & Barones ſuo ordine, Mazzerii Regis, illi duo portatores vexillorum prædictorum, Hiraldus Regis, a ſiniſtris D. Joffredus, & ad ejus ſiniſtram D. Fridericus frater Regis, quos ſequebantur alii Barones poſt Regios: non perfecit circulum ſolitum, quia inſignie aureum, quod in capite detecto gerebat, nimis eum premebat; rediit propterea ad Caſtrum novum, quod exuerat. Hæc ex conſuetudine Neapolitana debebant heri facta fuiſſe; ſed propter coronationem Regis, & ejus equitationem fuerunt in hodie prorogata.* Paulo poſt deſcribitur ab eodem Brocharto ritus, quo tradita fuerunt Gentili Virginio Urſino inſignia Magni Comeſtabulatus, his verbis: *Feria quinta, decima quinta Maii, Reverondus Epiſcopus Nicaſtrenſis celebravit Miſſam ſolemnem Pontificaliter, cui Sereniſſimus Alphonſus Siciliæ Rex interfuit. Finita Miſſa, acceſſit ante Altare Capellæ in Caſtro novo, ubi Miſſa hujuſmodi celebrata fuerat prædictus Rex, ubi eo in ſede ſedente, venit coram eo Magnificus Gentilis Virginius de Aragonia manto longo roſaceo paucis ſuffulto uſque ad terram indutus, cujus pars ad dextram a brachio infra uſque ad terram aperta erat, ſiniſtra vero pars plicata erat ſuper brachium ſiniſtrum, ſuper brachium dextrum habebat bicham, ſive lecidipium eiſdem paucis ſubductum, & in capite biretum roſaceum parvum etiam paucis ſuffultum, cui ipſe Rex donavit ſtendardum unum magnum armorum Regis, & Urſinorum aquartatum, & baculum unum argenteum, ſive mazziriam in manu dextra, inſignia Grandis Conteſtabilis Regni Siciliæ, officii ſibi pridem dati, cum quo, præcedenti ſtendardo a quodam Nobile portato, idem D. Gentilis Virginius a ſiniſtris D. Joffredi equitavit per Civitatem Neapolitanam more ſolito a Nobilibus & Baronibus aſſociatus.* Circulus aureus imponebatur, vexillum quoque tradebatur in ſignum inveſtituræ Feudorum, iis, qui Reguli, ſeu Barones creabantur; quique mox, acceptis inſignibus, Civitatem magna pompa perequitabant. Hujus rei ſæpe occurrit mentio in Annalibus Neapolitanis Raimi tom. 23. Script. Ital. a Muratorio evulgatis. Ibi anno 1443. Raymundus Urſinus Princeps Salerni, & Bernardus Aquino Marchio Piſcariæ redimiti aureo circulo, & tribus præcedentibus vexillis per Civitatem equites inceſſiſſe leguntur. Hinc Joffredum Borgia circulo aureo, & duplici vexillo donatum a Rege exhibet Brochar-

chartus, quorum unum ſpectabat ad Principatum Squillacenſem illi conceſſum, quare a Brocharto dicuntur *Principalia inſignia*; alterum vero ad officium Magni Protonotarii. Et in Annalibus Raimi nuper laudatis, anno 1446. Dux Amalphitanorum, Pii II. Romani Pontificis nepos, creatus a Rege Magnus Juſtitiarius dicitur equitaſſe cum uno ſtendardo (& iſtud erat Ducatus inſigne) & uno pennone, hoc eſt, vexilli quadam ſpecie, quod Magno Juſtitiario præferebatur. Nunc vero temporis, nonniſi nuda ſuperſunt illorum ſeptem Officiorum nomina, quæ honoris cauſa a Rege Magnatibus quibuſdam conceduntur.

XV. At vero Equeſtres Ordines, quorum Neapolitani Reges auctores fuerant, deficientibus ipſis, defecerant, & hominum memoria fere exciderant; cum Carolus Borbonius, omnium antehac Regum, clementia erga ſubditos, animi magnitudine, & rerum geſtarum gloria longe præclariſſimus, imperium utriuſque Siciliæ, non tam ſibi ipſe vindicavit, quam populorum votis, animis, benevolentia, plauſu oblatum, exhibitumque accepit. Ne itaque rem aliquam miſſam faceret, quæ ad Aulæ Neapolitanæ ſplendorem, ad ſui Nominis gloriam, & ad eorum remunerationem, qui de Rege, vel de Republica eſſent optime meriti, ſpectaret; in ſuis cum Maria Amalia Auguſti III. Poloniæ Regis, & Saxoniæ Ducis filia nuptiis, ampliſſimum inſtituit die 3. Julii anno 1738. Equeſtrem Ordinem ſub S. Januarii Epiſcopi & Martyris, præcipui Neapolitanorum patroni nomine, auſpiciis, ac patrocinio. Hujus Equeſtris ſodalitii ſe, ſuoſque ſucceſſores, perpetuo jure, ſupremos fore Moderatores dixit; cui, qui adſcripti eſſent, hiſce adſtringerentur officiis, defendendi nempe ac tuendi, omni ſtudio, totiſque viribus Catholicam Religionem: Magno Magiſtro fidem & obedientiam promittendi, ac ſervandi: ſi quæ inter Sodales geruntur inimicitiæ, his extinguendis omnem operam dandi: a ſingulari certamine ſive offerendo, ſive acceptando abſtinendi; imo ab aliis indicta pro viribus impediendi: ſingulis diebus Sanctum Miſſæ Sacrificium, & in Paſchate, & die S. Januarii feſto, Euchariſticam communionem ſumendi: vita functo e Confratribus aliquo, pro ejus expianda anima Officium Defunctorum recitandi, & Euchariſtiam ſumendi; tum unius ſolemnis Miſſæ celebrationem imperandi: denique interveniendi Rei Divinæ, quam in D. Januarii honorem, Magnus Ordinis Magiſter decreverit. Inſignia vero quotidiana horum Sodalium ſtatuit, faſciam rubeam undatam, ab humero dextro ad ſiniſtrum latus protenſam, e cujus parte extrema Crux pendet octagona, quatuor liliis ad quatuor angulos diſtincta, & in ipſius Crucis medio B. Januarii Epiſcopi imago Pontificalibus induti ornamentis, dextra manu benedicentis, ſiniſtra habentis Evangeliorum librum, & mirifici ſanguinis ampullas; aliam preterea Crucem argenteam ſuperiori veſti conſutam, cum hoc ſymbolo: *In ſanguine fœdus*; quo ſignificatur arctiſſima & religioſiſſima ea eſſe fœdera, quæ ſanguine obſignantur. Inſignia autem ſolemnia, præter recenſita, decrevit; Torquem aureum egregio opere laboratum, liliis & Pontificalibus inſignibus contextum, Crucem etiam in extrema parte habentem; & pallium, ſive talare veſtimentum nobiliſſimum, coccineum, undatum, liliis aureis undique adſperſum, aureo cingulo obſtrictum, & anteriori parte complicatum. Ubi quis a Rege ad hanc Societatem cooptatur, hujus rei conſcius fit a Secretario Ordinis, ad quem debet ille tranſmittere

mo-

monumenta, quibus ſui generis excellentia comprobetur. Id vero a Rege diſcutiendum demandatur duobus ejuſdem Societatis Sodalibus, iique, re examinata, ſententiam ſuam ſcripto tradunt a Secretario Ordinis, Regi exhibendam. Porro nonniſi viri præclariſſimi vel genere, vel dignitate, in eam Societatem adſciſci ſolent; Cardinales, Antiſtites, Magnates Aulici, belli Duces, Reguli ampliſſimi. Habet præterea hoc Equeſtre Sodalitium quatuor Officiales, Cancellarium ex Antiſtitum numero ſeligendum, Secretarium, Theſaurarium; & cæremoniarum Præfectum. Ad Cancellarium ſpectat Sacris operari; ad Secretarium Acta & diplomata Ordinis cuſtodire, ad Theſaurarium inſignia Ordinis aſſervare, denique Præfectus cæremoniarum quidquid ad ritus & cæremonias ſpectat, moderatur. Ampliſſimam hanc Societatem Benedictus XIV. nedum ratam habuit, verum etiam nonnullis donavit privilegiis, edita Conſtitutione pridie Kalendas Julii an. 1741. quæ incipit *Romanæ Eccleſiæ benignitas*. Nam primum indulſit, *ut Cancellarius ipſius Societatis pro tempore exiſtens in Epiſcopali, ſeu Archiepiſcopali dignitate, prout in Statutis ejuſdem Societatis continetur, conſtitutus, ſeu Presbyter ad audiendas Confeſſiones idoneus per ipſum tamen Cancellarium ad hoc deputandus, vel per ipſos Confratres; eoſdemque Officiales extra fines dicti Regni utriuſque Siciliæ commorantes, ex approbatis tamen a locorum Ordinariis eligendus, ipſos, & eorum ſingulos, ab omnibus & ſingulis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, a jure quavis occaſione, vel cauſa latis, inflictis; nec non ab omnibus eorum peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis, quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam Apoſtolicæ Sedi qualitercumque reſervatis (non tamen de reſervatis locorum Ordinariis) de quibus ore confeſſi, & corde contriti fuerint; de reſervatis autem qualitercumque Sedi Apoſtolicæ ſemel in vita, & in mortis articulo, etiamſi mors ſecuta non fuerit, de aliis vero eidem Sedi non reſervatis, quoties opus fuerit, in foro conſcientiæ dumtaxat abſolvere, ac eis, & eorum cuilibet pro commiſſis debitam abſolutionem impendere, & pœnitentiam ſalutarem injungere: nec non vota pro tempore per eos emiſſa (ultramarino, viſitationis liminum Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli; ac S. Jacobi in Compoſtella, nec non caſtitatis, & religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare; nec non in mortis articulo, etiamſi mors non ſubſequatur, plenariam omnium peccatorum ſuorum remiſſionem, & indulgentiam; & Apoſtolicam noſtram benedictionem per ſe ipſum, vel per alium quemcumque idoneum Sacerdotem per ſingulos Fratres eligendum impendere poſſit, ac valeat*. Præterea Cancellario, Confratribus, & Officialibus Ordinis concedit domeſticum Oratorium ubicumque locorum fuerint, ubi ſingulis diebus ſemel peragatur Miſſæ Sacrificium, exceptis tamen Paſchate, Pentecoſte, Natali Domini; & aliis hujuſmodi ſolemnitatibus; & quidem hora una ante auroram, & altera poſt meridiem. Si Confratres in locis interdictis morari contigerit, fas eis eſt Euchariſtiam & cætera Sacramenta accipere; Miſſæ, & divinis Officiis privatim celebrandis adeſſe, una cum ſuis domeſticis, & conſanguineis; dummodo non eorum cauſa latum ſit interdictum, vel eorum culpa minime tollatur. Quin ſi in locis interdictis extremum obierint diem, tumulari in Eccleſia licite poſſunt. Quadrageſimæ tempore, & aliis diebus anni, quibus interdictus eſt uſus lacticiniorum, eis veſci intre-

tegrum eſt. Denique diebus B. Januario ſacris, nempe primo Sabbato menſis Maii, die decima nona Septembris, die decima ſexta Decembris, ac ſingulis octavæ diebus, ſi pietatis cauſa aliquam adierint Eccleſiam, peccata etiam ſua apud Sacerdotem confeſſi fuerint, Euchariſticum inſuper panem ſumpſerint, plenariam Indulgentiam conſequuntur. Atque hæc ſunt ejus nobiliſſimæ Societatis initia, ſtatuta, officia, & privilegia. Pergimus ad ritum, quo inaugurantur Sodales.

XVI. In Capella Palatina, ſolemni ritu, in hanc Societatem ii adſciſcuntur, quos Rex ſtatuit eo honore afficiendos. Ibi Rex Solio inſidet, prope Regem ſedent in ſcamno cæteri Sodales Ordinis; e regione vero quatuor Officiales, Cancellarius, Magiſter cæremoniarum, Theſaurarius, Secretarius. Cancellarius Sacrum facit, quo expleto, induit Pontificalia ornamenta, & ſedet in faldiſtorio ad Altare. Tum, depoſita mitra, benedicit equeſtria inſignia, quæ illi exhibentur in argenteo bacili, pallium, torquem, enſem, cingulum, hac formula: *Adjutorum noſtrum in nomine Domini*. ℟. *Qui fecit cœlum & terram*. ℣. *Dominus vobiſcum*. ℟. *Et cum ſpiritu tuo*. *Oremus*. *Deus invictæ virtutis Triumphator, & omnium rerum Creator, & Sanctificator, intende preces noſtras, & hoc indumentum militaris gloriæ Miniſtro tuo ferendum, ore tuo proprio benedicere & ſanctificare digneris, & hunc ſervum, qui ipſo utetur, tibi devote & laudabiliter ſervientem, gratum efficere digneris. Per Dominum noſtrum. Amen.* Adhæc Tiro medius inter duos Sodales, qui ſponſorum vices gerunt, ſalutato Altari, ad Regis Solium accedit, ibique genua ſubmittit: tum e ſponſoribus unus Regem illius nomine deprecatur, ut Tironem donet torque & veſtimento Societatis. Mox eumdem Rex ſciſcitatur, an armatus ſit Miles. Qui, ſi cingulo militari haud donatus fuerit, eo donatur a Rege, hoc ritu. Præfectus Regii ſtabuli porrigit Regi enſem, quo Rex ter percutit humeros Tironis, iſque enſem deoſculatur; mox enſe, & equeſtri cingulo a duobus ſponſoribus cingitur. Tum Præſul Sacra faciens, accedit ad Solium Regium, ac ſtans haſce preces inchoat. *Accipe gladium hunc in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & utaris eo ad defenſionem Sanctæ Eccleſiæ Romanæ, Regis noſtri* Caroli Borbonii *Supremi Principis, ac Magiſtri Ordinis, & tuam, ad confuſionem inimicorum Crucis Chriſti, ac Fidei Chriſtianæ, & quod maxime ferentis animi præſtantia commendat, illo neminem injuſte lædas, quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre, & Spitu Sancto vivit, & regnat Deus in ſæcula ſæculorum*: Tirone reſpondente: *Amen*. Quod ſi Militare cingulum jam induerit, hæc cæremonia omittitur. Tum Secretarius Ordinis Tironem ſciſcitatur, an jurare velit, ſervaturum ſe ſe Ordinis Statuta. Quo reſpondente, ſe paratiſſimum eſſe, defertur a duobus ſponſoribus ad Antiſtitem ſedentem in faldiſtorio ad Altare. Ibi flexis genibus, dextra manu tangens Evangeliorum Codicem, legit hanc juramenti formulam: *Io N. N. prometto a Dio Trino, & uno, alla ſemper Vergine Maria, & a S. Gennaro, d' eſſer fedele a ſua Maeſtà, Capo, Sovrano, e Gran Maeſtro del Real Ordine di S. Gennaro, & a ſuoi Sereniſſimi Succeſſori, che ſaranno Capi di queſt' Ordine in tutte l' occaſioni, nelle quali ſi tratterà dell' onore, vita, e ſtato di S. M. e dell' Ordine, facendo ciò che dee fare un buon Cavaliero. Prometto di difendere ſempre a tutto mio potere la Santa Fede Cattolica Ro-*

mano, ſollevare, e difendere le Vedove, i Pupilli, e le perſone miſerabili dall'oppreſſioni con parole, e con opere, per quanto mi ſarà permeſſo. Oſſerverò inviolabilmente tutte le leggi, e ſtatuti dell' Ordine, così preſcritte, come da preſcriverſi. Porterò di continuo la Croce dell' Ordine ſecondo diſpongono li Statuti, e voi Santiſſima Trinità, Beata Vergine, e S. Gennaro udite queſti miei voti, ſiate preſenti al proferire di queſta mia ultima volontà. Præſtito juramento, ſiſtit ſe Regi; eumque provolutum in genua duo ſponſores induunt Ordinis Veſtimento, Rege quoque manum admovente. Interea Cancellarius ab Altari ad Regis Solium pergens; hæc pronuntiat verba: *Accipe hanc veſtem immaculatam, quam ſecurus perferas ante Tribunal Dei. Suſcipe jugum Domini ſuave, & onus leve, quo non gravari, ſed acquieſcere animus debet.* Adhæc Theſaurarius Ordinis exhibet Regi Torquem; & Cancellarius ad Tironem verſus: *Crediſne*, ait, *hoc eſſe vivificæ Crucis ſignum, in quo Chriſtus pependit, ut ſua morte nobis vitam conciliaret?* Cui Tiro: Credo. Rurſus Præſul. *Et hoc*, inquit, *eſt Ordinis Beati Januarii ſignum, quod ſemper tuo pectori adhæreat.* His dictis, Tiro Crucem deoſculatur; eique Rex Torquem imponit, Præſule dicente: *Accipe hoc ſignum in nomine SS. Trinitatis, Beatæ Mariæ Virginis, & Sancti Januarii Martyris, in Fidei, & Chriſtiani nominis incrementum, pectori tuo ideo Crucem commendamus, ut tuo ſit cordi proximior; & dextera fortiter dimicans illam defendas, & defenſam toto zelo reverearis.* Oſculata deinde Regis manu, eum Rex amplexu excipit, qui ſurgens, ſalutato Rege, ſingulos Sodales amplectitur, & ſuo ſe ſiſtit loco. Interea Præſule præcinente, decantant Muſici Pſalmum, *Magnus Dominus & laudabilis nimis:* quo finito, ſequuntur hæ preces: ℣. *Salvum fac ſervum tuum.* ℟. *Deus meus ſperantem in te.* ℣. *Mitte ei Domine auxilium de ſancto.* ℟. *Et de Sion tuere eum.* ℣. *Nihil proficiat inimicus in eo.* ℟. *Et Filius iniquitatis non apponat nocere ei.* ℣. *Eſto ei Domine turris fortitudinis.* ℟. *A facie inimici.* ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo. Oremus. Deus qui juſtificas impium, & non vis mortem peccatoris, Majeſtatem tuam ſuppliciter deprecamur, ut hunc famulum tuum de tua miſericordia confidentem cæleſti protegas benignus auxilio, & aſſidua protectione conſerves, ut tibi jugiter ſerviat, & nullis tentationibus a te ſeparetur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.* Tandem ſacram rem abſolvit in gratiarum actionem Hymnus *Te Deum.*

XVII. Officiales Ordinis pariter in Capella Palatina inaugurantur, hoc ritu. Ubi Cancellarius Rem Divinam egerit, is qui promovendus eſt, medius inter duos Equites, ſalutato Altari, procumbit ad Regis Solium; mox e ſponſoribus alter a Rege petit, ut illi Crucem Ordinis largiatur. Eumdem Secretarius Ordinis interrogat, an interpoſita juramenti religione, ſit ea, quæ ſui ſunt muneris, facturus. Eo affirmante, ducitur ad Antiſtitem in Altari ſedentem, Pontificalibus indutum ornamentis, tactiſque Evangeliis, flexis genibus, hoc ſacramentum emittit: *Io N. N. giuro e prometto a Dio Trino & uno, alla Beatiſſima Vergine Maria, & al glorioſo S. Gennaro, di bene e fedelmente ſervire ſua Maeſtà nel mio impiego, a cui s' è degnata di promovermi. Sarò ſempre fedele alla Maeſtà ſua, Capo, Sovrano, e Gran Maeſtro; & a ſuoi Sereniſſimi Succeſſori, che ſaranno*

Capi

Capi di queſt' Ordine, in tutte l' occaſioni, che ſi tratterà dell' onore, vita, e ſtato di S. M. Prometto di difender ſempre la ſanta Fede Cattolica Romana, le vedove, i pupilli, e le perſone miſerabili dall' oppreſſioni con parole, & opere, per quanto mi ſarà permeſſo, & in tutto il dippiù, che ſta diſpoſto nelle coſtituzioni riſpetto alla mia carica, io complirò ſecondo l' obligo di fedeliſſimo vaſſallo di S. M. Tum Antiſtes benedictionem pronuntiat, porrecta illi Cruce in argenteo bacili: *Benedic Domine Jeſu Chriſte hanc Crucem tuam, per quam eripuiſti Mundum a Dæmonum poteſtate, & ſuperaſti paſſione tua ſuggeſtorem peccati, qui gaudebat in prævaricatione primi hominis per ligni vetiti ſumptionem. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.* Accedit deinde Præſul ad Solium Regium, ubi ſtans, converſuſque ad ordinandum genibus flexum, eum interrogat: *Credis, ne hoc eſſe vivificæ Crucis ſignum &c.* uti paragrapho antecedenti legitur. His dictis, ordinandus oſculatur Crucem, quam illi Rex collo imponit, Præſule dicente: *Suſcipe hoc ſignum &c.* Deinde Regis manum deoſculatur, & ad ſuum ſe recipit locum. Tum Pſalmus *Magnus Dominus*, preces, tandem Hymnus *Te Deum* decantantur. Denique ſi qui abſens a Neapolitana Aula in Societatem eſt cooptandus, id muneris a Rege alicui Antiſtiti, vel Socio Ordinis demandatur, iſque alios deſignat, qui in ea cæremonia vices agant Cancellarii, & Secretarii Societatis; Sodales etiam, ſi qui illic ſunt, monet, ut ad novi Socii inaugurationem peragendam conveniant.

XVIII. Diximus tum a Sociis Velleris aurei in Hiſpania, feſtum S. Andreæ Apoſtoli tutelaris; tum a Confratribus Ordinis Spiritus Sancti in Gallia, ſacrum Divino Spiritui diem; & a Sodalibus Ordinis Periſcelidis in Anglia, feſtivitatem S. Georgii Cappadocis, ſolemni ritu celebrari. Et quidem antiquo more receptum eſt in hiſce Equeſtribus Sodalitiis, ut ſtata ſint ſacra, & dies ſolemnes indicti, quibus cuncti intereſſe debeant, quemadmodum olim a Sodalibus Equeſtris Ordinis S. Michaelis Archangeli in Gallia, & Lunæ Creſcentis apud Andegavenſes Principes, & alibi paſſim uſitatum conſtat. Sed & apud Neapolitanos Reges idem mos viguit: ſiquidem Confratres Equeſtris Societatis Navis a Carolo III. Rege conſcriptæ ſub S. Nicolai Epiſcopi patrocinio, ſingulis annis ſolemnia agebant in Eccleſia ab eodem Rege in honorem Sancti Epiſcopi excitata; de qua re Beatillus in Hiſtoria Barenſi. Pariter Equites Nodi, ſeu Spiritus Sancti, quos Ludovicus Tarentinus conſcripſerat, ſacrum diem Pentecoſtes ſingulis annis celebrarunt ſolemni pompa in Capella Arcis Lucullanæ, vulgo *Caſtello dell' ovo*. Ut enim conſtat ex Statutis illius Societatis ſupra relatis, conveniendum erat omnibus ad agenda Comitia, & ſolemnia Societatis, ex ærario Regio ſubminiſtrata pecunia illis, quibus eſſet inopia rei familiaris. Et in hiſce agendis ſolemniis candida geſtabant indumenta, enſem manu tenebant, auditaque Liturgia, Hymnum decantabant invocationis Spiritus Sancti, tum Comitia habebantur, omneſque eidem menſæ accumbebant. Ex receptiſſimo igitur hoc inſtituto, decrevit Sereniſſimus Rex Carolus Borbonius, ſingulis annis, feſtum diem S Januarii a Sociis hujus ampliſſimi Sodalitii in Capella Palatina celebrandum. Eo die Sodales ſolemni veſtimento Ordinis induti, & quatuor ejuſdem Societatis Officiales adeunt ſalutatorium Regis cubiculum, ibique Principem expectant, quem mox comitantur ad Capellam Palatinam; ad cujus fores Cancella-

cellarius Ordinis Regem adſpergit aqua benedicta. Tum Rex ſedet in Solio a cornu Evangelii, & ad Regis latus inſident ſcamno ſine poſtergali Socii omnes, ſervato inter eos antiquitatis ordine; e regione vero aſſident in ſimili ſcamno Officiales Societatis. Rem Divinam facit Pontificali apparatu Cancellarius; qua expleta, Sodales pariter Regem comitantur ad ædes uſque ſuas. Quandoque non in Capella Palatina, ſed in nobiliſſima S. Januarii Capella, quæ adhæret Metropolitanæ Eccleſiæ, celebrantur ſolemnia: tum vero Socii occurrunt venienti Regi uſque ad fores Metropolitanæ Eccleſiæ, & diſcendentem pariter uſque ad eas fores comitantur. Cardinales, & Epiſcopi, qui in hanc Societatem adſciti ſunt, interſunt Rei Divinæ induti ſui Ordinis eccleſiaſtico veſtimento, ſed ſimul geſtantes Torquem Societatis.

XIX. Quod vero Neapolitanis Regibus modo ſit adjuncta ſuprema Conſtantiniani Ordinis adminiſtratio, hinc ſit, ut de hac quoque Societate Equeſtri, dicendum nobis eſt. Aiunt illius Magnum Conſtantinum Imperatorem auctorem primum fuiſſe, cui pugnaturo adverſus Maxentium, & implorata Divina ope, cum in aere Crux apparuiſſet, cum his verbis *In hoc ſigno vinces*, occaſio enata eſt efformandi *Labarum* ſeu vexillum exhibens ſanctæ Crucis imaginem, cum Chriſti monogrammate, quod ſibi in caſtris, in expeditionibus, in præliis preſeferri juſſit, & cui cuſtodiendo quinquaginta ſelectiſſimos milites addixit. Ex hac inſtitutione Ordinem hunc coaluiſſe ferunt, atque apud ſucceſſores Imperatores Orientis perduraſſe, plurimumque gloriæ, & incrementi accepiſſe. Illud tamen certum videtur, ab Iſaacio Angelo Flavio Comneno Orientis Imperatore, anno 1190. vel de novo excitatam, vel inſtauratam Equeſtrem hanc Societatem, ſub patrocinio Divi Georgii Martyris, quem Orientales ſumma religione colunt, conſtitutis pluribus legibus ad eam regendam, variis quoque privilegiis ei conceſſis, & reſervato ſibi, ſuæque familiæ ſucceſſoribus perpetuo jure eam adminiſtrandi, atque in eam Socios cooptandi. Exinde Græci Principes familiæ *Flaviæ Comnenæ*, qui ſe inſcribebant Divaſti, & Dyrrachii in Albania Duces, Principes Macedoniæ, & Theſſaliæ, quamvis Imperiali ſede dejecti, tamen, in nonnullis Oppidis ſuæ ditionis primum, tum ſubactis a Turcis illis regionibus, apud Venetos, quo domicilium ſuum tranſtulerant, conſtantiſſime jus adminiſtrandi, & conferendi Conſtantinianum Ordinem retinuere. Imo pluries a Romanis Pontificibus, preſertim Paulo III. Gregorio XIII. Sixto V. Gregorio XV. Clemente VIII. aliiſque, & quandoque etiam cauſa cognita apud Auditorem Cameræ Apoſtolicæ, vel in Romana Rota, uti anno 1623. privilegia Ordinis rata haberi, ac confirmari, jus quoque Ordinem adminiſtrandi & conferendi ſibi aſſeri, & vindicari impetrarunt. Quin & a Regibus, aliiſque ſupremis Principibus obtinuere, ut ſibi fas eſſet in eorum Regnis, ac Ditionibus Conſtantinianos Equites creare; ſicuti contigit in hoc Neapolitano Regno anno 1623. die 7. Junii, cum Joannes Andreas Angelus Flavius Comnenus ſupremus Ordinis Magiſter dedit ad hanc rem Proregi ſupplicem libellum, reque delata ad Capellani Majoris Curiam, Scipio Rovitus Conſultor illius temporis cenſuit annuendum eſſe *Regium Exequatur*, cum ea tamen lege, ut nulla Equites gauderent Fori immunitate. Poſtremus *Comnenæ* familiæ Princeps Joannes Andreas, exeunte ſæculo elapſo, quod nulla ei eſſet proles, nullique ſupereſſent ſtir-

ſtirpis ſuæ ſucceſſores, ne hujus antiquæ Societatis memoria interiret, in Franciſcum Farneſium Parmenſium Ducem, ejuſque ſucceſſores, tranſtulit jura ſua omnia regendi, & conferendi Ordinis Conſtantiniani. Idque ratum habuere tum Leopoldus Imperator, tum Innocentius XII. Summus Pontifex, editâ Bulla die 24. Octobris. anno *1699.* quam refert Onoratus a S.Maria in ſuis de Equeſtri Ordine Diſſertationibus. Jam vero, agente Farneſio Duce, novæ conditæ fuerunt leges Societatis, quas Clemens XI. probavit, confirmavitque, plures conſcripti Socii, quædam Commendæ erectæ, nonnullæ opes additæ, inſignis Eccleſia Parmæ eis addicta, ac nova ſplendidior facies Ordini comparata. Farneſius anno 1731. exceſſit e vivis, nulla relicta prole, a quo traducta ſunt jura ſua omnia ad Eliſabetham fratris Filiam, Philippi V. Hiſpaniæ Regis conjugem, tum in Carolum Borbonium ex ea procreatum, ac tandem in Ferdinandum filium, Regem Neapolitanorum. Hoc itaque titulo ad hunc pervenit ſuprema adminiſtratio Ordinis Conſtantiniani: & prima ſolemnis, ac publica Sociorum inauguratio anno 1663. peracta eſt, in Eccleſia Arcis novæ, vulgo, *Caſtelnovo*, ſacris operante Capellano Maiore. Ejus inſignia ſunt, Crux rubea, cujus quatuor extremitates ad liliorum formam compoſitæ quatuor haſce litteras I. H. S. V. exhibent, quæ ſignificant: *In hoc ſigno vinces*. In ipſius Crucis medio Monogramma Chriſti conſpicitur, medium inter haſce duas Græcas litteras A. ω. *Alpha & Omega, principium, & finis*, quibus Chriſtus ipſe indigitatur. Ea pendet a cœrulea faſcia collo circumpoſita; cui ſimilis Crux altera operis Phrygii ſuperiori veſti, ſeu thoraci ſuperimponitur. Verum Senatores Ordinis ſeu *Gran Croci*, numero quinquaginta, in magnis ſolemniis aureum Torquem deferunt, a quo Crux pendet; ita tamen, ut extremæ Crucis parti adhæret, & ipſa pendens effigies Sancti Georgii Martyris equo inſidentis, atque confodientis lancea draconem ad equi pedes proſtatum, quo veteres denotarunt ab inclyto beato milite diabolum ſuperatum. Præterea Equites omnes in ſolemniis Societatis induunt brevem quandam tunicam, ad lumbos uſque demiſſam, manicis deſtitutam, anteriori parte clauſam, ſericam, albique coloris, quam militari cingulo ex ſerico villoſo coloris cœrulei, a quo enſis pendet, conſtringunt. Induunt quoque Pallium talare cum ſyrmate, ſericum, & coloris cœrulei, duobus funiculis collo alligatum; pileum quoque ex ſerico villoſo ejuſdem coloris, in cujus fronte Monogramma Chriſti conſpicitur acu pictum. Sunt in Ordine quinquaginta ſenatores vulgo *Gran Croci*; ſunt Equites *Juſtitiæ* ita dicti, quod eis per authentica monumenta probandus fuit familiæ ſplendor ab avis per gradus quatuor traductus; ſunt etiam Equites *Gratiæ*, qui nullo nobilitatis ſuæ teſtimonio in Societatem vocantur; ſunt denique familiares, domeſticique Ordinis, vulgo *Scudieri*, *e Servienti*. Eccleſiaſtici etiam in hunc Ordinem cooptantur. Primum vero, præcipuumque officium eſt, pro Fide, & Eccleſia ſtrenue dimicare.

XX. Cum aliqui in hanc Societatem adſcribuntur, Rex Magnus Magiſter ſolet alicui ex Senatoribus Ordinis, vulgo *Gran Croci* vices ſuas committere ad hanc cæremoniam peragendam, quem idcirco *Commiſſarium* vocant. Antiſtes, quem *Magnum Priorem* Ordinis nuncupant, ſacris operatur. Duo inſuper Equites agunt Sponſores, ſeu Patrinos Candidati. Socii in Eccleſiam conveniunt induti omnibus inſignibus Societatis, Sacrum ab Antiſtite inchoatur, dum Candidatus

tus, genibus ante Altare flexis, manu tenet accenſum cereum. Divinam Eucharistiam accipit; & Miſſa dicitur de Spiritu Sancto cum commemoratione B. M. Virginis, & Sancti Georgii Martyris. Abſoluta Liturgia, Antiſtes, & Commiſſarius ſedent a dextra Altaris parte, ad eos ducitur a duobus Patrinis Candidatus, qui genua flectit, cui Patrinus: *Scire te oportet*, inquit, *neminem ad ſacrum hunc Ordinem eſſe promovendum, qui prius Catholicam, Apoſtolicam Romanam Fidem, & ore, & corde profeſſus non fuerit*. Hinc a Candidato recitatur Fidei profeſſio juxta formulam a Pio IV. Bulla *Injunctum nobis Apoſtolicæ ſervitutis miniſterium* anno 1564. editam. Mox Antiſtes nonnullis precibus benedicit Pallium Ordinis, adſpergitque aqua benedicta; quo Commiſſarius, & Patrini Candidatum induunt, dum ab Antiſtite quædam proferuntur verba, quibus Candidatum monet, exteriori illo veſtimento indigitari vitam ſine crimine ab eo ducendam, ut ſecurus ſe ſiſtat Divino judicio. Sequitur benedictio Crucis, ſeu aurei Torquis (ſi ſit e Senatorum, vulgo *Gran Croci*, numero) cujus collo eam Commiſſarius imponit. Ad benedictionem enſis, & cinguli militaris progreditur Antiſtes, quem e vagina eductum a Patrino accipit Commiſſarius, & manum quoque admovente Candidato, Antiſtes hæc profert verba: *Accipe gladium iſtum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ac eo utaris ad defenſionem tuam, ſanctæ matris Eccleſiæ, & Principis Magni Magiſtri Ordinis, ad confuſionem inimicorum Crucis Chriſti, & Catholicæ Fidei tutelam, atque propagationem, & quantum humana fragilitas permiſerit, cum eo neminem iniuſte lædas: quod ipſe tibi præſtare dignetur, qui cum Patre, & Spiritu Sancto &c.* Quibus dictis, Candidatus præcingitur a Patrinis cingulo, & enſe in vaginam reducto; rurſus dicente Antiſtite: *Hoc tibi ſit in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, & attende, quod Sancti, non in gladio, ſed in fide vicerunt Regna*. Surgens Candidatus eductum e vagina enſem ter vibrat; mox ejus genuflexi humeros Commiſſarius eodem denudato enſe ter percutit, his verbis: *Eſto Miles pacificus, ſtrenuus, fidelis, & Deo devotus*: ejuſdemque ſiniſtram genam leviter percutiens Antiſtes addit: *Exciteris a ſomno malitiæ, & vigila in fide Chriſti, & fama laudabili*; cumque excipit pacis oſculo. Afferuntur deinde aurata calcaria, quæ ei a Patrinis aptantur. Surgentibus omnibus, dicitur Pſalmus: *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum*; quo finito, Antiſtes nonnullas preces, & Orationes ſubjungit: Candididatus Pileum accipit, ſuumque locum adit. Hymnus gratiarum actionis ceremoniæ finem imponit. Verum cum ad ſolemnem profeſſionem Eques admittitur, eum Commiſſarius ſiſcitatur; an noſcat Ordinis Statuta; an ea velit ſervare; an Fidem, Eccleſiam, Magnum Magiſtrum, Ordinem ipſum paratus ſit pro viribus tueri; an Supremo Societatis Moderatori morem gerere promittat; an in aliam Societatem ſit adſcriptus, vel alieno ære oppreſſus, vel alicujus gravis criminis reus ſit. Singulis hiſce interrogationibus, poſtquam convenientia reſponſa dederit, flexis genibus pronuntiat juramenti formulam, qua, invocatis in teſtes Deo, B. M. Virgine, ac Divo Georgio, promittit Principi, ſupremo Ordinis Moderatori, & Eccleſiæ Catholicæ fidelitatem, & obedientiam; viduas, pupillos, miſeroſque ſe adiuturum; pugnaturum Ordinis prælia; caſtitatem conjugalem, charitatem, humilitatem ſervaturum; inimicis veniam dare, inſignia

Ordi-

Ordinis deferre ; ejus Statuta cuſtodire ; ac morti proximum centum aureos nummos Societati, legati nomine elargiri : tactiſque Evangeliis: ſubdit : *Sic me Deus adiuvet*, *& hæc ſancta Dei Evangelia* . Ad hæc Commiſſarius tangendo Crucem illius collo appenſam : *Credis*, inquit, *hoc eſſe vivificæ Crucis ſignum, a quo Chriſtus pependit, ut ſua morte nobis vitam conciliaret?* Cui ille : *Credo* . Et Commiſſarius ſubdit : *Hoc eſt militiæ noſtræ ſignum, quod tuo pectori ſemper adhæreat :* quibus dictis, Crucem illi oſculandum præbet; addens alia quædam verba, quibus illum monet ad Crucem diligendam, colendam, defenſandam . Poſtea aptans illius collo funiculos Pallii, declarat parentes, propinquoſque illius, participes omnium bonorum operum, quæ fiunt a Societate . Denique pacis oſculo, & recitatione Pſalmi *Magnus Dominus*, *& laudabilis nimis*, cum quibuſdam precibus, & Orationibus dicendis ab Antiſtite, & cæterorum Sociorum amplexu, abſolvitur cæremonia .

CAPUT XII.

DE RITU PRÆSTANDI SACRAMENTA.

De juramentis, quæ olim Epiſcopi in Gallia Regi præſtabant. II. *Ritus bujus cœremoniæ deſcribitur.* III. *De quibuſdam aliis ſacramentis, quæ in Aula Regum Galliæ emittuntur.* IV. *Ritus jurandi a Galliæ Regibus inita fœdera.* V. *De præſtando hominio, & juranda fidelitate Principi Aſturicenſium in Hiſpania.* VI. *Ordo bujus cœremoniæ narratur.* VII. *De ſacramento edendo a Clericis Aulæ Hiſpanæ.* VIII. *Et quo Reges Hiſpaniæ ſe obligant fœderibus cuſtodiendis.* IX. *Ritus jurandæ fidelitatis Regi Luſitaniæ.* X. *Et Regi Sardiniæ.* XI. *De hujuſmodi ſacramentis in Sicilia.* XII. *Ritus ea edendi.* XIII. *De iiſdem in Neapolitano Regno.* XIV. *Ordo juratæ fidelitatis* CAROLO BORBONIO *Regi.* XV. *De ritu, quo olim Barones fidelitatem Regi jurabant.* XVI. *Formula hodierna hujus juramenti.*

INſignis eſt in Aula Principum cæremonia, quâ ſubditi fidem ſuam eis obligant, interpoſita juramenti religione; vel Principes ipſi ſacramento promittunt ſervaturos ſe ſubditorum jura, aut inita fœdera ad Regni tranquillitatem. Et hæc quidem ſacramenta, aut in ipſa Regum inauguratione, aut in Regni Comitiis, ſæpe in Capella Palatina, & coram Magno Capellano præſtari ſolent. Hujuſmodi eſt in Gallia fidelitatis ſacramentum Regi exhibendum ab Epiſcopis recens promotis, juxta vetuſtiſſimum illarum partium uſum, de quo fuſe agit p. 2. de Beneſ. lib. 2. cap. 47. doctiſſimus Thomaſſinus. Is ibi tradit, nulla quidem vetuſtioribus ſæculis Epiſcopos Galliæ ſacramenta edidiſſe; Carolum Magnum, & Ludovicum Pium juſtis adductos cauſis ea cœpiſſe exigere, cujus rei diſerte meminit anno 836. Concilium Aquiſgranenſe II. can. 12. at non in Epiſcoporum conſecratione, ſed in Regni Comitiis, una cum cæteris Ordinibus præſtitum id obſequii; deinde Epiſcopos, præſertim Hincmarum Remenſem, hæc juramenta detrectaſſe, quod humanæ, & Divinæ leges eos a juramentis prohiberent, & nefas eſſet manus ſacro Chriſmate delibutas, atque tractandis ſacris rebus dicatas, juramentis, & hominiis ſæcularibus profanare; hinc Reges inductos, ut a cæteris juramentum, ab Epiſcopis promiſſionem exprimerent. Verum poſteriores Reges Carolinæ proſapiæ juramenta Epiſcopalia in integrum reſtituerunt; & quamvis rurſum data eſſet opera, ut hæc hominia exploderentur, cum de proſcribendis inveſtituris actum fuit; ac Urbanus II. in Concilio Claromontano, anno 1095. & Paſchalis II. in Concilio Lateranenſi a præſtandis hominiis Clericos prohibuiſſent; deinde tamen acquievere Romani Pontifices, ut rejectis inveſtituris; ſacramenta,

ta, & hominia retinerentur: tum Innocentius III. in Concilio IV. Lateranenſi unum id vetuit; ut ne laici a Clericis iis exigerent fidei ſacramentum, quibus nulla temporalia contuliſſent. Exinde in Gallia illis dumtaxat Epiſcopis incubuit neceſſitas hominii exhibendi, quorum Eccleſiæ aliquo Regio feudo donatæ eſſent, reliquis omnibus uno in Reges fidei ſacramento defungentibus. Denique Franciſcus I. hominii neceſſitate Gallos Epiſcopos abſolvit, atque ad hæc uſque tempora nonniſi fidelitatis juramentum ab ipſis exolvitur. Et olim quidem non Archiepiſcopi, & Epiſcopi dumtaxat, ſed etiam Abbates, & Abbatiſſæ hæc perſolvebant ſacramenta in Capella Regis, peracto Sacro, aut ad Veſperas, præſente Regis Confeſſario, uti legitur apud Carolum Degraſſalium lib. 2. Regalium Franciæ: deinde vero ad noſtram uſque ætatem, non jam Confeſſarius Regis, ſed Magnus Eleemoſynarius excipit hujuſmodi ſacramenta, dumtaxat ab Epiſcopis emittenda. Veterem juramenti formulam exhibet Aimonius lib. 4. de geſt. Franc. cap. 24. *Ego Hincmarus Laudunenſis Eccleſiæ Epiſcopus, amodo, & deinceps Domino ſeniori meo Carolo Regi ſic fidelis, & obediens ſecundum miniſterium meum ero, ſicut homo ſuo ſeniori, & Epiſcopus, per rectum ſuo Regi eſſe debet*. Juramentum ab Arnulpho Archiepiſcopo Remenſi exhibitum in Concilio Remenſi anno 989. Hugoni Capetio Regi, & Roberto filio, in præſentia Regis, Epiſcoporum, Cleri, & populi, ita habet: *Ego Arnulphus gratia Dei præveniente Remorum Archiepiſcopus, promitto Regibus Francorum Hugoni, & Roberto, me fidem pleniſſimam ſervaturum, conſilium, & auxilium ſecundum meum ſcire & poſſe, in omnibus negotiis præbiturum, inimicos eorum nec conſilio, nec auxilio ad eorum infidelitatem ſcienter adiuturum: hæc in conſpectu Divinæ Majeſtatis, & bonorum Spirituum, & totius Eccleſiæ exiſtens promitto, pro bene ſervatis laturus præmia æternæ benedictionis. Si vero, quod nolo, & abſit, ab his deviavero, omnis benedictio mea convertatur in maledictionem, & fiant dies mei pauci, & Epiſcopatum meum accipiat alter, recedant a me amici mei, ſintque perpetuo inimici*. Ad confirmationem ſacramenti manu tangebantur ſacra Pignora, unde corporale dicebatur ſacramentum, quod iniquo ferebant animo Epiſcopi Concilii Cariſiacenſi in Epiſtola ad Ludovicum Germaniæ Regem, quaſi Epiſcopali dignitati minime conveniret. Sed in hominiis præſtandis manus ſupponebantur manibus Domini ad ſervitutem, ſubjectionemque denotandam, & hinc hominia Eccleſiæ ſubinviſa fuere. Sæculo decimo tertio is erat ritus edendi ab Epiſcopis juramenti, quo uſus eſt Willelmus Epiſcopus Andegavenſis anno 1291. *Fecimus Regi Philippo juramentum fidelitatis in hunc modum videlicet; quod ſtola nobis, ad collum poſita in modum Crucis ante pectus, & manu ad pectus miſſa, libro Evangeliorum coram poſito, dixit nobis de mandato Regis Dominus de Chambery Miles: Vos juratis Domino Regi fidem, & legalitatem, & filio ejus Regi Francorum poſt eum, & quod ſervabitis eiſdem corpora, & membra, & vitam, & jura ſua, & honorem ſuum temporalem; & ſi petat a vobis conſilium bonum, & fidele, ſibi dabitis. Ita juratis. Et nos reſpondimus: Ita juro.*

II. Hodiernum vero hujus cæremoniæ ritum deſcribit Peiratius lib. 2. de Orat. Reg. Gall. cap. 63. 64. 65. Antequam Epiſcopus recens conſecratus ad jurandam Regi fidelitatem accedat, Bullas promotionis ſuæ Magno Eleemoſynario exhibeat, neceſſe eſt; ut is in-

 qui-

quirat, an Regiis juribus, & Regni ſtatutis conſentiant. Has ubi ille probaverit, diem conſtituit ad juramentum præſtandum; quo die Epiſcopus Rocchetto, & Mantelletta indutus adeſſe debet Sacro; quod in Capella Regis, præſente Principe celebratur. Lecto Evangelio, Sacerdos, qui Sacris operatur, ſanctum Codicem tradit Clerico alicui; a quo defertur ad Epiſcopum. Is vero, ſalutato Altari, & Rege, acceptoque libro, ad Regem accedit, flexiſque genibus, librum præbet Regi deoſculandum; mox tum ipſe, tum Rex manus Evangelio ſuperimponunt. Adhæc Magnus Eleemoſynarius Antiſtitem illum ſciſcitatur, an velit promittere, & jurare Deo, & Regi ſuper ſancta Evangelia, ſe ditiones omnes ſuæ Diœceſis, oppida, arces in Regis fide ſervaturum, Regi ſe fidelem futurum, nil contra Principem moliturum; imò ſi quid in Principem moliri noverit, conſcium ejus rei Principem facturum. Cui reponit Antiſtes, ſe ſe ita jurare, ac promittere Deo, & Regi; eique Rex ſubdit: *Dieu vous en faſſe la grace*. Surgens deinde Epiſcopus, ſalutato Altari, & Rege, reddito libro, ſuo ſe loco reſtituit. Tum debet totius rei geſtæ documentum propria manu, proprioque ſigillo obſignatum exarate, atque Magno Eleemoſinario tradere; qui etiam aliud documentum Epiſcopo exhibet, quo teſtatur, illum tali die, tali menſe, & anno conſuetum juramentum fidelitatis exolviſſe. Neque enim Gallicanis Epiſcopis recens promotis conceditur bonorum temporalium ſuæ Eccleſiæ adminiſtratio ante præſtitum hujuſmodi ſacramentum: ea quippe bona ſtatim poſt Epiſcopi mortem nomine Regis adminiſtrantur jure Regaliæ, de quo ſuſe agit Petrus de Marca lib. 8. de Conc. Sacerd. & Imperii. Olim præſtito juramento, quædam pecuniæ ſumma ſolvenda erat ab Antiſtite, Comiti Palatii, ſeu Seneſcallo Franciæ, quæ nubendis nobilibus puellis, quibus nullæ eſſent opes, concedebatur: ſed Franciſci I. Regis decreto anno 1526. hujus diſtribuendæ pecuniæ cura demandata eſt Magno Eleemoſynario.

III. Sunt & alia ſacramenta, quæ non in Capella Palatina, ſed in ædibus Regiis præſtantur. Ita ii Proceres, quibus concredita ſunt Aulæ, vel Regni primaria Officia, ſedenti Regi in ſuo cubiculo, junctis cum Rege manibus, legente ſacramenti formulam, qui eſt a ſummis imperii negotiis, jurant Regi fidelitatem. Quod ſi is eſt e ſupremis belli Ducibus, quos nuncupant Mareſcallos Franciæ, huic a Rege traditur virga in ſignum collati imperii militaris: Duces vero Pretorianæ Legionis gentis Francorum, & Scotorum, enſe cincti ad juramentum præſtandum admittuntur; uti teſtatur in Cæremon. Galliæ lib. 3. cap. 1. §. 1. Dumontius. Magnus quoque Eleemoſynarius jurat Regi fidelitatem; ejuſque juramentum, uti & aliorum Procerum Regni, Rex ipſe excipit; attamen juramenta, quæ a cæteris Clericis Capellæ Regiæ emittuntur, a Magno Eleemoſynario excipiuntur. Nam Clerici antequam in Clerum Palatinum adſciſcantur, fidos ſe Regi fore; ſacramento promittunt coram Magno Eleemoſynario: quod jam in uſu fuiſſe ſæculo decimo ſexto regnantibus Franciſco II. Henrico II. & III. & Carolo IX. ex pluribus monumentis oſtendit Peiratius lib. 1. cap. 16. Qui & ibi obſervat, illud eſſe diſcriminis inter Clericos Palatinos Regum Galliæ, & Regum Hiſpaniæ in hujuſmodi exhibendo ſacramento, quod nempe Clerici Aulæ Hiſpanæ D. Petro, Eccleſiæ Romanæ, Romano Pontifici, Regi, Reginæ, Principi Aſturicenſium, & Magno Capellano fidelitatem promittunt; hanc

ve-

vero ſoli Regi pollicentur Clerici Palatini Regum Galliæ. Cæterum mos eſt antiquiſſimus, ut Palatini Clerici ſacramento fidem obligent ſuam. Id enim conſtat ex querelis, quas detulit Carolus Calvus in Concilio Tullenſi ad Saponarias anno 850. de Ganelonis Archiepiſcopi Senonenſis perfidia, qui illi ſacramento fidem ſuam devinxerat, ex quo fuerat Clericus Regiæ Capellæ: *Vacabat tunc Paſtore Metropolis Senonenſis, quam juxta conſuetudinem prædeceſſorum meorum Regum, Weniloni tunc Clerico meo in Capella mihi ſervienti, qui more liberi Clerici ſe mihi commendaverat, & fidelitatem ſacramento promiſerat, ad gubernandum commiſi*. Memoratur etiam a Carolo Calvo in proclamatione adverſus Wenilonem Toutoldus Clericus Capellæ Regiæ, *qui mihi ſe commendavit, & fidelitatem ſacramento promiſit*. Exinde propenſiſſimos fuiſſe Reges in promovendis ad Epiſcopales ſedes Clericis Palatinis exiſtimat Thomaſſinus. Verum ubi promovebantur, novo ſe ſacramento adſtringebant, ut patet de Ganelone, quem præter editum ſacramentum, cum primum Regiæ addictus eſt Capellæ, tria alia protuliſſe ſacramenta, cum nempe creatus eſt Archiepiſcopus, tum quando imperium inter fratres Reges diviſum fuit, ac denique ubi Carolus Calvus Regia exornatus eſt Corona, colligitur ex litteris Patrum Concilii Tullenſis ad eumdem datis.

IV. At inita fœdera jurantur a Galliæ Regibus ſolemni ritu in Eccleſia, ut plurimum Palatina. Refert Peiratius lib. 2. cap. 65. Regem Chriſtianiſſimum anno 1559. in Metropolitana Eccleſia Pariſienſi, celebrata Liturgia, ſolemni ſacramento, fidem ſuam devinxiſſe cuſtodiendis fœderibus initis cum Hiſpaniæ Rege, & Angliæ Regina, præſentibus horum Principum Oratoribus. Ita etiam anno 1663. die 18. Novembris, uti refert Dumontius lib. 1. §. 37. Cæremonialis Galliæ, in Cathedrali Pariſienſi Sacris operante Epiſcopo Carnotenſi Suffraganeo Pariſienſis Eccleſiæ, Rege ſedente in Solio, præſentibus Oratoribus Principum, & Magnatibus Aulæ, abſoluta Liturgia, ſacramento firmatum fuit fœdus inter Regem Chriſtianiſſimum, & Helvetiorum Senatum, præbente Regi Evangeliorum librum Cardinali Antonio Barberino Magno Eleemoſynario, & decantato poſtea Hymno gratiarum actionis. Attamen fœdus inter Ludovicum XIII. Regem Galliæ, & Carolum I. Angliæ Regem ſancitum, anno 1629. juratum fuit in Eccleſia Palatina Fontisbellaquei, & ad Veſperas, ut idem narrat Dumontius lib. 2. cap. 6. Cæremonialis Galliæ. Decantatis namque Veſperis, Rex Solio inſedit, & prope Regem tum Cardinalis Richelius, qui vices agebat Magni Eleemoſynarii, tum cæteri adſtabant Proceres Aulæ; adhæc a cæremoniarum Præfecto ductus eſt ad Sollium Anglus Orator, iſque Regi Chriſtianiſſimo exhibuit tabulas initi fœderis ab Anglorum Rege ſubſignatas. Interea ad Cardinalem Richelium delatus eſt a quodam Clerico Capellæ Regiæ ſacer Evangeliorum Codex, quem ille obtulit Regi deoſculandum, ſtatutiſque a Rege manibus ſuper Sacrum Codicem, lectaque a Secretario juramenti formula, ſe ita facturum juravit, & propria manu tabulas ſubſignavit, tum Anglum Oratorem amplexu excepit. His peractis, Palatini Cantores quaſdam Antiphonas decantarunt, tum a Fecialibus ſemel, iterum, atque tertio acclamatum fuit, *Vivat Rex*. Pariter in Capella Palatina Fontisbellaquei, anno 1679. celebrato conjugio inter filiam Ducis Aurelianenſis, & Carolum II. Hiſpaniæ Regem, pactio Noviomagi inter Gallos Hiſpanoſque conſtituta, ſacramenti reli-

Digitized by Google

religione firmata eſt ad Evangeliorum librum, quem Regi præbuit Cardinalis Buillonius Magnus Eleemoſynarius. Denique Ludovico XIII. e vivis ſublato, hiſce ritibus anno 1644. die 3. Julii, confirmatum eſſe fœdus inter Gallos, Angloſque, narrant lib. 1. §. 78. Dumontius, & Roſſuetius. Rex eo die accubuit menſæ ſolemni pompa, una ſimul cum Anglorum Oratore; tum ſolemni quoque pompa ad Eccleſiam ſe contulit Palatinam, & Veſpertina audivit Officia modis muſicis decantata. His expletis, ad Eccleſiam eamdem deductus eſt a Præfecto cæremoniarum Anglus Orator, & ſalutato Rege, inſedit ſcamno prope Solium Regis. Adhæc Epiſcopus Metenſis Primus Eleemoſynarius, Pontificalibus indutus ornamentis, ferens Evangeliorum librum, præeunte Clerico cum Pedo Paſtorali, Cancellarius quoque, & Secretarius ad Regis Solium acceſſere. Et primo quidem a Secretario lecta ſunt pacta conventa, tum a Rege ſignata, mox jurata ſunt, ſtatutis ſuper Sacrum Codicem ab eodem Antiſtite exhibitum manibus, tum a Rege, tum ab Anglo Oratore, & legente Secretario formulam juramenti. Hymnum deinde gratiarum actionis Cantores Palatini ſubjunxere, quem excepit benedictio a Metenſi Antiſtite lata, & iteratæ acclamationes a Fecialibus factæ.

V. In Hiſpania vetuſtiſſima eſſe fidei ſacramenta ab Epiſcopis, cunctiſque Ordinibus, Regi exhibita, probat canon 75. Concilii Toletani IV. anno 633. ubi execratis iis, qui *fidem ſacramento promiſſam Regibus ſuis ſervare contemnunt, & juramenti profeſſionem*, decretum fuit, conſtituendum eſſe Regem electione Epiſcoporum, & Optimatum, & anathemate feriendum illum ex Clero, & populo, qui *ſacramentum fidei ſuæ, quod pro Patriæ, gentiſque Gothorum ſtatu, vel conſervatione Regiæ ſalutis pollicitus eſt, temeraverit*. Innovatum eſt hoc decretum in Concilio Toletano V. can. 7. tum a Conciliis Toletanis VII. & X. graviſſimæ additæ ſunt pœnæ Clericis reis violati hujus ſacramenti: & hinc ob initam adverſus Regem conjurationem ejectus eſt ſede ſua Sisbertus Toleti Metropolitanus in Concilio Toletano XVI. anno 693. Inde perſpicuum fit, olim in Hiſpania, vel in ſolemni conventu Regiæ coronationis, vel in Comitiis Regni, Epiſcopos, cunctoſque Ordines juramento fidem ſuam Regibus devinxiſſe. Deinde hæc juramenta præſtari conſueverunt, cum jubente Rege, hæres, ſucceſſorque imperii ſalutabatur. Ita anno 1498. contigit, regnante Ferdinando Rege, quum Emmanuel Rex Luſitaniæ, qui Iſabellam Ferdinandi filiam duxerat, inauguratus eſt ſucceſſor Regni Caſtellæ, indicto Concilio Regni totius. Ordinem rei geſtæ ita deſcribit Oſorius lib. 1. de reb. geſt. Emman. Reg. Luſit. *Die Dominica, quæ ſecuta eſt, Emmanuel, & Iſabella in Templum deducti ſunt; Dux Metimnenſis, cujus paulo ante mentio facta eſt, pedibus ad Emmanuelis latus incedens, habenam equi illius manu tenebat: a læva vero Frienſis Dynaſta ſimile officium Iſabellæ juniori præſtabat. Hoc etiam modo Magnus equorum Magiſter a dextra, Dux Albanus a læva Fernandum, & majorem Iſabellam deducebant. Archiepiſcopus Toletanus Rem Divinam ſingulari cæremonia, atque ſanctitate peregit. Religione rite procurata, Ferdinandus, & uxor aſſurgunt: ille generum: illa vero filiam manu apprehendit; & utrumque in ſellis in ſublimi poſitis, & pulcherrime inſtratis collocant: ipſique in aliis ſellis ad eorum latera conſidunt. Civitatum procuratores in ſubſelliis ordine jam a multis ætatibus in Hiſpania recepto diſponuntur. Principes, ut forte* cui-

cuique locus obvenerat, ita eum ſine offenſione cujuſquam occupant. Silentio deinde facto, vir quidam juris civilis eruditione præſtans, qui dicendi peritus habebatur, aſſurgit, orationemque luculentam habuit, qua pacis commoda, Hiſpaniæ totius etiam, & tranquillitatem, incrementum imperii, & reliquas utilitates, quæ ex Regnorum conjunctione ſequi videbantur, expoſuit. Hortatus deinde eſt Principes, & Civitates, ut Emmanuelem, & Iſabellam, quos Regum ſuorum hæredes eſſe videbant, certatim amarent, & colerent, ſummaque illis fide rebus in omnibus inſervirent, ſperarentque eos, quos jam ſciebant eſſe Regiis virtutibus ornatiſſimos, ſimiles futuros eorum Regum, quibus erant, tempore a Deo conſtituto, ſucceſſuri. Deinde ad Emmanuelem, & Iſabellam converſus, eos admonuit, ut cernerent animo, quod eis munus imponeretur. Eorum namque officium eſſe, conſulere populis, tueri innocentiam, coercere improbitatem, dare ſalutem, propulſare pericula, conſervare, & bonis omnibus amplificare Rempublicam. Hæc ubi peroravit, quidam ſacrorum Antiſtes aſſurrexit, & librum, qui Evangelia, & ſacrorum rationem continebat, explicuit, & in medio illius Crucem auream impoſuit; deinde cum libro ad Principes hæredes acceſſit, eiſque dixit, ut manibus Crucem tangerent. Cum deinde is verbis præiret: ipſi ſe ſanctiſſimo jurejurando conſtrinxerunt, fore, ut jura populis adminiſtrarent, libertatem Reipublicæ conſervarent, omniumque ſaluti ſumma contentione proſpicerent. Hoc facto, Magnus Equorum Magiſter librum e Patriarchæ manibus aſſumit, illumque tenens jurat, ſe Emmanuelem, & Iſabellam pro veris, & legitimis ſuorum Regum hæredibus habiturum, eoromque imperio ſemper obedientem futurum, ſummaque fide pro eorum amplitudine, & dignitate pugnaturum. Deinde reliquos Principes, & civitatum Legatos eodem jurejurando conſtrinxit. Tum omnes ordines ad Principes, quibus fidem dederant, accedunt, eorumque manus oſculantur.

VI. Nunc vero temporis, hac cæremonia (quæ eſt ex inſignioribus Aulæ Hiſpanæ) Principi Aſturicenſium, hæredi Regni, fides juratur. In Eccleſia Regia S. Hieronymi *del Buen Ritiro* inter Aram principem, & Odeum excitatur tabulatum, ubi ſub Cortinis conſiſtunt Rex, Regina, & Regia proles; ſcamna etiam parantur Oratoribus Principum, Præſulibus, Dynaſtis Caſtellæ, Conſiliariis Caſtellæ, Delegatis Civitatum, & ſedes Magno Capellano. Stata die, univerſi ab Ædibus Regiis ad Eccleſiam hoc ordine ſe conferunt: Aulici adoleſcentes, Cubicularii, Dynaſtæ, vulgo *Titulati* Caſtellæ, Delegati Curiarum vulgo *Procurator des Cortes*, quatuor Caduceatores, Præfecti Domus Regiæ, Magnates Hiſpaniæ, & Magnus Aulæ Magiſter, quatuor Feciales, Comes Oropeſæ ferens Regis enſem, & eo abſente, ſupremus Præfectus Regii ſtabuli, Princeps Aſturicenſium medius inter alios Principes Regiæ prolis, ſi qui ſunt; Rex, & Regina, ac tandem Matronæ Aulicæ. In Eccleſia Rex, Regina, & Regia ſoboles conſiſtunt ſub Cortinis, & prope adſtant duo ſupremi Præfecti Domus Regiæ; ante Regias Cortinas ſe ſiſtit Enſiger Regius; Matronæ Aulæ in tabulato; Feciales, & Caduceatores in tabulati gradibus, ceteri in ſcamnis ſuo Ordini addictis. Ubi univerſi locum ſuum occuparunt, inchoatur Sacrum de Spiritu Sancto ab aliquo Antiſtite, & Collecta additur pro Rege; interea Magnus Capellanus recitat prope Regem Introitum, & cæteras Miſſæ partes, atque Evangelium, & oſcu-

oſculum pacis exhibet Regi. Peracta Liturgia, Antiſtes ſedet prope imum Altaris gradum, tuncque Fecialis ex ambone cunctos monet, ut audiant ſacramentum fidei, hominii, & obedientiæ præſtandum a Regiis Principibus, Præſulibus, Magnatibus, aliiſque Ordinibus N. Principi Aſturicenſium, ſucceſſori, & hæredi Regni, ita jubente Rege. Qua proclamatione facta, ſenior e Caſtellæ Conſiliariis legit e ſcripto quodam, adſtantes omnes conveniſſe, & conſenſiſſe ut N. Principem Aſturicenſium, vivente Rege, & eo mortuo, Regem colerent, atque illi fidelitatis juramentum integro, & libero animo præſtarent. Tunc, monente cæremoniarum Præfecto, Magnus Capellanus Crucem, & Evangeliorum librum collocat ſuper menſulam coram Antiſtite, ad hunc Principes Regiæ ſtirpis accedunt, in genua procumbunt, tactiſque Cruce, & Evangelio, interroganti Antiſtiti, an jurare velint juxta ea, quæ lecta ſunt, annuunt. Mox Regem adeuntes ad ei præſtandum hominium, manus ſuas cum Regiis manibus implicant, petente pariter Rege, an hominium velint præſtare; denique Principem Aſturicenſium adeunt, illiuſque manum oſculantur, & ab eo amplexu excipiuntur. Præſtito juramento a Principibus Regiæ ſtirpis, Fecialis Magnatem illum accerſit, cui excipiendi hominii munus Rex demandaverit; iſque ſalutato Altari, & Rege, ſiſtit ſe detecto capite prope Altare in cornu Epiſtolæ. Tum alium Evangeliorum librum, Crucem quoque aliam ab ea, ad quam Principes Regii jurarunt, Clericus Aulicus ſupra menſam ſtatuit. Fecialis vero Antiſtites accerſit ad juramentum præſtandum; & primo quidem Magnus Capellanus, vel dignior Antiſtes, monente cæremoniarum Præfecto, tum cæteri Præſules ſuo ordine, adeunt Pontificem illum, qui Sacris eſt operatus, flexiſque genibus, interroganti, an jurare velint, affirmant; deinde ad Magnatem illum accedentes, hominium exolvunt, complicatis cum eo manibus, ac ſtantes; eoſque ille ſciſcitatur, an ſemel, iterum, atque tertio velint hominium facere; ultimo Regis, & Principis manus oſculantur. Sequuntur, Feciali accerſente, Magnates Hiſpaniæ; hos excipiunt Dynaſtæ, ſeu Titulati Caſtellæ, Comites nempe, & Marchiones, qui e Magnatum claſſe minime ſunt; tum cæteri nobiles viri, Magnatum filii, Civitatum Oratores, Præfecti Domus Regiæ, Magnus Aulæ Magiſter, Regius Enſifer, tradito enſe Supremo Præfecto Regii ſtabuli, eodem ritu, primo fidelitatem jurant coram Antiſtite, tum hominium præſtant coram Magnate, denique Regem, & Principem colunt oſculo manuum. Sed & a Magnate, cui accipiendi hominii munus demandatum fuit, ſacramentum fidelitatis, hominiumque coram Magno Aulæ Magiſtro emittitur. Ultimus omnium Antiſtes ipſe, qui Sacrum fecit, quique aliorum ſacramenta excepit, exutus Pontificalibus ornamentis, fidelitatem ſacramento promittit coram Magno Capellano, qui Pontificalia induit, & illius ſedem occupat; ac pariter Magnatem cauſa faciendi hominii, Regem, & Principem ad manuum oſcula adit. His omnibus peractis, Regem Secretarius Regis ſciſcitatur, an edito ſacramento, præſtitoque hominio factum ſit ſatis, & an ei voluntas adſit jurandi ſervaturum ſe leges, conſuetudines, & jura Regni. Affirmante Rege, tota cæremonia concluditur. Quoniam vero non omnes Regni Proceres, ſive Clerici, ſive laici, quibus jurandum eſt, eo conveniunt; hinc ablegantur a Rege in Provincias, qui hujuſmodi exprimant ſacramenta.

VII. Clerici Palatini Aulæ Hiſpanæ ſacramento fidem obligant ſuam

ſuam, cum primum obſequio Regis addicuntur. Et quidem, uti refert Turturetus lib. de Sacello Hiſp. cap. 5. Magnus Aulæ Magiſter excipit nomine Regis ſacramentum a Magno Capellano præſtandum, is vero juramentum recipit Præfecti Regiarum Cortinarum; at cæteri Capellani Aulici jurant coram Receptore Sacelli, ſe officio ſuo minime defuturos. Carpit proinde hunc morem Peiratius lib. 1. cap. 16. quod ipſi Regi potius, quam alicui Aulæ Magnati convenientius ſit Magnum Capellanum ſacramentum exhibere, quemadmodum in Gallia Magnus Eleemoſynarius ipſi Regi juramentum præſtat; additque Capellanis Aulicis potius apud Magnum Capellanum, quam apud Sacelli Receptorem jurandum fore. Formula vero juramenti a Turtureto, & Peiratio relata, eſt hujuſmodi: *Ego N. ab hac hora in antea fidelis ero S. Petro, ſanctæque Romanæ Eccleſiæ, Dominoque noſtro Papæ, ejuſque ſucceſſoribus canonice intrantibus: ſimili modo fidelis ero Regi N. Domino noſtro, Reginæ, & Principi, pro tempore exiſtentibus, eiſque fideliter inſervire curabo: Regis noſtri Majeſtatem, auctoritatem, præeminentias & regalias, ejuſque Regiæ Capellæ, & domus, & quæ utilia erunt pro viribus defendam, tutaborque, & his contraria removebo, & ſi per me id præſtare non potero, Capellano meo Majori Regio pandam, cui tamquam ſuperiori meo Ordinario pro tempore exiſtenti obedientiam, reverentiam, & ſubjectionem promitto, & quod mihi ab eo & ſuo nomine fuerit injunctum, omni mora poſtpoſita adimplebo, ejus honori, bono, & commodo Capellanorum, & Cantorum aliorumque Miniſtrorum, & ipſius Regiæ Capellæ conſulam, & quæ commoda eſſe poterunt, procurabo: Capellæ Regiæ ſecreta, & quæ in ejus Congregationibus agentur, cuſtodiam, ejuſque Conſtitutiones, & Statuta, & tandem ea omnia obſervabo, quæ ad honorem, & decorem prædictæ Regiæ Capellæ concernere, & ſpectare intelligam. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Evangelia.* Hac ſacramenti formula plura indicantur officia Capellani Aulæ Hiſpanæ, nempe legibus Romani Pontificis, Regis, Reginæ, Principis ſucceſſoris Regni morem gerere; Regis, & Regiæ Capellæ jura tueri; fidelem operam in ſuo exequendo munere navare; Magno Capellano tamquam Ordinario ſuo obedire; Palatini Clericorum Collegii ſtatuta, & ſecreta cuſtodire; ad ejus gloriam, & utilitatem conferre omnem operam, denique ſui muneris partes incunctanter obire.

VIII. Ratio autem faciendi fœderis in Aula Hiſpana, hæc eſt. Cæremoniæ agendæ ſtatuta eſt aula quædam Domus Regiæ, ubi paratur Solium Regis, & ſedes Oratoris illius Principis, quocum fœdus eſt ſanciendum. Adſunt, qui Regis ſunt a Conſilio, & a ſecretis; Feciales quoque ſive *Araldi*, & Caduceatores ſive *Mazzieri*. Si quis e Cardinalium numero adſcriptus ſit Regis Conſilio, huic ſedes apponitur. Anno 1605. cum inter Hiſpanos, Angloſque pax firmata eſt, interſuere etiam cæremoniæ Magnus Præfectus Regii ſtabuli deferens Regium enſem, Magnus Aulæ Magiſter, & Magnates Hiſpaniæ ſcamno inſidentes. Stata hora, ducitur Orator Principis, quocum fœdus eſt ineundum, ad cæremoniæ aulam, illique venienti occurrunt honoris cauſa Aulici; pauloque poſt, illuc ſe confert Rex Catholicus, Oratorem ſalutat, ſedet, innuitque ut ille etiam aſſideat. Mox a Secretario Regni legitur jurandi fœderis formula; qua lecta, collocatur prope Regem menſula, ſupra quam Magnus Capellanus Crucem, & Evangeliorum librum ſtatuit. Tum flexis genibus, detecto capite, ma-

manibus ad ſacra illa admotis, Rex Catholicus affirmat, ſe in ea jurare verba. Surgit deinde, remotaque menſula, Orator pro inito fœdere diuturnam amicitiam, felicitatem, & imperium Regi precatur. Cæterum & apud Romanos olim inſignis, & ſacra fuit cæremonia fœderis ſanciendi, ut ex Livio lib. 1. cap. 24. aliiſque conſtat. Nam, qui fœdus facturi erant, quique intereſſe volebant, in publicum aliquem locum congregabantur, & Rege ſedente, vel Conſulibus, Fecialis rogabat Regem, aut Conſulem, an juberet cum eo populo fœdus ferire. Illo jubente, Fecialis ex arce Capitolina verbenam afferebat, ſeu ſacram herbam, qua mos fuit coronandi Feciales, & Patres Patratos fœdera facturos. Tum utriuſque populi Feciales ſcribebant leges in duabus tabulis, quarum una apud Populum Romanum, altera apud fœderatores ſervaretur, & ſcriptas recitabant. Legibus recitatis ex utraque tabula, Feciales Populi Romani, præſente Patre Patrato alterius populi, tamquam jurisjurandi teſte, pronunciabat juramentum, ut qui prius infringeret fœdus, illum Jupiter ſic feriret, *ut ego hunc porcum hodie feriam, tantoque magis ferito, quanto magis potes, polleſque*. Id ubi dixerat, porcum ſaxo ſilice percutiebat. Idem juramentum Fecialis alterius populi faciebat. Poſtremo Feciales, & Patres Patrati porcum Jovi immolabant. Progreſſu temporis deinde inſtitutum eſt, ut fœdus fieret jactu lapidis, quem Fecialis dextra projiciens ajebat: *ſi ſciens fallo, tum me Dieſpiter, ſalva urbe, arceque, bonis ejiciat, ego hunc lapidem*.

IX. Luſitani, vivente Rege, eoque jubente, fidelitatem ſacramento promittunt ſucceſſori, & hæredi, indicto Conventu generali Regni. Ita olim Michaeli infantulo Filio Emmanuelis Regis fides jurata eſt, uti narrat Oſorius lib. 1. de Reg. geſt. Emm. his verbis: *Emmanuel anno ſequenti, qui fuit a Chriſto nato* MCDXCIX. *ed eam rem ſine ulla mora peragendam concilium indixit. Omnes ſine ulla recuſatione conveniunt. Is ab omnibus poſtulat, ut fidem dent, ſe Michaeli ipſius unico filio tamquam ſucceſſori legitimo, fore ſemper, poſtquam ille ad Regnum perveniret, obſequentes. Illi priuſquem fidem darent, ab eo expoſtularunt, ut nomine filii promitteret, idque juramento confirmaret, ut numquam neque juriſdictiones, neque vectigalium adminiſtrationes, neque arcium præfecturæ ad Portugalliæ ditionem pertinentes, ſive citra, ſive ultra mare, alicui, qui non eſſet natura Portugalenſis, ullo tempore, aut condicione mandarentur. Quod Emmanuel facile conceſſit. Illi igitur fidem publice abſenti Michaeli dederunt: & Emmanuel promiſſionis ſuæ fœdus propria ipſius manu conſignatum juſſit, ut publico teſtimonio ad memoriam ſempiternam confirmaretur*. Atque is mos apud Luſitanos ſequentibus quoque ſæculis viguit, uti conſtat ex Hiſtoria Regum Luſitaniæ, quam decem Tomis diſtinctam nuper edidit Vir Clariſſimus Antonius Cajetanus Souſa Teatinus, ubi plurima leguntur exempla præſtiti ſolemnis juramenti Principibus ſucceſſoribus Regni, pueris etiam, vel adoleſcentulis, Rege vivente. Ita Alphonſo Principi, nato anno 1643. tamquam hæredi imperii jurata eſt fides anno 1653. & Petro II. filio Regis Joannis IV. anno 1668. & Eliſabethæ unicæ illius filiæ, anno 1674. Luſitani Ordines fidelitatem ſacramento præſtitere. Hanc cæremoniam agere ſolent in aula quadam Palatii Regii, Rege, & Principe Solio inſedentibus, legente juramenti formulam Officiali quodam Aulico, quem vocant *Eſcrivao de Puridade*, tactis Cruce, & Evange-

geſtis a Magno Capellano delatis, & oſculo manuum Regis, ac Principis ſucceſſoris: & primo quidem Principes Regiæ ſtirpis, tum Magnates Regni, nullo inter eos ſervato ordine, Epiſcopi, Nobiles viri, Magiſtratus jurant. Hoc fere ritu Joannem V. poſtea fideliſſimum Regem, tamquam ſucceſſorem Regni, octo annis natum, vivente Petro II. Rege, illius parente, die 1. Decembris, anno 1697. conſueto juramento Luſitani Ordines coluerunt. Et in ea cæremonia Infans D. Franciſcus, vices agens Magni Comeſtabuli, detulit enſem Regium, primuſque juravit, venia a Rege facta tenellæ ætatis, quæ ſatis non erat edendo ſacramento. Ille vero, defuncto Petro II. anno 1706. imperium tenuit, atque Rex ſalutatus eſt anno 1707. die 1. Januarii, conſueta Exaltationis cæremonia, quam fuſe deſcribit tom. 8. Hiſtoriæ Luſitanæ Clariſſimus Souſa. Narrat is, in area Palatii Regii inſigniter adornata, inſtructos fuiſſe in acie milites, & excitatum amplum tabulatum, ubi Solium Regis eminebat; hunc ſe eo contuliſſe Fecialium, Caduceatorum, & Aulicorum magno comitatu; præcedentibus ipſum proxime Infante D. Franciſco cum enſe Regio, tamquam Magno Comeſtabulo, & Vexillifero cum vexillo Regni; adhærentibus vero Regi Infantibus Antonio, & Emmanuele; ſequentibus Regem Nuno de Ataide Epiſcopo Targenſi Magno Capellano, aliiſque Epiſcopis; Solium conſcendiſſe, acceptoque aureo ſceptro a Marchione de Marialuas porrecto, ſediſſe operto capite, ſtetiſſe vero omnes detecto capite, ut moris eſt in hac cæremonia; tum a Conſiliario quodam Regio declaratum regnandi jura ad illum perveniſſe; eumdemque juraturum more prædeceſſorum Regum; ſtatutiſque ſuper menſam a Magno Capellano Cruce, & Evangeliis, Regem, abjectis ſceptro & pileo, flexis genibus juraſſe, ſervaturum ſe Regni, & ſubditorum jura, illique juranti adſtitiſſe veluti teſtes Capellanum Majorem, cæteroſque Epiſcopos; præſtitoque a Rege ſacramento, Infantes primum, deinde Magnates omnes, nullo ſervato inter ſe dignitatis ordine, uti a Feciali monitum fuerat, Epiſcopos, cæteroſque Ordines ſacramentum fidelitatis exolviſſe; denique univerſos adiiſſe Capellam Palatinam, & ad ejus fores Magnum Capellanum Pontificalibus indutum ornamentis obtuliſſe Crucem deoſculandam Regi provoluto in genua, huncque ſub umbella a Capellanis Aulicis delata, præcedente Clero ductum ad Altare, habitamque ſolemnem gratiarum actionem.

X. Sabaudis Ducibus, cum primum imperio potiuntur, ſubditi hoc ritu fidelitatis ſacramentum perſolvunt, quo Carolo Emmanueli glorioſiſſimo Duci Sabaudiæ, & Regi Sardiniæ, anno 1730. jurata eſt fides. Hæc cæremonia peracta fuit in Cathedrali Eccleſia Taurinenſi, ſedente Rege in Solio, & prope Regem ſedentibus Principibus Regiæ familiæ, Sociis Regalis Ordinis SS. Annuntiatæ, Magno Cancellario, operto capite. Aderant Senatores Civitatis, Magiſtratus, Profeſſores Academiæ cum eorum Rectore, Oratores Provinciarum, & Civitatum, a quibus jurandum erat. In Eccleſiæ medio parata fuit menſa, & ſuper menſam Crux, & Evangeliorum liber; prope ſedebat Archiepiſcopus Taurinenſis Mitra, & Pluviali indutus, facie verſus ad populum, medius inter duos Canonicos Tunicella indutos, atque in ligneis ſubſelliis aſſidentes; ad Archiepiſcopi latus ſtabat Marchio Ormeæ, qui a ſummis erat imperii negotiis, Italice *Secretario di Stato*, detecto capite. Ac primo quidem decantatus eſt Hymnus a Cantori-

bus Palatinis, tum eo finito, dignior Magiſtratus, quem vocant primum Præſidem Cameræ, ſalutatis Rege, & Principibus Regiæ familiæ, hos ad præſtandum juramentum ut accederent, monebat. Illorum vero ſinguli, ſalutato Rege, accedebant ad menſam, flexiſque genibus, quibus Aulicus Capellanus pulvinar ſuppoſuit, manu Evangeliorum libro ſuperimpoſita, Crucem eis exhibente Archiepiſcopo, legebant ſacramenti formulam a primo Regis Miniſtro eis porrectam; inde Regem adibant, a quo amplexu excipiebantur. Præſtito juramento a Principibus Regiæ familiæ, Marchio Suſæ primum, tum Maſſerani Princeps jurarunt fidelitatem, cum hoc tamen diſcrimine, quod illi procumbenti in genua ſuppoſitum fuerit pulvinar a Clerico quodam Aulico, & quod a Magiſtratu quodam, non a Feciali fuerit ad juramentum edendum accerſitus. Mox Socios Regalis Ordinis SS. Annuntiatæ ad obligandam ſacramento fidem ſuam Fecialis invitabat; horumque ſinguli, provoluti in genua, nullo ſuppoſito pulvinari, accepta juramenti formula a primo Regis Miniſtro, jurarunt, & amplexu a Principe donati ſunt. His perſolutis ſacramentis, Fecialis e ſcripto quodam a primo Miniſtro ei tradito pronunciabat, quo ordine Provinciarum & Civitatum Oratores accederent ad juramentum faciendum; monebat inſuper omnes, ut attento audirent animo ſacramenti formulam, quam mox alta voce recitavit Regis primus Miniſter. Ea lecta, Oratores Sabaudiæ primum, tum Pedemontis, deinde aliarum ditionum Sabaudo Principi ſubjectarum, accerſente ſingulos Feciali, flexis genibus, tactis Evangeliis, jurarunt; & ad Regem accedentes, ab eo benigne excipiebantur, manu illorum humeris admota. Verum, qui e numero Oratorum, nec ex Equeſtri erant Ordine, neque ligii erant Regis, hi ad ſalutandum Regem minime accedebant, curante hoc diſcrimen Præfecto cæremoniarum. Tandem, dato ab omnibus juramento, Rex procubuit in genua, & decantato Pſalmo, *Exaudiat*, Antiſtes Taurinenſis benedictioue Epiſcopali donavit univerſos.

XI. Meminit non ſemel Innocentius III. in ſuis epiſtolis ſacramenti, quo Siculi Ordines Regibus ſuis obligabantur. Cum enim Conſtantia Imperatrix, & Regina Siciliæ, Friderici pueri ejus filii, & Regni tutelam, Innocentio Pontifici commiſiſſet; cumque in Fridericum, Regnumque moviſſet arma Marcovaldus, Seneſcallus olim Henrici Imperatoris, & Marchiæ Anconitanæ Regulus, nil ſibi reliquum fecit Pontifex, ut infenſiſſimum hoſtem repelleret, & Siculos in efficio contineret. Quamobrem datis litteris pluribus ad Epiſcopos, & Primores Siciliæ, eos hortabatur, ut in fide, & obedientia permanerent, utque ab univerſis Ordinibus fidelitatis ſacramentum perſolveretur, perſolutum ſanctiſſime ſervaretur. Porro hæc juramenta Siculis Regibus perſolvebantur in illorum inauguratione, indictis Comitiis totius Regni, quæ vulgo Parlamenta dicuntur; eaque conflata ſunt ex tribus Ordinibus, nempe Eccleſiaſtico Epiſcoporum, aliorumque Antiſtitum; Sæculari, Dynaſtarum ſcilicet, ſeu Baronum; ac Demaniali, ſeu civitatum, ac oppidorum Regii Demanii. Tum Reges ipſi juramento promittebant, ſervaturos ſe Regni privilegia, & conſuetudines. Qui ſi a Siciliæ Regno abeſſent, tunc alicui vices ſuas demandabant, qui indictis Comitiis Regni exprimeret hæc ſacramenta. Ita ſublato e vivis Martino II. Rege, cum anno 1412. ad Ferdinandum Regem Aragonum Cæſarauguſtæ degentem perveniſſet impe-

perium; Siculi Ordines coram Regina Blanca, ut illius Vicaria, ſacramentum fidei ediderunt. Exhibet hujus juramenti formulam ex MS. Codice Amatus lib. 8. de princ. Templo Pan. cap. 4. *Forma juramenti præſtandi Regiæ Majeſtati per vaſſallos ſuos Regni Siciliæ, ordinata per Reverendiſſimum Dominum Archiepiſcopum Panormitanum. Ego talis per me, ſucceſſores, & poſteros meos promitto; & etiam puro corde, & ſincera mente juro per Crucem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Sancta Dei quatuor Evangelia, per me corporaliter tacta, quod ſemper, & perpetuo ero fidelis, & obediens, atque legalis ſubditus, & vaſſallus Illuſtriſſimo, ac Sereniſſimo Principi, ac Domino meo, Domino Ferdinando, Dei Gratia, Aragonum, & Siciliæ Regi, ipſumque in verum meum Principem, Regem, ac Dominum habebo, tenebo, nec non faciam, & ſervabo ea omnia, & ſingula, quæ bonus, legalis, & fidelis ſubditus, & vaſſallus ſuo Regi, & Domino facere, ſervare, & jurare debet juxta formam conſtitutionum & capitulorum hujus Regni Siciliæ, eaque omnia, & ſingula, ut ſupra promitto, & juro in poſſe, & manibus veſtris etiam facio homagium ore, & manibus comendatum. Dominus Rex jurabit, & confirmabit tenere, & obſervare privilegia, libertates, & conſuetudines, & capitula Baronum, Nobilium, prout & ſecundum per Sereniſſimos Reges Siciliæ, ac per præteritos Illuſtriſſimos Dominos Reges Martinum ultimo deceſſos, eiſdem confirmata, jurata, & rationabiliter fuerint obſervata.* Homagium dicitur *ore & manibus* commendatum, quia vaſſallus, dum præſtabat hominium, manus ſuas manibus Domini conjungebat, peractaque fidelitatis, & hominii præſtatione, in fidei ſignum illum oſculabatur; & hinc hujuſmodi oſculum dicebatur fidelitatis. Ita in Charta Jacobi Regis Aragonum anno 1231. apud Joannem Dametum in Hiſtoria Regni Balearici, legitur: *Ego Infans Domnus Petrus facio vobis homagium ore, & manibus;* & apud Marcam in Hiſt. Beneharn. lib. 6. cap. 1. legitur hominium *in oſculo pacis, & veritatis.* Alia plurima hujus rei exempla congerit Cangius in Gloſſario, ſimulque notat, non omnes vaſſallos, ſed nobiles ſolos ad oſculum admiſſos fuiſſe. Nunc quoque temporis Angli in coronatione Regis hominium oſculo præſtant, uti jam diximus. Alphonſus Ferdinandi filius, quem Magnanimum nuncuparunt, imperio potitus anno 1416. demandavit Joanni fratri vices ſuas in adminiſtranda Sicilia obeunti, ut conſuetum fidei ſacramentum exciperet. Sed anno 1420. Siciliam adiens, die 12. Februarii, convocatis Epiſcopis, & Oratoribus civitatum, ab eis de more expreſſit fidei ſacramentum, tum & ipſe cuſtodiendis juribus Regni ſacramento ſe adſtrinxit. Carolus V. victor ex Africa Siciliam adiens anno 1535. in metropolitana Eccleſia Panormitana juravit ſe conſuetudines, & jura Regni ſervaturum. Idem præſtitum legitur a ſucceſſoribus Regibus.

XII. Eſt itaque Siciliæ mos, ut Reges ſervandis moribus, & juribus Regni; ſubditi vero ſervandæ illis fidelitati mutuo ſacramento viciſſim adſtringantur. Idqne hoc ritu peractum eſt anno 1735. die 30. Junii, in Cathredrali Panormitana, cum Carolus Borbonius Rex glorioſiſſimus imperio potitus eſt. Poſt ſolemnem Regis ingreſſum, & equitationem, poſt decantatum Hymnum gratiarum actionis, Rex Solium conſcendit, ſeditque operto capite; tum ante eum appoſita fuit menſula, ſupra quam Magnus Eleemoſynarius Crucem & Evangeliorum librum collocavit. Protonotarius Regni ſtans in gradi-

bus

bus Regii Solii, recitavit juramenti formulam; eaque lecta, Coadiutor Protonotarii ſingulos, a quibus jurandum erat, accerſivit, ſervato ordine. Primus omnium Panormitanus Archiepiſcopus, tamquam Eccleſiaſtici Ordinis primus, acceſſit ad Regis ſedem, flexis ante Crucem genibus, expanſis ſuper Evangelia manibus, interroganti Protonotario, an vellet Regi fidelitatem promittere juxta formulam nuper pronuntiatam, reſpondit, ſe ita velle, & ita jurare, atque in hujus rei ſignum Crucem, & Evangelia eſt oſculatus. Hunc ſequuti ſunt cæteri Epiſcopi, Præſuleſque Regni; tum Ordo Militaris, ſeu Equeſtris, nempe Principes, Duces, aliique Feudorum Domini; tandem Oratores Civitatum Regii Demanii. Quo facto, jubente Rege, ab eodem Protonotario recitata eſt formula juramenti ab ipſo Rege dandi de cuſtodiendis ſtatutis, atque privilegiis Regni. Mox Protonotarius, flexis genibus, Regem exoravit, ut juramentum præſtaret: Rex vero ſtans, detecto capite, librum Evangeliorum manu tangens, juravit. Poſthæc Prætor Panormitanæ Civitatis pariter a Rege petiit, ut ſacramento promitteret ſervaturum ſe jura, moreſque Civitatis; quod pariter, eodemque ritu, a Rege juratum fuit.

XIII. In Neapolitano Regno hæredibus, & ſucceſſoribus imperii perſoluta quandoque fuiſſe fidelitatis ſacramenta, ut reipublicæ, & familiæ Regiæ tranquillitati conſuleretur, indicat in ſua Hiſtoria Summontius. Narrat enim lib. 3. curaſſe Robertum Regem longæva jam ætate ſenem, indictis anno 1340. Comitiis totius Regni, ut Joanna neptis, hæres imperii, duodecim annis nata, Andreæ Hungarorum Regis filio minuſculæ ætatis deſponſata, ab univerſis Regni Ordinibus, præſtito ſacramento, tamquam imperii hæres ſalutaretur, quod Andream ejus virum regimini adminiſtrando imparem exiſtimaret. Pariter Alphonſus I. convocatis totius Regni Comitiis, anno 1443. Ferdinandum filium conſtituit Calabriæ Ducem, ſucceſſoremque imperii, cui eo nomine hominium, & ſacramentum univerſi Ordines præſtitere: *Eſſendo tutto ciò*, ait Summontius lib. 5. *con ſodisfazione del Baronaggio inteſo, ſupplicarono Sua Maeſtà, reſtaſſe contenta concederli per ſuo primogenito, ſucceſſor futuro, & erede del Reame D. Ferrante d'Aragona ſuo figliuolo con darli il titolo di Duca di Calabria, erede, e ſucceſſor del Padre, nel Reame di Sicilia* citra Pharum, *e fu dagl' Ufficiali, e Baroni ſuddetti accettato per loro Signore, e Luogotenente generale, e ſuccedente Re, e gli giurarono omaggio, e ligio di fedeltà*, ore, & manibus, *del che fu fatto publico inſtrumento per Giovanni Olzina Secretario, e Notaro del Re*. Deinde ſublato e vivis Alphonſo, anno 1458. Ferdinandus, ordinata ſolemni equitatione ex Regni Proceribus, & Dynaſtis conflata, adiit Metropolitanam Eccleſiam, ibique dicto Hymno *Te Deum*, Archiepiſcopo Sacris operante, Rex ſalutatus eſt; & rediens ad Ædes Regias, Arcem Novam ab ejus Præfecto recepit; tum celebrato Conventu Capuæ, quod Neapoli lues graſſaretur; hominium, & fidei ſacramentum ab univerſis Regni Proceribus illi eſt exhibitum, uti narrat lib. 5. Summontius. Nam in more fuit apud Neapolitanos, ut obeunte Rege, qui in imperio ſuccedebat, ſtatim per Civitatem, & Seſſiones Nobilium equitaret magno Procerum comitatu, atque ad Metropolitanam Eccleſiam accederet, ubi fuſis precibus, ab Archiepiſcopo Rex renuntiabatur; deinde ſtatutis Comitiis, ſacramenta, & hominia ei perſolvebantur. Quod de Alphonſo II. Ferdinando II. & Friderico re-

fe-

ſerunt Neapolitanarum rerum Scriptores. Imperantibus vero Auſtriacis, qui in Hiſpania degebant, ei data fuere hujuſmodi juramenta, cui Reges hoc munus demandarunt: uti cum Carolus V. Imperator, Rexque Siciliæ, Philippo filio commiſit Neapolitani Regni imperium, is Ferdinando Franciſco Avolos Marchioni Piſcariæ vices ſuas in poſſeſſione Regni ineunda delegavit. Ordo hujus cæremoniæ legitur apud Frecciam lib. 3: de Subfeudis, ubi: *Die autem Dominica 25. ejuſdem menſis, ſub feſtivitate S. Catharinæ Virginis, & Martyris, quæ clariſſima fulſit in Regio Palatio, prope Eccleſiam Sancti Spiritus, in quo reſidet Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus Cardinalis Seguntinus* (Petrus Paceccus) *Locumtenens generalis Sereniſſimi Domini noſtri Regis Philippi, venerunt Illuſtriſſimus Dominus Petrus Antonius de Santo Severino Princeps Biſiniani, nobilis Plateæ, ſeu Sedilis Nidi, & Sindicus hujus Inclytæ, & Fideliſſimæ Urbis, una cum Dominis Electis omnium Platearum, cum Tribuno plebis, ornatis veſtibus velluti carmoſini cum albis equis pariter faleratis; & deinde venit Illuſtriſſimus D. Franciſcus Ferdinandus de Avolos de Aquino, ſuæ ætatis annorum viginti trium, Marchio Piſcariæ, Princeps Montis Herculis, & Francavillæ, Regni Siciliæ Magnus Camerarius, Generalis Capitaneus, ſeu Legatus totius Cavallariæ, ſeu Equitatus, deputatus per eumdem Sereniſſimum Regem pro capienda fide, homagio, ac ligio juramento ab univerſis Regni ſubditis, & fidelibus ob reſutationem Regni factam per Caeſaream Majeſtatem dicto Sereniſſimo ſuo Filio, ut ex litteris huic Civitati directis, aſſociatus ſiquidem dictus Dominus cum nonnullis Proceribus, & Illuſtriſſimo Domino Duce Amalphiæ Magiſtro Juſtitiario ejus avunculo, ac Illuſtriſſimo Domino Indico de Avolos Regni Magno Cancellario ejus fratre, equitarunt omnes tum mirabili comitatu omnium Procerum, & Nobilium, & omnium Officialium, & univerſo populo, Dominus Cardinalis in medio, a manu dextra dictus Dominus Marchio, & a manu ſiniſtra Dominus Princeps Sindicus, & advenientes in Conventu S. Laurentii in loco ſolito, in altiori loco à manu ſiniſtra ſedit in quodam ſolio, ſeu ſedia Dominus Cardinalis Locumtenens generalis, Dominus Dux Amalphiæ Magiſter Juſtitiarius in uno ſcamno, & ex alio Magnus Cancellarius, & omnes Domini Regentes, & nos Conſiliarii in pede ſcabelli cum aliis Officialibus, prout potuimus locum habere ob multitudinem, Dominus Princeps, ut Sindicus, in alio ſcabello juxta morem, & poſt eum omnes Electi, & poſt eos Proceres, & Barones Regni ſecundum determinationem Illuſtriſſimi Domini Locumtenentis generalis, & Collateralis Conſilii, ibidem exiſtentibus pluribus Dominis, & Sindicis nonnullarum Univerſitatum. Dominus Marchio per Secretarium Conſilii Collateralis legi fecit patentes litteras Sereniſſimi Domini Regis ſub data in Regia Domo, & paucis rebus rem abſolvit pro exequutione ſuæ delegationis. Sindicus nomine Urbis, Baronum, & Regni reſpondit, & ſub quadam pagina explicavit intentum, & devotionem Civitatis: & Domini Electi, unus poſt alium venerunt hora 20. ad præſtandum juramentum fidelitatis ſub forma conſueta, proſtati ad pedes dicti Domini Marchionis, tactis Evangeliis. Sindicus non juravit; quia forte non fuit ad hoc conſtitutus a Plateis. Poſt eos Magiſter Juſtitiarius, & Magnus Cancellarius, deinde Illuſtriſſimus Dominus Antonius de Aragonia puer annorum circa decem, vel parum plus, Dux Montiſalti, & dum deferreretur ad præſtandum juramentum Dominus Princeps Biſinia-*

niani non conſentiendo fuit de hoc proteſtatus, & prætendens primo ſibi deferri, & pro illa vice tantum, & citra præjudicium tam in petitorio, quam in poſſeſſorio, ex decreto Dominorum de Conſilio Collaterali oretenus dato, primus omnium juravit, & ex ordine Princeps Sulmonæ, Duces, Marchiones, Comites, Barones, & inter alios ego etiam præſtiti ligii homagii juramentum, & alii procuratores Dominorum, Sindici, & procuratores Univerſitatum. Et deinde equitantes præfati Domini ex eodem ordine per Plateas nobiles, magna fuit facta ob publicam lætitiam effuſio pecuniæ aureæ, & argenteæ pro gloria, & triumpho dicti Sereniſſimi Domini noſtri Regis, Ducis Mediolani, ac Angliæ, & Franciæ Regis, noſtræ Catholicæ, atque Chriſtianæ Fidei perpetui defenſoris. Die lunæ ſequenti, hora 17. venerunt prædicti Dominus Cardinalis, Dominus Marchio, Dominus Princeps Sindicus ordine ſuprapoſito cum Dominis Electis, & Dominis Baronibus ſub eadem regula, & magna comitiva Nobilium in majori Eccleſia, Reverendus Epiſcopus Mottularum Vicarius Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Cardinalis Neapolitani, & in majori Altari ſolemnem Miſſam decantavit, aſſiſtentibus omnibus Dominis de noſtro Conſilio, & aliis Officialibus. Orationem fecit Dominus Epiſcopus Sancti Marci Secretarius Martiranus vir religioſiſſimus, ac doctiſſimus, quæ pro honore utriuſque Cæſareæ Majeſtatis patris, & filii Dominorum noſtrorum Regum, ſub candido ſermone, laudatiſſima habita eſt. Finito Te Deum laudamus, *idem Dominus Secretarius legit patentes litteras dicti Domini noſtri Regis confirmantis dicti Domini Illuſtriſſimi Cardinalis in ſuo officio ad beneplacitum, quia confirmatio omnium officiorum venerat in ejus poſſe, aſſiſtentibus ibidem Dominis Electis, Dominus Joannes Bernardinus Carbonus Electus Plateæ Capuanæ ab eodem confirmationem, & obſervantiam omnium Capitulorum Urbis humiliter expetiit, & detulit illi ſacramentum, ſub quo tactis Evangeliis obſervare juravit, & recedentibus omnibus facta fuit pecuniarum auri, & argenti effuſio pro gloria, & triumpho dicti Sereniſſimi Domini noſtri Regis.*

XIV. At Sereniſſimo Regi Carolo Borbonio jurata eſt fides, hominiumque præſtitum, die 20. Junii, anno 1734. in Capella Palatina, & coram Magno Aulæ Capellano, a Patribus conſcriptis Neapolitanæ Civitatis, quos Electos vulgo nuncupant, & hoc quidem ritu. Rex Sereniſſimus medius inter Patres conſcriptos Neapolitanos, præeuntibus Aulicis, Capellam adiit Palatinam, ibique Sacrum audivit, ſtantibus prope Regem Neapolitanis Patribus conſcriptis. Peracto Sacro, Solium conſcendit excitatum in cornu Evangelii, ſeditque operto capite; ſteterunt a dextra Solii parte Primus Regis Miniſter, Dux militum cuſtodum corporis Regis, & Secretarius Regni juramenti formulam in manu tenens; a ſiniſtra vero Solii Feciales, ſeu Reges armorum, virgas manu habentes, & Oſtiarii, vulgo *Portieri di Camèra*; aderant quoque Notarii Aulæ, & Civitatis, qui rem tabulis conſignarent. Tum Neapolitani Patres conſcripti ante Solium Regis conſtitere, eoque innuente, capita operuerunt, tamquam Hiſpaniæ Magnates. Intereà a Secretario lecta eſt juramenti formula, qua finita, accedentes ad Altare, ubi aderat Magnus Capellanus Pontificalibus indutus ornamentis, Evangeliorum librum in manibus habens, in genua procubuerunt. Eos vero Magnus Capellanus eſt percuntatus, an ita jurarent; ſingulique, ſtatutis ſuper ſacrum Codicem manibus, affirmarunt, his verbis; *Così giuro, e prometto*. Dato juramento, mox

an-

ante Regem Solio inſidentem genua ſubmiſerunt; eorum primus verba fecit, ſtatutiſque manibus intra manus Regis, a quo & amplexu exceptus eſt, hominium tum ipſe, tum ſinguli, eodem ritu præſtitere, denique Regem ad ædes ſuas deduxerunt. Excipiendis vero ſacramentis, hominiiſque, quæ tum a Feudorum Dominis, vulgo Baronibus, tum a Civitatibus, oppidiſque Regii Demanii perſolvenda erant, Rex delegavit Adrianum Ulloam Lauriæ Ducem, Regiumque Conſiliarium; tum promulgatis ad hanc rem Regiis Edictis, imperatum eſt omnibus, a quibus jurandum eſt, ut ſtatis diebus, in Eccleſia Regia SS. Sacramenti, vel ipſi, vel eorum Delegati, ſi impedimento aliquo prohiberentur, convenirent. Ibi igitur aſſidente prope Aram in cornu Evangelii Delegato Regis, medio inter Magnum Capellanum Prælatitiis indutum veſtibus a ſiniſtra parte Evangeliorum librum in manibus habentem, & Secretarium Regni a dextra habentem juramenti formulam, utrumque ſtantem, & illum quidem nonnullis Clericis Aulicis, hunc quibuſdam Officialibus aſſociatum; ſtantibus quoque in cornu Epiſtolæ e regione ipſius Delegati Regis, tum Feciali Regio, tum quatuor Officialibus vulgo *Portieri di Camera*, tum etiam milite haſtato hinc inde inſtructo, Secretarius Regni proferens ſingulorum nomina, qui ad jurandum convenerant, recitavit juramenti formulam, qua Carolo Regi, ejuſque ſucceſſoribus fidem ſe ſervaturos, ejus juſſa pace belloque facturos, arma contra eum numquam laturos, illi pollicebantur. Tum ſinguli flexis primo genibus ante Magnum Capellanum, ſtatutiſque manibus ſuper ſancta Evangelia, huic ſciſcitanti an jurare vellent, ita jurare ſe affirmarunt; mox ante Regis Delegatum procumbentes, manibus intra hujus manus conjunctis, hominium præſtitere: eorumque nomina, exhibitumque ſacramentum a Tabellionibus in acta referebatur.

XV. Porro is ritus edendi coram Magno Capellano ſacramenti fidei Regibus debitæ, ſolemnique pompa, antiqui eſt inſtituti in Aula Neapolitana. Pontanus enim narrans lib. 2. de bello Neapolitano, Urſum Nolanum Comitem, Joannis Andegavenſis partibus adhærentem, opera Bartholomæi Cardinalis Rovarella, qui Beneventi Pontificias res curabat, in partes Ferdinandi I. Regis veniſſe, & huic fidem ſacramento promiſiſſe, ita deſcribit hujus cæremoniæ ritum: *Sedet Rex medius Regia in ſede, editiore loco conſtituta. Aſſident juxta primi Ordinis Optimates, ac Proceres. Stant inde purpuratorum frequentes Ordines, loco quiſque ſuo: Regis ad pedes, genibus innitens, a dextra procumbit parte epiſtolarum Magiſter, qui nunc Secretarius dicitur; ſiniſtra Antiſtes Evangeliorum libros Regio in ſinu adſtratos tenens. Horum medius genibus & ipſe ille innixus procumbit, qui in verba jurat, utraque manu libris adapertis impoſita. Ibi epiſtolarum Magiſter verba præit: quæ juraturus in verba, ſequitur. Igitur poſteaquam Urſus Regios ad pedes provolutus, palmam in Codice utramque expanſam ſtatuit, tum Magiſter praire verba hæc cœpit; Urſuſque ea eſt ſecutus: Urſus ego Urſinus Nolæ, & Atripaldi Comes, Aſculi, Lauri, ac Forini Dominus, illorumque, & agrorum, & finium, civium, atque popularium, tibi Ferdinando Regi, liberiſque, ſucceſſoribuſque in Regno Neapolitano tuis polliceor, promitto, ſpondeo pro liberis, ſucceſſoribuſque in hiſce item urbibus, oppidis, agris, finibuſque meis, fidelem meque, illoſque utique futuros, tuiſque, illorumque imperiis ubique meque, illoſque parituros, atque imperata facturos, cum*

 hiſce

hiſce urbibus, oppidis, agris, finibus, popularibuſque, perpetua cum conſtantia, & fide. Si quid vero adverſum teve, illoſve, parari fraudis, dolive, inſidiarumve audiero, ſciero, compertumve, ſignificatumve habuero, indicaturum illud e veſtigio, ac facturum palam tibique, illiſque: officia demum obiturum, meque, illoſque omnia domi, foriſque, pace, belloque adverſum quoſcumque, ac pro imperio, quæ probi, & fidelis ſubjecti jure, lege, natura, obeunda, ac præſtanda ſunt Regi. Deumque his optimum Maximum teſtem invoco, perque hæc ſacroſancta Evangelia ſciens, volens, libenſque verbis conceptis juro. Atque his dictis, manus ipſe e libris ſuſtulit. Tum Rex Urſi manus utriuſque digiti pollicibus apprehenſis, ſuoſque intra pollices iis inſertis devinxit illos ſuis, ſtatuitque ſuper Evangelia. Hic rurſum Urſus, Magiſtro præeunte verba: Ego me, inquit, cum liberis ſucceſſoribuſque meis, Ferdinandi Regis mei, Domini mei, liberorum, ac ſucceſſorum ejus ligium hominem ſtatuo, dedicoque, eumque me hic ſiſto. Hæc ubi dixit Regios oſculatus eſt pollices, Rexque ore ſuo illius os excepit, moxque comiter appellatum dimiſit. Is eſt uſitatus jurandi mos in verba Regum Neapolitanorum, quique ligios illorum ſe faciunt, ipſum hunc ſervant: dicti inde ligi, quod ligatis Reges pollicibus, illos fidei, imperiiſque ſic ſuis vinciant, atque obnoxios ſtatuant. Antiſtes ille, quem Evangeliorum libros in ſinu Regis adſtratos tenuiſſe refert Pontanus, non alius ſane fuit, quam qui in Aula aderat, & ſacro ibi fungebatur miniſterio. Et vetuſtiſſimum fuiſſe morem alibi diximus, ut Aulici Capellani exciperent ſacramenta Regibus perſolvenda, ad Sanctorum Reliquias in Oratorio Palatino aſſervatas. Quod vero in faciendo hominio vaſſallus inter manus domini junctas manus immittat ad ſubjectionem denotandam, id uſitatiſſimum ubique fuit, ac pluribus exemplis conſtat apud Cangium in Gloſſario, verbo *Hominium*. Non ita tamen de oſculo pollicum, quod in Delphinatu a plebeis in faciendo hominio præſtitum, non vero a nobilibus, qui anulum, vel manum Domini oſculabantur, ſcribit Dionyſius Salvaingus lib. de uſu feud. cap. 4. & apud Provinciales quoque obtinuiſſe colligitur ex Charta homagii anno 1371. Galterio de Ulmeto Domino de Maſalgiis præſtiti a ſuis Vaſſallis apud Cangium: *Et pollices veſtrarum manuum in ſignum veræ ſubmiſſionis & homagii devote oſculavimus*. E contra receptiſſimum fuit, ut præſtito hominio ad oſculum Domini vaſſallus admitteretur. Hinc ſæpe apud veteres mentio fit homagii manum & oris, quamvis ſolis nobilibus id permiſſum fuerit, uti colligitur ex Speculatore lib. 4. de Feudis §. *Quoniam* 2. n. 66. ubi: *Porro in Regno Franciæ facilius ſe expediunt, nam nobilis homo flexis genibus coram Rege, & immiſſis manibus junctis intra manus Regias ſibi fidelitatem jurat, & homagium facit, & Rex illum recipit ad oſculum; ſi vero ſit ignobilis, licet habeat nobile feudum, non recipitur ad oſculum*. Atque hæc fuit antiqua forma hominii faciendi.

XVI. Nunc vero temporis, etſi in inauguratione Regis ſacramenta, & hominia, ſolemni ritu, in Eccleſia, & coram Magno Capellano perſolvuntur; attamen ubi quis vel hæreditario jure, vel emptione, aut alio titulo feudum conſequitur, juramentum, & hominium præſtat coram Miniſtro Regis ad hanc rem delegato, flexis genibus, poſitis ſuper Evangeliorum librum apertum manibus, recitata juramenti formula, conjunctiſque cum eo manibus, ac devinctis, & ab

eo

eo donatur oſculo. Formula vero juramenti his fere verbis conſtat: *Io N. N. utile Padrone della N. in detto nome riconoſcendo, e confeſſando il Sereniſſimo Signor D. Carlo per la Dio Grazia Re di Napoli, e di Sicilia, Infante di Spagna eſſer vero legittimo, & indubitato Re di Napoli, e di Sicilia, fo ſolenne giuramento all' Omnipotente Dio per i ſuoi Santi Vangeli corde & ore jurando & propriis manibus tangendo a voi Signor Commiſſario, che eſſendo ſtato detto Signore . . . . . . ſin qua, etiandio da oggi avanti ſarà buono fedele, e Reale Vaſſallo, Suddito, e Feodatario della Maeſtà prædetta, e de' ſuoi predetti eredi e ſucceſſori, e di qualſiſia loro Officiali, e Miniſtri colla debita ſoggezzione, umiltà, e riverenza, e procurerà fedelmente, & accortamente l' utile ſervigio, onore, e ſalute della Maeſtà predetta, e de ſuoi Sereniſſimi eredi, e ſucceſſori, eſaltazione, & aumento de loro Stati, e conſervazione di queſto Regno. Item ſe alcuna coſa di loro perfidia, inſidia, o altro qualſiſia ſiniſtro male intenderà, che gl' inimici, emoli e ribelli della Maeſtà predetta, altri contro la ſua Regal perſona, e di detti ſuoi eredi machinaſſero, trattaſſero, o tentaſſero, li diſturberà & impedirà ſubito, e non potendo diſturbarli, o impedirli, lo rivelerà ſubito a Sua Maeſtà, e ſuoi predetti Sereniſſimi eredi, e ſucceſſori e loro Officiali, e Miniſtri, e contro li predetti emoli, e ribelli farà guerra, e tregua, ſiccome li ſarà comandato, e gli amici, aderenti, e ſeguaci di detta Maeſtà averà per amici, e benevoli, e così per lo contrario averà per inimici li ribelli e diſſobbedienti di detta Maeſtà, e finalmente oſſervarà, & eſeguirà tutte le altre coſe, e tutto quello, e quanto li buoni, fedeli, e leali vaſſali, ſudditi, e feodatarii ſono tenuti, e devono fare complire, & oſſervare per lo loro Re e Signore naturale, ſupremo, e diretto, quale eſſer confeſſo &c. . . . . e così nel nome ſuddetto giuro per li Santi Vangeli che tocco colle mie mani.* Item *Io N. N. mi fo uomo ligio della Maeſtà predetta, e de ſuoi Sereniſſimi eredi, e ſucceſſori promettendo fedeltà, lealtà, ligio, & omagio in mano di voi Signor Commiſſario aſſiſtente in queſto atto per la detta Maeſtà contro ogni perſona.* Simile ſacramentum, hominiumque ipſi feudi Domino perſolvunt ſubditi.

CAPUT XIII.

DE SACRIS QUIBUSDAM ALIIS CŒREMONIIS PALATINIS.

De Roſa aurea a Romano Pontifice benedicta . II. *Ritus* , *quo ea Summis Principibus datur* . III. *De Enſe & Pileo pariter a Romano Pontifice benedictis* IV. *His donati fuere nonnulli Neapolitani Principes ſtirpis Aragoniæ* . V. *Ordo hujus cæremoniæ deſcribitur* . VI. *De eadem rurſus* . VII. *De Cardinalatus inſignibus* . VIII. *De uſu mittendi ad abſentes Cardinalatus inſignia a Regibus conferenda* IX. *Ordo hujus cæremoniæ in Gallia*. X. *Et in Hiſpania*. XI. *Et in Luſitania*. XII. *Et in Aula Neapolitana*, *regnante* CAROLO BORBONIO. XIII. *Referuntur Pontificis de hac re Litteræ*. XIV. *Et ipſa cæremonia enarratur*.

CONſueverunt Summi Pontifices ab annis ſupra octingentis, uti colligitur ex Ordinibus Romanis editis a Mabillonio, quarta Dominica Quadrageſimæ, in qua cantatur *Lætare Hieruſalem*, in ipſius lætitiæ ſignum, adeuntes Eccleſiam S. Crucis ad agendam Liturgiam, Roſam auream muſco & balſamo inunctam equo inſidentes deferre, atque ad eam rem ſermonem in Liturgia habere, cuiuſmodi extat Innocentii III. ſermo, tum eam Præfecto Urbis tradere, a quo magna pompa, & comitatu ad ædes ſuas deferebatur. Invaluit deinde (neque enim in Ordinibus Romanis iſtius benedictionis fit mentio) ut Roſam illam ſuo in cubiculo quibuſdam precibus Romani Pontifices conſecrarent, & conſecratam deferrent, atque agentes Liturgiam ſuper Altari ſtatuerent, tamdem inſigni alicui Principi, qui præſens adeſſet, dono darent, vel ad abſentes tranſmitterent: cujus quidem rei meminit Benedictus Canonicus Baſilicæ Vaticanæ, auctor duodecimi ſæculi, in ſuo Cæremoniali. Ita eam Alexander III. anno 1163. Pariſiis degens Ludovico VII. Galliæ Regi dono dedit; & anno 1177. cum Venetiis moraretur, in eadem Dominica, *indutus ſacris veſtibus*, *& de conſuetudine auream ferens Roſam cum Epiſcopis*, *& Cardinalibus ad Altare majus proceſſit*: *Poſt Evangelicam lectionem*, *populo Dei ex diverſis partibus congregato paſtoraliter prædicavit*: *Et completis Miſſarum officiis*, *Roſam*, *quam detulerat*, *Duci Venetiarum in ſignum gratiæ Sedis Apoſtolicæ contulit*, ut habent Acta ejuſdem Pontificis apud Baronium. Eumdemque morem ſequentes Romani Pontifices ſervarunt: ſiquidem Honorius III. Alphonſum Hiſpaniæ Regem; Clemens VI. Ludovicum Regem Hungariæ; Eugenius IV. Sigiſmundum Imperatorem; Callixtus III. Carolum Regem Galliæ; Julius II. Emmanuelem Regem Luſitaniæ; Urbanus VIII. Mariam Auſtriacam ſororem Philippi IV. Neapoli degentem; aliique Romani Pontifices, alios Reges, Principeſve, inſignes quoque Proceres, illuſtres Eccleſias, uti conſtat ex indice a Car-

Carolo Cartario edito in opuſculo de Roſa aurea, hoc ſacro munere donarunt. Neapolitanis etiam Regibus non ſemel Roſam auream conceſſere. Nam Urbanus V. anno 1368. eam dono dedit Joannæ Reginæ, uti ſcribit his verbis Rainaldus; *Eodem menſe* (Martio) *venerunt ad ipſum Romam Joanna Regina Siciliæ, & Petrus Rex Cypri ſuperius nominati: & cum tunc occurreret Dominica Lætare Hieruſalem, in qua conſuevit dari per Papam Roſa aurea viro nobili, tunc in Curia exiſtenti, dictam Roſam memoratæ Joannæ tamquam nobiliori, majori, & excellentiori, licet vir non exiſteret, dedit; Regi prædicto ipſam in hoc præferendo, que more ſolito demum cum Cardinalibus, & aliis Nobilibus per Urbem equitavit*. Et Nicolaus V. Miſſo Neapolim Michaele Marliano Clerico Cameræ Apoſtolicæ, & Pontificio Cubiculario, deinde Epiſcopo Placentino, eamdem ad Alphonſum Regem tranſmiſit: cujus rei meminit Ughellius in Epiſcopis Placentinis, & Morigia de Nobilitate Mediolanenſi. Helionora Alphonſi Neapolitani Regis neptis, Friderico III. Imperatori deſponſata, Romam adiens, eodem ſacro munere donata fuit anno 1451. a Nicolao V. Pontifice, uti narrat Ciacconius in hujus vita. Qui idem teſtis eſt Paulum II. anno 1470. Roſam auream Friderico Ferdinandi Neapolitani Regis filio conceſſiſſe: *Per id tempus*, ait, *Fridericus adoleſcens egregius, Ferdinandi filius, Mediolanum iturus ad ducendam Franciſci Sfortiæ filiam, fratris uxorem, in Regnum, Romam veniens, prodeunte obviam honeſtiſſimo quoque, & Roderico Vicecancellario, perbenigne a Paulo ſuſcipitur, ac Roſa donatur, quam Pontifices quotannis donare alicui ex Principibus Chriſtianis conſuevere*. Nonnullis vero abhinc annis, nempe anno 1741. Sereniſſima Maria Amalia Regina utriuſque Siciliæ donata eſt ſacro Roſæ aureæ munere in honoris, & benevolentiæ argumentum a Sanctiſſimo Papa Benedicto XIV. ablegato Neapolim ad eam deferendam Paſchali Acquaviva, a Pontificis Cubiculo, e nobiliſſima gente Comitum Cuperſani. Sed & Magnatibus Regn Neapolitani datam quandoque fuiſſe referunt Scriptores, uti Nicolao Acciajolo Seneſcallo Regis, & ejus apud Pontificem Oratore, ab Innocentio VI. & Raymundo Urſino Comiti Nolæ ab Urbano VI. Pontifice.

II. Porro ipſum hoc munus, quod precibus, & benedictione Summi Pontificis ſit conſecratum, ſacro quodam ritu dandum, tranſmittendum, excipiendumque præſcribit Cæremoniale Romanum. Si enim præſens in Aula Romana ſit, qui aurea Roſa eſt donandus, hunc jubet flexis genibus ſacrum illud munus, abſoluta Liturgia, vel in Capella, vel in cubiculo Pontificio, accipere a Pontifice, his verbis: *Accipe Roſam de manibus noſtris, qui licet immeriti locum Dei in terris tenemus, per quam deſignatur gaudium utriuſque Hieruſalem triumphantis ſcilicet & militantis Eccleſiæ, per quem omnibus Chriſti fidelibus manifeſtatur flos ipſe ſpecioſiſſimus, qui eſt gaudium, & corona Sanctorum omnium: Suſcipe hanc tu, dilectiſſime fili, qui ſecundum ſæculum nobilis, & multa virtute præditus es, ut amplius omni virtute in Chriſto nobiliteris, tamquam Roſa plantata ſuper rivos aquarum multarum, quam gratiam ex ſua uberanti clementia tibi concedere dignetur, qui eſt trinus, & unus in ſæcula ſæculorum. Amen:* eumdemque ſtatuit, acceptam Roſam deferentem, Urbem equitare, & quidem, ſi Rex ſit, a Cardinalibus aſſociatum. Ad abſentes vero Reges tranſmittendam, quandoque illorum in Urbe Oratoribus

Ro-

Romani Pontifices eam commiſere; uti Alexander VI. Oratori Hiſpano, Julius II. Oratori Poloniæ, & Leo X. Luſitanis Legatis. Quandoque aliquem e Pontificio famulitio ablegarunt, qui ſacrum illud munus deferret, & vel ipſe exhiberet Regibus, vel ab aliquo inſigni Antiſtite, cui id Pontifex demandaverit, exhibendum curaret. Nec raro Cardinales Legati a latere hoc munere functi ſunt: ſiquidem Cardinalis Franciſcus Barberinus, anno *1625.* auream Roſam præbuit Henrichettæ Borboniæ Anglorum Reginæ, Henrici IV. Galliæ Regis filiæ; & Cardinalis Nicolaus Ludoviſius, Legatus a latere Innocentii X. anno *1649.* Mariæ Philippi IV. Hiſpaniæ Regis conjugi. Qua autem pompa, quove ritu, ſacrum hocce munus ſit Regibus porrigendum, deſcribit Paris Craſſus in ſuo Cæremoniali; quod nempe venienti Pontificio Ablegato obviam a Rege mittantur nobiles viri, qui eamdem Roſam palam in manibus geſtantem deducant ad ædes, ubi ei eſt commorandum; quod Dominica, vel feſtiva dies ſtatuenda ſit agendæ cæremoniæ, & in Eccleſia, in cujus Ara principe, Roſa aurea eſt collocanda; quod antea, Sacrum ſit celebrandum, & ante benedictionem, Antiſtes, cui Pontifex injunxit officium Roſam auream tradendi, accepta Mitra ſedeat iu ſaldiſtorio ſacie verſus ad Regem ante Altare ſedentem, iiſque ſedentibus, legantur litteræ Romani Pontificis; quod lectis litteris, Antiſtes ſurgens Roſam de Altari ſumptam præbeat Regi provoluto in genua, his verbis: *Accipe Roſam de manibus noſtris, quam ex ſpeciali commiſſione Sanctiſſimi in Chriſto Patris N. N. nobis facta tibi tradimus, per quam deſignatur gaudium utriuſque Hieruſalem, ſcilicet triumphantis, & militantis Eccleſiæ &c.* quod denique data ab Antiſtite benedictione, Rex auream Roſam manibus ſuis deferens ad Ædes Regias redeat, illamque in Capella ſua cuſtodiat. Atque ad hunc modum, anno *1579.* Margaritæ Auſtriacæ Caroli V. Imperatoris filiæ, Parmenſium Duci; & anno *1584.* Principi Eleonoræ filiæ Ducis Hetruriæ porrigendam fuiſſe auream Roſam colligitur ex monumentis editis a Cartario in laudato Opuſculo. Sed Margaritæ Auſtriacæ conjugi Philippi III. Hiſpaniæ Regis ipſe Pontifex Clemens VIII. Ferrariæ degens anno *1598.* ſacram Roſam præbuit. In Cæremoniali Hiſpaniæ a Dumontio, & Roſſuetio edito ritus deſcribitur, quo Roſam auream a Gregorio XIV. Pontifice miſſam, die *24.* Auguſti, anno *1591.* in Eccleſia Regia S Laurentii ab Apocriſiario Pontificio accepit Catharina Infans Hiſpaniæ. Finitis nempe Veſpertinis Horis, Aprocriſiarius Pontificius ſacra induit ad Altare ornamenta, lectiſque litteris Pontificiis ab Aulico Secretario, Infans pluribus matronis ſtipata ad Altare acceſſit, & genua ſubmiſit, cui Antiſtes conſueta verborum formula Roſam præbuit, quam illa Magno Capellano Garſiæ Loayſæ tradidit deferendam. Pariter cum Clemens VIII. anno *1595.* Eliſabethæ Hiſpaniarum Infanti Roſam auream dono miſit, Apocriſiarius Pontificius hoc munere functus eſt in Capella Palatina, idemque Magnus Capellanus Garſias Loayſa ſacrum donum ante Sereniſſimam Principem detulit. Neque diverſo modo res ſe habuit anno *1618.* cum a Paulo V. Romano Pontifice Princeps Aſturicenſium (poſtea Philippus IV. Rex Hiſpaniæ) donatus eſt Enſe, Pileoque benedictis, atque Elitabetha Borbonia ejus conjux donata eſt Roſa aurea. Hanc cæremoniam in Capella Palatina Franciſcus Chirinus Patriarcha Hieroſolymitanus, & Aprocriſiarius Pontificius abſolvit, expleto Veſpertino Officio; Roſam Sereniſſima Infans oſculo

lo excepit, præbuitque Magno Capellano, qui redeunte ad ædes ſuas Infante, illam præferebat. Ex his patet, ſacram hanc cæremoniam in Capella Palatina agi ſolitam, merito hic ſuiſſe commemorandam.

III. Eadem cauſa agendum hic eſt de Enſe, & Pileo, qui a Romanis Pontificibus ex antiquo more, in die Natalis Domini, quibuſdam precibus ſanctificantur, & Regibus, vel Principibus dono mittuntur; tum religionis cauſa, ut olim Principes, ac belli Duces congreſſuri cum hoſtibus enſe benedicto ab Epiſcopis antea cingebantur, vexilloque utebantur precibus Eccleſiæ conſecrato; tum cauſa ſymboli, ut nempe admoneantur de imperio ſancte adminiſtrando, cum per Enſem Juſtitia; per Pileum ſuperaddita Columbæ effigie, dona Spiritus Sancti indigitentur. Teſtis eſt Theodoricus Urie in Hiſtoria Concilii Coſtantienſis, Joannem XXII. in die Natalis Domini Rem Divinam ſolemni ritu feciſſe, & Imperatorem Sigiſmundum decantaſſe Evangelium, *Exiit edictum;* peractoque Sacro, Enſem de manu Pontificis accepiſſe, admonitumque de Eccleſia tuenda, ac defendenda, id ſe pro viribus facturum dato ſacramento promiſiſſe. Mentio fit benedictionis Enſis & Pilei in libro de ſacris Romanæ Eccleſiæ cæremoniis ab Auguſtino Patricio Piccolomineo diligenter concinnato ſub Innocentio Papa VIII. & deinde edito a Chriſtophoro Marcello Archiepiſcopo Corcyrenſi, Pontificatum obtinente Leone X. Porro hæc militaria inſtrumenta largiri conſuevere Summi Pontifices Principibus de Eccleſia optime meritis, uti inter alios donarunt Callixtus III. Henrico IV. Caſtellæ Regi, quod Mauros Granatenſes ſubegiſſet; Pius II. Friderico III. Imperatori; Pius V. Ferdinando de Toleto Duci Albæ, ob res in Belgio contra Hereticos optime geſtas; Sixtus V. Alexandro Farneſio ob vindicatas ab Hæreticis ditiones Colonienſis Archiepiſcopi; Innocentius XI. Joanni III. Polonorum Regi, quod ejus virtute, Vienna Turcarum obſidione ſoluta fuiſſet; Alexander VIII. Franciſco Mauroceno Duci Venetorum ob ſubactam Venetorum imperio Corcyram; Clemens XI. Eugenio Sabaudo Principi ob expugnatum Temiſwarium: ac denique Sanctiſſimus Pontifex Benedictus XIV. anno 1747. Emmanueli Pinto emeritiſſimo Magno Hieroſolymitani Ordinis Magiſtro.

IV. Quoad Neapolitanos Principes, quamvis Urbanus VI. anno 1383. Neapoli in Mettopolitana Eccleſia in die Nativitatis Sacrum ſolemni ritu, præſente Carolo III. celebraverit, attamen Enſis vel Pilei benedicti, Regiſque traditi, nulla mentio fit a noſtrarum rerum Scriptoribus, qui tamen referunt, eumdem Pontificem die prima Januarii, ibidem Rem Divinam ſolemni ritu feciſſe, benedictoque vexillo, & Regi tradito, hunc declaraſſe S. R. E. Vexilliferum, tum Aloyſium Andegavenſem ejus æmulum diris devoviſſe: quod argumento eſt, illam cæremoniam benedictionis Enſis, & Pilei in Nativitate Domini nondum invaluiſſe. At Alexander VI. anno 1492. Fridericum Aragonium Ferdinandi I. Neapolitani Regis filium, qui Romam adierat, ut paterno nomine coleret Romanum Pontificem, donavit Enſe, Pileoque benedictis ipſa die Natalis Dominici, uti narrat Joannes Brochartus in ſuis Diariis MSS. his verbis: *Finita Miſſa, Papa aſcendit Solium, ubi benedixit Enſem, non tamen adſperſit, quia non erat ibi aqua benedicta. Tum dedit eum Illuſtriſſimo D. Friderico coram ſe genuflexo ſub verbis annotatis, ut ſolent Romani Pontifices:*

en-

expletis verbis, Papa recepit ipſum Principem ad Oſculum pedis, manus, & oris; ego dedi enſem ſuo Majori Domus, qui eum poſtea immediate ante ipſum Principem portavit. Papa ſub porticu S. Petri dedit licentiam omnibus Cardinalibus, & voluit, quod ipſi Cardinales omnes collegialiter uſque ad Palatium Apoſtolorum habitationis ſuæ aſſociarent, quia ſic fuerat nuper de ipſorum Cardinalium Conſilio ordinatum, ſicque factum eſt. Venimus per pontem S. Angeli via recta ad Campum Floræ, Domum de Maximis, Minervam, ad Apoſtolos. Interfuerunt 18. Cardinales, qui bini ſuccedentes ſibi mutuo equitarunt, inter Reverendiſſimos D. D. Senenſem, & Camerarium in ultimo loco equitantes Princeps medius, & immediate ante ipſum Miles Enſem cum Pileo geſtans, more ſolito. Hi autem Cardinales interfuerunt, videlicet Neapolitanus, S. Petri ad Vincula, S. Angeli, Ulyſſiponenſis, Rachanatenſis, S. Clementis, Januenſis, Parmenſis, Beneventanus, S. Anaſtaſiæ, Montiſregalis, S. Severini, Aſcanius, Urſinus, Columna, Sabellus, Camerarius, Senenſis. Cum eſſent ante portam Palatii Apoſtolorum (ubi Princeps diverſabatur) *Cardinales ordine ſolito ſe locarunt, quibus ex more Princeps egit gratias, & receſſerunt omnes. Ad primam lectionem dedit aquam manibus Leonus Orator Venetus; ad ſecundam Dux Gravinæ, Orator Regis Neapolitani, ut Orator, non ut Dux; ad tertiam Magn. D. Joannes della Serra Regis Orator Franciæ, & affinis Papæ; is debebat ſecundam frediſſe, & dictus Dux tertiam, tamen ſic voluit Pontifex; ad quartam Illuſtriſſimus D. Fridericus.* Narrat & ibi Brochartus, qua pompa, quoque ordine Fridericus Aragonius Romæ exceptus fuerit, quod nempe ei venienti ad Eccleſiam uſque Lateranenſem obviam ivere tum Cardinalium famuli, tum nobiles plurimi viri, tum nomine Romani Pontificis Cardinales duo, nempe Montiſregalis e Presbyterorum Ordine conſanguineus Papæ, & Aſcanius ex Ordine Diaconorum, qui eumdem inter eos medium receperunt; & ubi ad Capitolium ventum eſt, Palatini eidem occurrerunt, verba faciente Bartholomeo Epiſcopo Segobienſi, Præfecto Apoſtolici Palatii; quodque ei locus tum in Capella, tum in Conciſtorio datus inter duos ultimos Cardinales. Memorat & alios Oratores cum eo miſſos, nempe Vincentium Archiepiſcopum Acheruntium, Zenonem S. Marci Epiſcopum, Hieronymum Epiſcopum Policaſtienſem, Franciſcum Ducem Gravinæ, Carolum Comitem Venaſri, Lucium Comitem Conchæ, & Bartholomæum Comitem Palenæ; ornatumque Principis ita deſcribit: *Princeps veſte de velluto violaceo indutus erat, collanam habens ex perlis, & lapidibus æſtimationis ſex millium ducatorum, cingulum cum enſe æſtimationis ejuſdem, frænum totum ex perlis, & pretioſis lapidibus compoſitum valoris trium millium ducatorum, ac totum equi ſui fornimentum auratum ab ante, & retro geſtans: præcedebant Familiam ſuam Salmæ 200. omnes copertis rubeis; familiares vero ad numerum inter 700. & 800., quos tamen, ut audivi, ad eam ſummam non aſcendere dicebatur.* Narrat quoque, die 21. Decembris, feſto S. Thomæ, in Conſiſtorio publico præſtitiſſe paterno nomine Romano Pontifici obedientiam, a duobus ultimis Cardinalibus Diaconis, & a Palatinis aſſociatum, exhibitis, lectiſque Regis ejus parentis litteris, Epiſcopum S Marci verba feciſſe, ac tamdem, finito Conciſtorio, Principem detuliſſe fimbrias poſteriores Pluvialis Papæ. Illud vero haud eſt ſilentio prætereundum, quod nempe Pontifex in Matutinis Officiis Na-

Natalis Domini, quintam lectionem canendam voluerit ab ipſo Friderico Aragonio, cui Enſis benedictus tradendus erat. Ita enim addit Brochartus. *Antequam hoc mane ſecretam ſuam Cameram exiret S. D. N. intellectis autem tribus diverſis ordinibus in dicendis lectionibus in Matutinis Natalis Domini diverſis temporibus obſervatis, voluit, quod primam lectionem Accolitus, ſecundam Auditor, tertiam Subdiaconus, quartam Reverendiſſimus D. Cardinalis Montiſregalis junior Presbyter, quintam Illuſtriſſimus D. Fridericus Enſem habiturus, ſextam Reverendiſſimus D. Cardinalis S. Anaſtaſiæ, ſeptimam Vicecancellarius, octavam Senenſis, Diaconi Sanctitatis Suæ Aſſiſtentes dicerent, & nonam Sanctitas Sua ſe dicturum dixit, quod voluit ſingulis per me intimari, prout tunc feci:* tum deſcribens Matutina Officia Natalis Dominici, refert quintam lectionem a D. Friderico decantatam fuiſſe: *quintam*, ait, *Illuſtriſſimus D. Fridericus indutus ſuperpelliceo pluviali accinctus enſe, obſervatis prius ſolitis cæremoniis*. Eumdem Pontificem anno 1494. in die Natalis Domini Enſem benedictum præbuiſſe Ferdinando Calabriæ Duci, Alphonſi II. Neapolitani Regis filio, indicat in ſuis Diariis idem Brochartus; hinc inveſtitum Ferdinandum de Calabriæ Ducatu ſcripſit Summontius. At anno 1496. Alexander Pontifex Philippum Archiducem Auſtriæ, Ducemque Burgundiæ donavit Enſe & Pileo; & anno 1497. Ducem Stetinenſem Regiæ ſtirpis Principem, qui Romæ aderat, uti refert Brochartus: *Publicata Indulgentia plenaria, & Evangelio S. Joannis poſt Miſſam per Papam lecto, Papa aſcendit ad Solium, ubi cum Mitra ſedens donavit Enſem, quem hodie, antequam Cameram Papagalli paratus exiret, publice benedixit ſub verbis in Cæremoniali ad hoc ordinatis; Illuſtriſſimo Duci Stetinenſi ſupradicto coram ſe genuflexo, cujus nomine volui Sanctitati Suæ poſt ipſum Enſem ſibi datum paucis verbis ad hoc aptis per me conceptis, gratias agere, ſed Papa aſſerens, id conſuetum non eſſe, negavit me audire, exiſtimo ne haberet ex tempore reſpondere. Dux enſem cum Cappello habito conſignavit uni ex ſuis nobilibus, qui ipſum continuo ante Ducem portavit, & deſcendit ipſe Dux cum Enſe ad planum Capellæ.*

V. Sequenti vero anno, Ludovico XI. Francorum Regi tranſmittendum Pontifex decrevit: *Anno a nativitate D. N. Jeſu Chriſti*, ait Brochartus, 1498. *die Martis* 25. *dicti menſis Decembris S. D. N, circa horam* 16. *vel quamprimum venit ad Cameram Pappagalli, ubi receptis paramentis, dempta Mitra, benedixit Enſem, aſperſit, incenſavit more ſolito, ipſum me tenente quouſque D. Andrianus Clericus Cameræ ſuperpelliceo indueretur, qui ipſum deinde ante Crucem ad Baſilicam prædictam portavit, & reportavit. Finita Miſſa more ſolito, Papa antequam exiret Cameram ſecretam convocatis ad ſe Cardinalibus decrevit Enſem cum Pileo mittere Illuſtriſſimo D. Ludovico XI. Francorum Regi Chriſtianiſſimo. Venit deinde ad Baſilicam prædictam proceſſionaliter ordine conſueto ſub Thiara, ſive Regno, & licet prædictus D. Adrianus etiam Protonotarius, & Secretarius Apoſtolicus, ac habitum Protonotarii deferret, tamen quia enſem deferre ſpectabat ad Clericos Cameræ, non autem ad Protonotarios, vel Secretarios, volui quod in habitu Clerici Cameræ, non Protonotarii, vel Secretarii, ut conveniebat, ipſum enſem portaret, prout factum eſt.* Ex his patet, quo olim ritu Romani Pontifices Enſem Pileumque tradiderint. Cum vero ad abſentes hæc munera tranſmiſſa ſunt, pariter non ſine ſole-

ni, ſacroque ritu exhibenda fuere. Ita cum ab Innocentio X. Rex Poloniæ donatus eſt Enſe, & Pileo, & ejus conjux Roſa aurea, Archiepiſcopo Andrinopolitano Apocriſario Pontificio datum eſt in mandatis, ut in illorum munerum traditione hunc ſervaret ordinem relatum a Cartario in laudata Diſſertatione. *Ordo ſervandus in traditione Enſis, & Roſæ aureæ. Ad Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. D. Archiepiſcopum Andrinopolitanum apud Regem Poloniæ Apoſtolicæ Sedis Nuncium. Statim ac ad manus Dominationis veſtræ Illuſtriſſimæ pervenerint Roſa aurea, Enſis cum Galero, & Brevia Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ, Sereniſſimis Regi, & Reginæ, Sanctitatis Suæ nomine præſentanda, hoc idem ipſe iiſdem notum faciet; ab iiſque diem præſentationis celebrandæ ſtatui curabit, & Brevia Regi, ac Reginæ conſignabit; non tamen niſi in ipſo Enſis, & Roſæ traditionis actu aperiendo. Qua die, Dominatio veſtra Illuſtriſſima (modo ſi commode poterit) cum ſolemni equitatu Eccleſiam deſignatam adibit, immediate ante Dominationem veſtram Illuſtriſſimam equitando præeuntibus duobus familiaribus, talari habitu indutis, altero Roſam auream, altero Enſem cum Galero deſuper appoſito, deferentibus. In Eccleſia ponetur Roſa ſupra medium Altaris prope Crucem: Enſis vero cum Galero a parte Epiſtolæ erectus ſuſtinebitur. Cumque Dominatio veſtra Illuſtriſſima e ſua habitatione diſcedet, Rex Regali indutus clamyde, una cum Regina Regiis itidem ornamentis amicta, e Regia diſcedet, ut ſimul ad eam horam in Eccleſia reperiri valeant. Statim ac pervenerit ad Eccleſiam, Dominatio veſtra Illuſtriſſima induet Paramenta ſacra prope faldiſtorium a parte Epiſtolæ collocandum; & Regem, ac Reginam advenientes capitis inclinatione reverebitur. Deinde Miſſam inchoabit, quam ſolemni, vel non ſolemni ritu, prout magis Regi placuerit, proſequetur. Reſponſo autem,* Deo gratias, *ad verſiculum,* Ite Miſſa eſt, *Dominatio veſtra Illuſtriſſima ſedebit in Faldiſtorio ante medium Altaris, renibus eidem verſis, cum Mitra. Rex mandabit legi Breve Sanctiſſimi Domini noſtri, quo alta voce perlecto, Sereniſſimus Rex accedet ad Dominationem veſtram Illuſtriſſimam, cui ante ſe ipſam genuflexo Galerum ſuper caput imponet: dicendo*: Accipe, Sereniſſime Rex, Galerum hunc, quem tibi elargiendum Sanctiſſimus univerſalis Eccleſiæ Paſtor ad nos tranſmiſit, aureis Spiritus Sancti radiis micantem, ubi candentes uniones, non rapacis Aquilæ crudelitatem, ſed paciferæ Columbæ innocentiam effingunt; ut ſcias, bella tum demum juſta eſſe, cum non uſurpandi imperii, aut opum rapiendarum cupidine geruntur; ſed ſuſcipiuntur, Spiritu Sancto admonente, ad propugnandam fidem, & ad ſtabiliendam pacem, quæ relicta Principibus terræ fuit hæreditas Chriſti in Cælum redeuntis; qui vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen *Deinde Dominatio veſtra Illuſtriſſima Enſem e vagina eductum eidem Sereniſſimo Regi attribuet dicendo*: Accipe inſuper Mucronem Domini, & Gladium ſalutis; & fiat in dextra virtutis tuæ, innocentium tutela, & impiorum flagellum, & ad gloriam Dei omnipotentis, & S. Matris Eccleſiæ illuceſcant coruſcationes ejus Orbi terræ. *Mox eodem Enſe intus vaginam repoſito Sereniſſimum Regem accinget, dicendo*: Accingat te Gladio ſuo ſuper femur tuum Potentiſſimus, qui ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Tu autem crebris victoriis cole Deum exercituum, & ultionum Dominum. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. *ter ſupra Regem Crucis ſignum producendo.*

Tunc

Tunc Rex dimiſſo Galero, manum Dominationis veſtræ Illuſtriſſimæ exoſculabitur, & ad thalamum revertetur. His abſolutis, Breve ad Sereniſſimam Reginam directum evulgabitur: eoque perlecto, Sereniſſima Regina ad Dominationem veſtram Illuſtriſſimam accedet, cui ante ipſam genuflexæ Roſam auream tradet dicendo: Accipe Roſam, quam tibi nomine Sanctiſſimi univerſalis Eccleſiæ Paſtoris Innocentii Domini noſtri elargimur, per quam deſignantur gaudium utriuſque Hieruſalem, triumphantis ſcilicet, & militantis Eccleſiæ, & per quam omnibus Chriſti Fidelibus manifeſtatur flos ipſe ſpecioſiſſimus, qui eſt gaudium, & corona Sanctorum omnium. Suſcipe hanc tu, Sereniſſima Regina, quæ ſecundum ſæculum nobilis, potens, & multa virtute prædita es, ut amplius omni virtute in Chriſto Domino nobiliteris, tamquam Roſa plantata ſuper rivos aquarum multarum; quam gratiam ex ſua uberanti clementia tibi concedere dignetur, qui eſt trinus, & unus in ſæcula ſæculorum. Amen. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: *ter ſignum Crucis ſuper Reginam producendo. Sereniſſima Regina manum Dominationis veſtræ Illuſtriſſimæ exoſculabitur, & ad Sedem ſuam ſe recipiet. Tunc Dominatio veſtra Illuſtriſſima ſolemnem Benedictionem populo elargietur, & reliquum Miſſæ de more abſolvet. Peracta Miſſa, ſolemniter ad Regiam redibit Rex Sereniſſimus cum Regina, ante ſe immediate equitantibus duobus Nobilibus Roſam auream, & Enſem cum Galero deſuper appoſito, deferentibus. Prædicta ſolemnitas decentius in digniori Eccleſia peragetur; verum ſi Sereniſſimo Regi magis placuerit, eadem in Sacello Palatii celebrare, utique ibidem rite, ac perfici poterit.*

VI. Deſcribunt Dumontius, & Roſſuetius in Cæremoniali Hiſpaniæ lib. 1. cap. 4. §. 13. quo ordine in Eccleſia Regia S. Laurentii, die 24. Auguſti, anno 1591. Philippus Princeps Aſturicenſium poſtea Philiphus III. Rex Hiſpaniæ, ab Apocriſiario Pontificio Enſem, Pileumque receperit a Gregorio XIV. tranſmiſſum. Narratur ibi, Pontificium Apocriſiarium Aulicis aſſociatum, præunte Prælato quodam ſacra munera deferente, adiiſſe Eccleſiam, indutumque in Sacrario veſtibus ſacris acceſſiſſe ad Altare ad Rem Divinam faciendam, collocatis ſuper eo ſacris muneribus, præſentibus Rege, & Principe ſub Regiis Cortinis; ad Miſſæ finem in ſaldiſtorio conſediſſe, lectiſque a Secretario Regio litteris Pontificiis, ſtantem, recitatis quibuſdam precibus, Enſe cinxiſſe Regem provolutum in genua, eductumque e vagina ei præbuiſſe, mox Pileum Regio capiti impoſuiſſe, denique univerſos benedictione donaſſe. Philippi III. filius primogenitus Princeps Aſturicenſium, qui deinde Philippi IV. nomine imperium tenuit, & ipſe donatus eſt Enſe, Pileoque a Paulo V. Pontifice, ſimulque Roſa aurea donata eſt Eliſabetha Borbonia illius conjux. Hanc cæremoniam Matriti in Capella Palatina peractam fuiſſe ab Aprocriſiario Pontificio Patriarcha Hieroſolymitano, celebrato Sacro, præſentibus Rege, & Principe ornatis Torque Velleris aurei, Oratoribus Principum, Magnatibus Aulæ, die 25. Septembris, anno 1618. conſtat ex laudato Cæremoniali Dumontii, atque Roſſuetii. Redeuntibus vero a Capella ad ædes ſuas Principibus, Supremus Præfectus Regii ſtabuli proximus inceſſit ante Principem deferens Enſem, Pileumque; Magnus vero Capellanus deferens Roſam auream proximus inceſſit ante Sereniſſimam Principem memorati Philippi uxorem.

VII. Sacris hiſce cæremoniis Capellæ Palitanæ addimus aliam,

Digitized by Google

qua Cardinales recens in hunc cœtum adſcitos, & in Aula præſentes, honoris cauſa, & nomine ipſius Summi Pontificis, Principes ipſi donant inſignibus illius dignitatis. Cujus quidem moris prima veſtigia non ultra ſæculum decimum tertium repetenda eſſe, patet ex eo, quod tunc primum ab Innocentio IV. in Concilio Lugdunenſi I. anno 1214. ut invitarentur ad amorem effundendi pro Eccleſia ſanguinis, Cardinales decorati fuerint purpureo galero. Quibus ne tum temporis quidem purpurea indumenta peculiaria fuerunt, utpote quæ Legatorum propria erant, his enim, ut majorem auctoritatem Romani Pontifices conciliarent, purpurea ſua veſtimenta communicarunt. Compertum ſiquidem eſt, priſcis illis temporibus, Romanorum Pontificum purpureas fuiſſe veſtes; & hinc Arnulphus Epiſcopus Aurelianenſis in Synodo Remenſi anno 991. cap. 28. indicat Romanorum Pontificem *in ſublimi ſolio reſidentem, veſte purpurea, & aurea radiantem*; & Joannes Sariſberienſis lib. *6.* de nugis Curial. cap. 24. eumdem dicit non *modo purpuratum, ſed deauratum* incedere; & Otto Friſingenſis lib. *6.* cap. 33. loquens de electione Leonis IX. ſcribit illum aſſumpſiſſe *purpuram Pontificalem*; denique Leo Oſtienſis lib. 3. cap. *6*5. agens de electione Urbani II. memorat cappam rubeam, quam Romani Pontifices induebant. Itaque, ut olim Vicariis Sedis Apoſtolicæ conceſſum eſt Pallium, ita & Legatis purpureum indumentum; quamobrem apud Rainaldum ad annum 1213. legitur Legatus Conſtantinopolim miſſus calceis, & indumentis rubeis amictus; atque Matthæus Weſtmonaſterienſis refert Joannem quemdam Rufum ab Innocentio in Hyberniam anno 1247. miſſum quaſi Legatum, non tamen rubris veſtibus inſignitum: hæcque Legatorum ornamenta vocantur ab Innocentio III. in Concilio Lateranenſi *inſignia Sedis Apoſtolicæ*. A Legatis ad Cardinales omnes profluxit illud veſtimenti genus; iiſdemque Paulus II. addidit rubrum galericulum, ſeu pileum, quem Biretum vocant, ut a Prælatis cæteris ſecerni poſſent in ſacris cæremoniis, ubi galeri uſus non eſt ullus. Ita tradit Cardinalis Papienſis lib. 2. Comm. *Cardinalibus, qui ſacris induti veſtibus a Prælatis inferiorum ordinum præterquam loco non noſcebantur, uſum mitræ ſericæ Damaſceni operis, rubraque capitia indulſit, quibus ſoli Antiſtites Romani antea utebantur.* Addit Platina in hujus Pontificis vita, prohibitum ab eo fuiſſe, ne quis præter Cardinales indumento illo purpureo caput tegeret. Deinde Gregorius XIV. anno 1591. Cardinalibus quoque e Cœnobiis, vel Monaſteriis adlectis rubrum pileum conceſſit: qua occaſione, Antonius Scappus de hac re libellum edidit.

VIII. Conſuetudo tamen mittendi pilei ad abſentes, non admodum vetuſta dici poteſt, uti notat Thomaſſinus par. 1. lib. 2. cap. 114. cum anno 1316. Joannes XXII. interpellatus a Galliæ Rege Philippo, ut recens creato Cardinali Gallo pileum mitteret, recuſaverit, excuſaveritque priſcum morem, per quem id minus liceret: *Quia nec prædeceſſores noſtri Romani Pontifices conſueverunt extra Curiam hujuſmodi pileos mittere*: & a temporibus B. Ludovici pileum Cardinalitium non eſſe miſſum, niſi ad duos Angliæ Nuncios, quorum neceſſe eſſet dignitatem exaggerari, ut hinc pondus, & authoritas accederet eorum ſtatutis. Clemens VI. cum Cardinalibus adſcripſiſſet Abbatem S. Dionyſii, pileum miſit, concrediditque tribus Epiſcopis cum epiſtola, qua ſignificabat, quamvis inoleviſſet mos, ut Romam proficiſcerentur pileo donandi a Papa: *Licet imitanda ſervarit*

rit antiquitas, ut ad honorem Cardinalatus evectus, non prius Capello rubeo uteretur, quam illum de manu Pontificis ſuſcepiſſet, miſſum tamen a ſe eſſe, quem a tribus acciperet Epiſcopis, quod certior factus eſſet, illum propter graviſſima Regni negotia, non poſſe a Rege divelli. Deinde invaluit mos, qui nunc temporis obtinet, ut rubrum galerum nulli abſenti, niſi Principi Regiæ ſtirpis tranſmittatur, bene veræ purpureum Biretum ad abſentes ab aliquo e Pontificio famulitio deferatur. Sique Cardinalitiis inſignibus donandus in alicujus Regis Aula commoratur, hunc ſolet Rex ipſe honoris cauſa exornare inſignibus collatæ ei dignitatis. Et id quidem Reges ut plurimum præſtant in Capella ſua Palatina.

IX. Sed in Aula Regum Galliæ, ſæpe in Capella, quandoque etiam in cubiculo Regis peractam teſtantur Dumontius, & Roſſuetius in Cæremoniali Galliæ; iique hunc cæremoniæ ordinem referunt. Ablegatus Pontificius primo ad inviſendum Regem, eique exhibendas Pontificis litteras ducitur ab Oratorum Receptore, ſalutatur a Rege detecto capite, & ubi Rex Pontificis litteras accipit, rurſum caput in honoris ſignum detegit. A conſpectu Regio ad Capellam pergens, ibi ſupra menſam rubrum Biretum in argentea concha a Capellano quodam porrecta collocat. Stata die, ad eamdem Cappellam ſe confert; quo etiam Receptor Oratorum curru Regio advectus Cardinalem ducit, ibi a Magno Cæremoniarum Præfecto excipitur, atque dum Sacrum celebratur, conſiſtit prope ſedem precatoriam Regis a ſiniſtra parte. Sacro peracto, Pontificius Ablegatus rubrum Biretum e menſa ſumptum Regi porrigit, qui illud capiti Cardinalis imponit, iſque ſurgens Regi gratias agit. Tum alibi purpureas veſtes induit, rurſum ad Regem a Receptore Oratorum, & Magno cæremoniarum Præfecto ducitur; tum Reginam adit, venientique occurrit Aulica Matrona; ad Delphinum tamdem, cæteroſque Regiæ familiæ Principes ſalutandos pergit, quos alloquens ſedet, detecto capite. Olim quidem, imperante Henrico III. mos fuit, ut qui a Rege accipiebant Cardinalatus inſigne, ſive exteri, ſive ſubditi, eo die cum Rege diſcumberent. At imperante Henrico IV. deſiit mos ille, ſolique Apocriſiario in Gallia Pontificio ad Cardinalatum promoto ſervata eſt hujuſmodi honoris prærogativa. Et hunc quidem Capellam adeuntem ad accipienda Cardinalitia inſignia, nedum Oratorum Receptor, ſed & e Principum numero aliquis comitantur; militeſque conſueto militari obſequio colunt, ingredientem Capellam medium inter Principem a dextra, & Receptorem a ſiniſtra, Magnus Præfectus cæremoniarum excipit. Acceptis inſignibus, accumbit menſæ una cum Rege, qui ſurgens detecto capite ſe in honorem, ac proſperitatem Romani Pontificis biturum enunciat; tum ſedens, opertoque capite bibit: at Cardinali ſtandum eſt detecto capite, bibente Rege. Mox ſtans Cardinalis ipſe in honorem, & obſequium Regis ebibit. Porro in eorum numero, qui a Rege acceperunt Cardinalatus inſignia, fuere anno 1622. Lugduni, Armandus Richelius Epiſcopus Lucionenſis, & anno 1634. in Capella Palatina Fontisbellaquei Alexander Bichius Apocriſiarius Pontificius: at Petrum Berullium ab Urbano VIII. in Collegium Cardinalium adſcitum anno 1627. inſignia illa accepiſſe a Maria Medicea Galliæ Regina ſcribunt citato loco Dumontius & Roſſuetius.

V. Eamdem hanc cæremoniam Hiſpani Reges agere etiam conſueverunt in Capella Palatina. Ciacconius in vitis Romanorum Pontificum

cum ordinem indigitat, quo Albertus Auſtriacus, Archidux Auſtriæ, Maximiliani II. Imperatoris filius, anno 1577. rubrum Biretum, Galerumque a Gregorio XIII. Pontifice illi tranſmiſſum acceperit: *Laudavit*, inquit, *Gregorius Albertum in Senatu, & per Comitem Annibalem Pepulum patritium Bononienſem, Cardinali S. Sixti conjunctum, & ab intimo ipſius Pontificis cubiculo, Alberto pileum, & galerum purpureum peculiari benignitate miſit; Reginæ vero Hiſpaniarum Roſam auream Pontificia conſecratione nobilem. Pervenit Madritum Pepulus Quadrageſimæ pene exeunte, Nicolao Ormanetto Epiſcopo Patavino, Apoſtolico Internuncio adhuc ſuperſtite, qui eum direxit, in Regioque Sacello extra Madritum Albertum tondens Clericali militiæ adſcripſit, & rubeo bireto coram Rege, Reginaque honeſtavit: traditio tamen galeri, Regis voluntate in diem Pentecoſtes rejecta eſt. Tunc in celeberrimo S. Laurentii Templo apud Monachos Hieronymianos Ormanettus Sacrum ſolemni ritu celebravit, & galerum rubrum, ampliſſimæ dignitatis inſigne, Rege, & Regio ſanguine ſpectante, Alberti capiti impoſuit, & hic jurejurando, ut receptum eſt more, ſe obſtrinxit: Die ſequenti, Internuncius idem ſolemne Sacrum peregit, ſedenſque, Reginæ, quæ ſola ad Aram aſcenderat, Pontificium aureæ Roſæ donum, Rege, Regiiſque præſentibus, tradidit, & illa religioſe accepit*. Namque Principibus Regiæ ſtirpis tum rubeum Biretum, tum Galerum conſueverunt Romani Pontifices tranſmittere; etſi quandoque alios etiam hac honoris prærogativa affecerint, uti Gregorius XIII. anno 1583. Rodericum de Caſtro, virum nobiliſſimum, de quo Ciacconius: *Philippus Hiſpaniarum Rex ab ipſo Pontifice jampridem petierat, ut galerum dignitatis inſigne Roderico abſenti mitteret; ad hoc Gregorius nonniſi poſt multos menſes adduci potuit; non enim impedimentum agnoſcebat, quod Rodericum ne Romam proficiſceretur, retardaret*. Et Pius IV. anno 1561. Stanislao Hoſio pileum & galerum Viennam uſque tranſmiſit, quæ ille accepit inſignia ab Archiepiſcopo Strigonienſi. Cæterum Alberto non Rex ipſe, ſed Apocriſarius Pontificius contulit Cardinalatus inſignia. At Sereniſſimum Infantem Ludovicum Borbonium Philippi V. Hiſpaniarum Regis, & Eliſabethæ Farneſiæ filium, a Clemente XII. an. 1735. in Cardinalium Ordinem adſcitum, ablegato in Hiſpaniam Joanne Conſtantio Caracciolo e Principibus Sancti Boni, viro nobiliſſimo, atque ornatiſſimo, tunc Pontificis a cubiculo, poſtea Cameræ Apoſtolicæ Clerico, nunc vero Cardinale ampliſſimo, qui rubeum Biretum deferret, Rex ipſe donavit inſignibus collatæ Eccleſiaſticæ dignitatis. Ea vero cæremonia, nulla ſolemni pompa, & in Oratorio privato Regis, die 11. Martii, anno 1736. peracta eſt, quod ruri, in loco Regiis deliciis addicto, quem *Pardo* nuncupant, Rex, & Regia familia recreationis cauſa commoraretur. Ablegato tamen Pontificio Madriti degenti, hoſpitium, menſa, vehicula a Rege magnificentiſſime ſuppeditata, cui ille Pontificias exhibuerat litteras, quas ſtans Rex accepit. Stata ad cæremoniam agendam die, Pontificius Ablegatus rubrum Biretum in argentea concha poſitum ſuper menſam prope Altare Capellæ Regis collocavit, tum ædes Cardinalis primum, deinde Regis ædes adiit, ut Regem, Regioſque Principes, una cum Hiſpaniæ Magnatibus, Oratoribus Principum, Aulicisque Capellam adeuntes aſſociaret. Sereniſſimus Cardinalis Infans, quod ea die occurreret quarta Dominica Quadrageſimæ, quæ dicitur *Lætare*, non roſaceas, ſed rubeas ve-

Digitized by Google

veſtes induit. In Capella ob anguſtiam loci, Aulici, Oratores, Magnateſque nullo ſervato ordine conſtitere: Ablegatus Pontificius Altari proximus adhæſit; Rex, Regina, Cardinalis, Regiique Principes prope Altare in cornu Epiſtolæ, Sacrum a Patriarca Indorum ſubmiſſa voce celebratum audivere. Sacro peracto, Ablegatus Pontificius primum exhibuit Regi litteras Pontificias, ſimulque eum paucis eſt allocutus, cui Rex paucis etiam reſpondit, gratum erga Romanum Pontificem animum, filialemque obſervantiam conteſtatus. Tum a Joſepho Patigno, qui Regis erat a ſummis imperii negotiis, lectæ ſunt Pontificiæ litteræ, iiſque lectis, Ablegatus Pontificius rubrum Biretum Regi porrexit, quod is ſurgens accepit, ac capiti Sereniſſimi Filii impoſuit. Quo facto, univerſi Regem ad ædes ſuas deduxere. Nullum tunc quidem a Sereniſſimo Cardinali præſtitum juramentum, ut moris eſt, a Cardinalibus recens promotis emittendum; quod illud in rubei Galeri ab Antonio Altovito delati traditione, ei eſſet perſolvendum. Verum non Regiis tantum Principibus in Cardinalium albo relatis, ſed & Apocriſariis in Hiſpania Pontificiis, aliiſque ex nominatione Regia Cardinalatu auctis, rubra inſignia Reges contulere. Ita anno 1747. cum a ſanctæ memoriæ Pontifice Benedicto XIV. Cardinalium Collegio adſcriptus eſt, petente Rege, Alvarus Mendozza Patriarcha Indorum; ablegatuſque in Hiſpaniam Gregorius Salviati nobiliſſimus adoleſcens, qui dignitatis inſignia deferret: Nam die 16. Julii, in Hieronymianorum Eccleſia (ſiquidem in rurali Palatio *del Buon Ritiro* Rex diverſabatur) Regi ſedenti in Solio Pontificias litteras in argenteo bacili ſupra menſam prope Altare poſitas Ablegatus Pontificius (qui locum, ſcamnulumque a cornu Evangelii inter Altare, & Solium Regium obtinebat) brevi latina oratione exhibuit; quas ubi Receptor Regii Sacelli legit, rubrum Biretum pariter in argenteo bacili poſitum ſupra eamdem menſam prope Altare in cornu Epiſtolæ præbuit Regi; ſimulque ad hujus Solium Patriarcha e loco ſuo inter Altare nempe & Pontificium Ablegatum (ubi ſcamnulum cum tapete, quod Patriarchatu emineret, occupabat) acceſſit; ejus capiti ſurgens Rex Cardinalitium inſigne impoſuit, eumdemque amplexu excepit. Quo facto, Cardinalis in Sacrario purpureas veſtes induit, redienſque ad Eccleſiam, ut Liturgiæ celebrationi adeſſet, conſedit e regione Solii Regii in ſede ſerici villoſi, ſubſtrato ejus pedibus tapeto cum pulvinari, uti Cardinalibus locus conceditur in Capella Regis Hiſpaniæ. Die hanc cæremoniam præcedenti, in Oratorio ſuo domeſtico, præſentibus Apocriſario, & Ablegato Pontificiis conſuetum ſacramentum a Cardinalibus dandum, exoluerat.

XI. Progredimur ad Aulam Regum Luſitaniæ, ubi etiam Cardinales recens promoti donantur a Rege ornamentis ſuæ ampliſſimæ dignitatis. Ita anno 1707. die 6. Januarii Michael Angelus Conti Apocriſiarius in Luſitania Pontificius, a Clemente XI. Pontifice Cardinalatu auctus, donatus eſt a Joanne V. Rege in Palatino Oratorio Bireto rubro, uti narrat Antonius Cajetanus Souſa Teatinus tom. 8. lib. 7. cap. 6. pag. 28. Hiſtoriæ Regum Luſitaniæ. Is idem pag. 132. accurate deſcribit, quo ritu ab eodem Joanne V. religioſiſſimo Luſitaniæ Rege acceperit anno 1712. Cardinalatus inſignia Nunus da Cunha de Ataide, Epiſcopus Targenſis, Magnus Regis Capellanus, & ſupremus in Luſitania Fidei Vindex, his verbis: *Na promocaõn, que o Papa Clemente XI. fez neſte meſmo anno de* 1712. *foy por nomina del Rey crea-*

creado Cardeal Nuno da Gunha de Ataide, Biſpo de Targa, do Conſelho de Eſtado, Miniſtro do Deſpacho, Capellaõ mor, e Inquiſidor Geral deſtes Reynos, em quem concorriaõ além de taõ grandes lugares, ſangue illuſtre, virtudes, e lettras, que o fizeraõ benemerito da particular honra, com que el Rey o favorecia, e que elle nunca deſmereceo. Chegou a noticia a Lisboa por hum Expreſſo a 15. de Julho do referido anno, e foy recebida com univerſal applauſo da Corte. Tanto, que o Cardeal recebeo o aviſo de Roma, paſſou a render as graças a el Rey, e a Rainha, que eſtavaõ de reſidencia em Pedrouços na Quinta do Duque de Cadaual. Trouxelhe o Barrete Monſenhor Marculini, Camereiro privado do Papa, e no dia 8. de Outubro em hum Sabbado determinou el Rey de lhe fazer a honra de lhe por com a ſua Real maõ o Barrete; e aſſim no referido dia, as onze horas da manhãa, foyo Cardeal ao Paço em publico com hum luzido eſtado, compoſto ainda das veſtes Epiſcopaes roxas, como andava, levando comſigo na liteira ao Prelado, que lhe trouxera o Barrete, ſendo acompanhado de todos os Grandes, e Fidalgos da Corte, entrando no pateo da Capella, por ordem, que tiveraõ, o foraõ receber o Conde de Redondo Thomé de Souſa, Vedor da Caſa del Rey, e Dom Filippe de Souſa, Capitaõ da Guarda Alemãa, com a meſma guarda, que ſe poz em duas alas para elle paſſar: e ſendo conduzido a huma ſalla do Paço da parte do Forte, eſtava nella hum Altar ricamente ornado, e da parte da Epiſtola hum boſete coberto com hum pano, e ſobre elle huma bandeija dourada, em que eſtava o Barrete, que naquelle lugar puzera o Guarda de Tapeſſaria Ioaõ de Leiros, coberto com hum tafetà encarnado: eſtava huma almofada de tela para el Rey, e outra hum pouco diſtante de veludo para o Cardeal, Sahio el Rey para ouvir Miſſa, e o Prelado l'he offereceo en huma ſalva a Bulla do Papa, que el Rey tomou, e tornado-a a por na ſalva, a mandou ler pelo Prelado, que lida, a tornou a offerecer a el Rey, o qual lhe ordenou a deſſe ao Cardeal. Acabada a Miſſa tomou o Meſtre das Ceremonias a ſalva, em que eſtava o Barrete, e dando-a a Monſenhor Marculini, apreſentou a el Rey o Carrete: que tomando-o, o poz na cabeça do Cardeal. Acabada la ceremonia da impoſiçaõ do Barrete, foy a Cardeal conduzido até huma caſa, onde eſtava ſobre hum boſete huma bandeija de prata, na qual eſtavaõ as Veſtes Cardinalicias, e huma cadeira de veludo franaida de ouro. Neſta caſa, que ſe deputou para o Cardeal depor as veſtiduras roxa, e tomar a purpura, nao entrarao mais, que os ſeus criados. Depois paſſou a audiencia del Rey accompanhado dos dous Conductores. Os Grandes eſtavaõ cobertos no lugar, que lhe tocava, e os Officiaes da Caſa Real, no que lhe pertencia, Entrou o Cardeal, e a primeira venia, que fez, tirou el Rey o chapeo, e o meſmo fez a ſegunda, e quando o Cardeal chegou, deu el Rey tres paſſos: o Cardeal com hum profundo reſpeito lhe fez huma revereneia, e logo Repoſteiro trouxe huma cadeira de eſpaldas, e de veludo, e quando el Rey o mandou ſentar, lhe chegou a cadeira o Porteiro da Camera Antonio Rebello da Fonſeca; e depois de ſe cobrir, mandou por o Barrete ao Cardeal, e coberto, rendeo a el Rey as graças por taõ repetidas honras, com que a ſua innata benignitade o favorecia, e honrava, attendendo a elle ſer em tudo feitura da ſu Real grandeza, a que el Rey reſpondeo com palauras de eſtimaçaõ, e levantandoſe, affaſtou a cadeira o Porteiro da Camera, e a levou o Re-

po-

poſteiro, e o Cardeal foy acompanhando a el Rey detraz atè a ſua Camera: e paſſou logo a audiencia da Rainha, que eſtava aſſentada, e quando chegou quaſi a penta da eſtrado, ſe levantou, dando tres paſſos, e mandando-o aſſentar na cadeira, que chegou o Perteiro da ſua Camera, o mandou cobrir, e depois do Cardeal expreſſar a ſua grande obrigaçaõ, ſe deſpedio, e como era Capellaõ mor, foy a Capella Real, acompanhado dos Conductores, e de muitos Senhores, a fazor oraçaõ. Ex his habes cæremoniam illam in Capella Palatina peractam, Cardinalem a nonnullis Aulicis Officialibus exceptum, inſtructum in acie militem, nobilem ſedem Cardinali conceſſam, lectas ab Ablegato Pontificis litteras, Sacrum celebratum, Biretum a Rege Cardinali impoſitum, denique a Rege, & Regina magnis honoribus exceptum, ſediſſe ante Regem capite operto.

XII. Narrat Ciacconius in vitis Romanorum Pontificum, & Cardinalium, Joannem Aragonium Ferdinandi Neapolitani Regis, & Iſabellæ Claromontiæ filium, a Sixto IV. anno 1477. in Cardinalium Ordinem cooptatum, in Neapolitana Eccleſia principe, die Ephiphaniæ, purpureum galerum a Franciſco Scannaſoricio delatum accepiſſe. Atque id præter morem, & ex privilegio illi indultum indicat Cardinalis Papienſis, his verbis: *Creatus jam dum is Cardinalis, ac tribus poſt menſibus ſolemni more apud nos publicatus; pileus etiam contra veterum Patrum conſuetudinem miſſus*. Meminit ejuſdem rei Summontius lib. 5. Hiſt. Neapol. ſcribens: *Il Pontefice Siſto IV. avendo nelli* 10. *di Dicembre creato Cardinale Giovanni d'Aragona figliuolo del Re, toſto gli mandò il Cappello roſſo ſino a Napoli per Franceſco Scannaſorice Commiſſario della Sede Apoſtolica, il quale nel giorno dell'Epifania del* 1478. *con molta cerimonia nella Chieſa Cattedrale ce lo conſegnò, nel qual atto celebrò la Meſſa ſolenne Giovan Paolo Vaſſallo Veſcovo d'Averſa*. Cardinalitia ſiquidem inſignia ad abſentes tranſmiſſa, in Eccleſia, & ſolemni pompa recipiebantur, cujuſmodi plura exempla apud Ciacconium occurrunt. Cæterum extincta, hoc ipſo ſæculo decimoquinto, quo Paulus II. Cardinalibus addiderat purpurei pilei ornamentum, noſtrorum Principum ſucceſſione, jam nulli ex hac Aula, & ex hoc Regno occurrunt, quibus Neapolitani Reges purpureum pileum impoſuerunt. Primus fortaſſe noſtris hiſce temporibus eo titulo contigit honeſtari ſpectatiſſimus genere, dignitate, ac virtute Neapolitani Regni Dynaſta, Dominicus Urſinus Dux Gravinenſium, Papæ Benedicti XIII. pronepos, Regis a cubiculo aurea clave donatus, Eques Torquatus Regalis Ordinis S. Januarii; quem Sereniſſimus Rex Carolus Borbonius exornavit inſignibus collatæ ei a Benedicto XIV. Pontifice Optimo Maximo Cardinalitiæ dignitatis. Ad eam rem Pontifex purpureum Biretum Neapolim deferendum, ut moris eſt, Philippo Pirellio Neapolitano, intimo ſuo Cubiculario commiſit; quem adhuc adoleſcentem ob ejus in utroque Jure peritiam, in Collegium Advocatorum Aulæ Conſiſtorialis ex duodecim etiam diverſarum Italiæ regionum doctis viris conflatum adſciverat, ut qui ſedem in eo conſeſſu Neapolitanis olim ab immortalis memoriæ Pontifice Innocentio XII. addictam, & ipſius munificentia eiſdem vindicatam, firmatamque, meritiſſime occuparet; datis in hanc rem hujuſmodi litteris ad Patres conſcriptos Neapolitanæ Civitatis. *Dilectis filiis Nobilibus Viris Electis Civitatis Neapolitanæ*. BENEDICTUS

 PP.

PP. XIV. Dilecti Filii Nobiles viri ſalutem, &c. Permagni ſemper fecimus inclytam veſtram Civitatem; egregiaque perpetuo apud Nos fuit opinio pietatis, atque obſervantiæ, quibus Nobilitates Veſtræ Pontificem Maximum, Romanamque Sedem debito cultu proſequutæ, veram ineſſe ſibi Religionem, hoc etiam documento palam oſtendunt. Quæ Nobis cum ante oculos obſervarentur, vix dum aſcendere in hanc ſupremam Eccleſiæ Cathedram, Dei manifeſto numine, juſſi fuimus, vicem Vobis reddere benevolentiæ noſtræ, ubicumque res ita ferat, profecto conſtituimus. Quocirca Dilectum Filium Philippum Mariam Pirellum in illuſtre Advocatorum Conſiſtorialium Collegium nominatione Veſtra cooptari mandavimus, gratumque Nobis accidit, ei primum poſt longas difficultates locum redditum fuiſſe, Veſtris Civibus in eodem Collegio aſſignatum. Illum ſiquidem novimus conſpicua clarum nobilitate, virtute, boniſque literis inſtructum, & modo ſedulam exhibet Nobis operam, ſtudiumque ſuum inter Noſtros intimos Cubicularios honorifice adſcriptus. Veſtro igitur non minus merito, quam benignitati noſtræ referre debetis quicquid geſtum a Nobis fuit pro reſtituendo uni ex Civibus veſtris Conſiſtorialis Advocationis decore; perſolutum idcirco Nobis obſequentiſſimis literis officium ab ea parte libenter inſpeximus, qua Veſtram erga Nos voluntatem plenam ſingularis obſequii, religioſæque venerationis officioſiſſime comprobavit. Et Nos quidem Apoſtolicam invicem Benedictionem Nobilitatibus Veſtris, Dilecti Filii Nobiles Viri, peramanter impertimur. Datum Romæ, & cæt. Die 4. Februarii 1742. Quibus ſane literis, tum clementiſſimi Pontificis erga Neapolitanos munificentia, tum Neapolitanorum erga Pontificem obſervantia, deque Sede Apoſtolica præclara merita inſigniter comprobantur.

XIII. Hunc itaque, (poſtea variis in Aula Romana muneribus, tum Cardinalatu auctum, atque hoc ipſo anno vivis ereptum), ablegavit Pontifex ut ſacrum inſigne deferret, Gravinenſium Duci conferendum: iſque die 10. Novembris, anno 1743. Neapolim adiit, facto antea ad extremam Pauſilippi oram periculo ſuæ valetudinis, quindecim fere dierum ſpatio, quod graſſante in Sicilia, & Calabria lue, publicæ incolumitati ita expediret. Tum præſtito in Capella Archiepiſcopalis Palatii a præfato Cardinali, conſueto juramento a Cardinalibus cum primum inaugurantur emittendo; indicta eſt a Rege dies 17. Decembris ad agendam cæremoniam: qua die, Pontificius Ablegatus, ſimulque Cardinalis, inſigni pompa ad Ædes Regias pervenere; & ille quidem a Receptore Oratorum ductus, Regem ſtantem, detectum capite, enſe cinctum, ſtipulatumque Aulæ Magnatibus adiit, delegationis ſuæ cauſam aperuit, Pontificias haſce litteras exhibuit: *Cariſſimo in Chriſto Filio noſtro* Carolo *utriuſque Siciliæ, & Hieruſalem Regi Illuſtri. BENEDICTUS PP. XIV. Cariſſime in Chriſto Fili noſter ſalutem &c. Obverſatur Nobis perpetuo ante oculos eximia Majeſtatis tuæ in Deum pietas, religioſa in hanc ſupremam Sedem obſervantia: Utraque vero Nos vehementer extimulat non modo ad reddendam tibi ſingularis paternæ caritatis vicem, ſed ad eam ubicumque commoda ferat occaſio, in tui memoriam redigendam, ut de gratiſſimo animo noſtro tibi penitus perſuaſum ſit. Cum igitur per dilectum Filium Philippum Mariam Pirellium intimum Familiarem noſtrum Illuſtri Cardinali Urſino mittamus purpureum Biretum, orna-*

men.

mentum acceptæ dudum ampliſſimæ dignitatis, ei mandavimus, ut præſens Majeſtatem tuam humili obſequio veneretur, de noſtroque flagrantiſſimo erga te animo, ſtudio, voluntate, certiorem faciat. Quicquid eidem Ablegato Regiæ benignitatis commodare tibi placuerit, argumento nobis erit, te favere virtuti, quæ in illo non mediocris ineſt; & qua plurimam a nobis benevolentiam ſibi conciliavit. Apoſtolicam interim Benedictionem, Cariſſime in Chriſto Fili noſter, Majeſtati tuæ amantiſſime impertimur. Datum Romæ die 23. Septembris 1743. Salutato Rege, Pontificius Ablegatus, Sereniſſimæ Reginæ Matronis Aulicis ſtipatæ, ducente illum pariter Oratorum Receptore, idem præſtitit officium, obſequiumque; porrectis Pontificiis literis hujuſcemodi: *Cariſſimæ in Chriſto Filiæ Noſtræ, Mariæ Amaliæ utriuſque Siciliæ, & Hieruſalem Reginæ Illuſtri. BENEDICTUS PP. XIV. Cariſſima in Chriſto Filia noſtra ſalutem &c. Incredibile nobis gaudium affert eximia Majeſtatis tuæ virtus, & in hanc Sanctiſſimam Sedem reverentia, de qua plurimum celebraris. Hinc enim vero augeſcit quotidie magis paternus amor erga te noſter, addictiſſimaque voluntas, quam palam tibi facere vehementer cupimus. Modo ſaltem ipſam intelliges commemorari a dilecto Filio Philippo Maria Pirellio intimo noſtro familiari, qui a nobis dimiſſus ad Cardinalem Urſinum cum purpureo Bireto indice acceptæ ampliſſimæ dignitatis, præcipuum mandatum habuit adeundæ Majeſtatis tuæ, ac renunciandi, Nos ſollicito ſtudio nuncupare aſſidua vota pro tua cumulatiſſima felicitate, quam ſcimus in bonum veræ Fidei te adhibituram. Ut Ablegatum noſtrum generis nobilitate, & ſplendidæ virtutis ornamento Nobis præcipue gratum, perhumaniter Regia benignitate proſequaris, obſecratam te eſſe volumus; eademque tua benignitas, id ita fore ſperare facit. Interea Majeſtati tuæ, Cariſſima in Chriſto Filia noſtra, Apoſtolicam Benedictionem amantiſſime impertimur. Datum Romæ &c. die 23. Septembris 1743.* Scripſerat quoque in eamdem rem Pontifex Joſepho Joachino de Monteallegre, Duci de Salas, qui Regis erat a ſummis imperii negotiis, litteras haſce: *Dilecto Filio Nobili Viro Duci de Salas utriuſque Siciliæ Regis Secretario Status. BENEDICTUS PP. XIV. Dilecte Fili Nobilis vir ſalutem &c. Cum iſthuc iter a Nobis aggrediatur Philippus Maria Pirellius purpureum Biretum ſuæ indicium dignitatis allaturus Dilecto Filio noſtro Cardinali Urſino, officioſe te convenire juſſimus, ac renuntiare ſingularem noſtram erga te benevolentiam reſpondentem viciſſim eximiæ tuæ in Apoſtolicam Sedem, ac nos ipſos venerationi, qua celebriorem reddis tuam pietatem, ac religionem. Propenſæ voluntatis noſtræ ſi facere experimentum, libitum tibi erit, comperies vera dixiſſe Ablegatum noſtrum. Huic autem intimo noſtro Cubiculario, & ſanguinis, morum, virtutum decore non leviter apud Nos commendato ſi plurimum commodaveris benignitatis tuæ, magnam inibis a Nobis gratiam, cujus pignus Apoſtolicam Benedictionem tibi, Dilecte Fili, Nobilis vir, peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 23. Septembris 1743.*

XIV. His peractis, Ablegatus Pontificius violaceo veſtimento, quo Cubicularii Pontificii utuntur, cappam rubeam ſuperinduit, Regiamque Capellam in interioribus Regiis Ædibus poſitam petiit: neque enim in publica Eccleſia Palatina, ſed in interiori Sacello Regis, neque publice, ſed privatim cæremonia peracta eſt. Eo loci Rex, Re-

Reginæ, Magnates Aulæ, Cardinalis, Magnuſque Capellanus ſe contulere; dumque Sacrum ſubmiſſa voce ab Aulico Capellano agebatur, Regiis ſedibus proximus a ſiniſtra parte adhæſit Cardinalis Urſinus, & ipſe donatus ſede, ſcabelloque cum pulvinari, & tapete ad genua flectenda: hunc prope aderat Pontificius Ablegatus, & hunc excipiebant Oratores Principum, & Aulæ Magnates. Abſoluto Sacro, Sereniſſima Regina ſedem alibi poſitam prope Sacelli fores a cornu Evangelii adiit, ſeditque: tum Ablegatus Pontificius acceptis litteris Pontificiis, quas *Traditionis* vocant, ducente illum Magno Aulæ Magiſtro Soranorum Duce, ſtetit ante Regem, eumdemque his verbis diſertiſſime eſt allocutus: *Illuſtrem Cardinalem Urſinum Gravinenſium antea Ducem, ornamentum acceptæ dudum ampliſſimæ dignitatis, Rex Sereniſſime, tua e manu habes hic exſpectantem; qui & ipſam dignitatem ultro tuæ erga ſe benevolentiæ acceptam potiſſimum referre debet: Pontificiæ hæ litteræ ſunt, quibus mihi, BENEDICTI XIV. P. M. Optimi, & clementiſſimi Principis Cubiculario Intimo, & pro Neapolitana natione Sacri Conſiſtorii Advocato, Biretum illud purpureum deferri mandatum eſt. Gratulandum eſt tibi, Rex inviƈtiſſime, quod hoc ſplendiſſimæ Romanæ Purpuræ indice Tibi contingat Alumnum tuum inſignire, Tuique in obſequiis nutritum, Juvenem Nobiliſſimum, qui excitari primum cœpit ad gloriam ſub Te Principe; in quo ex majoribus Patreque Rege, Hiſpana pietas, religioque, Gallicum robur, & fortitudo; ex Matre Clariſſima, Italica omnis vetuſta virtus ad immortalitatem Nominis cumulantur.* Adhæc lectæ ſunt Pontificiæ litteræ a Joſepho Joachimo de Montallegre Regis a ſecretis imperii negotiis, ſedentibus Rege, & Cardinali capite operto, iiſque lectis, exhibitum Regi fuit a Pontificio Ablegato purpureum Biretum, & a Rege ſtante Cardinalis capiti impoſitum; quod is ſtatim capite ſuo amovit, acceptoque pileolo a Pontificio Ablegato, Regi pro collato beneficio gratias quamplurimas egit. Summa vero fuit Regia erga Pontificium Ablegatum de Sede Apoſtolica, deque Patria optime meritum munificentia; ſumma quoque Regis erga Pontificem obſervantia, cui haſce litteras reſcripſit: *Mui S. Padre. D. Phelipe Maria Pirelli Camerero intimo de V. Santid. y ſu Ablegado para traer la Berreta al Cardenal Orſini me ha preſentado el Breve, con que en eſta occaſion meha favorecido V. S. para recommendarme la perſona del miſmo Pirelli: he recivido con el reſpecto, y veneracion que profeſo a la S. Sede, y a la ſagrada Perſona de V. B. eſte nuevo teſtimonio de ſu paternal afecto, en prueva de lo qual he manifeſtado al miſmo Ablegado la gran diſtincion, que hago de todo lo que me viene de mano de V. S. la gratitud que me han merecido las benemeritas circumſtancias de un Sujeto tam accepto a V. B. y tam parcial a mi Perſona, y a los intereſes de ſu Patria; y con mucho guſto me he aſſumido la occaſion de dar al Card. Orſini la Berreta, con que le ha decorado V. B aſſi por la particular eſtimacion, que hago de un tam digno, y buen Vaſſallo mio, como por el afecto, que ha ſabido merecerme en los muchos annos, que ha eſtado en mi immediato Servicio; y effectivamente executé la funcion el dia 17 de eſte mes, de que habrá individualmente informado a V. S. el referido Ablegado, y aun podrá ſerle teſtigo fiel de los ſinceros ſentimientos que conſervo a V. B. anſioſo de merecer ſemper la continuacion de ſu paternal amor, y ſu Apoſtolica Benediƈtion,*

ction ; que imploro devotamente , rogando a N. S. guarde la Santa Perſona de V. B. al proſpero , y feliz regimento de ſu univerſal Igleſia , Napol. a 30. de Deciembre 1743. Ablegatum Rex Sereniſſimus donavit inſigni gemma , & annua penſione e Sacerdotiis Regii juris percipienda; eumdemque , die 14. Januarii ab Oratorum Receptore ad ejus præſentiam ductum , eodemque modo exceptum, benigniſſime dimiſit. At antea ſe Beneventum contulerat, ubi die 5. Januarii , in Cathedrali Eccleſia , Sacrum ſolemni ritu faciente Dominico Manfredo Epiſcopo Bojanenſi, purpureum inſigne præbuerat Franciſco Lando Placentino illius Eccleſiæ Archiepiſcopo.

CA-

CAPUT XIV.

DE REGUM FUNERE.

Ordo Regii funeris in Aula Imperatorum Germanorum. II. *Quo olim ritu ſepelirentur Reges Galliæ*. III. *Ordo Regii funeris in Aula Regum Galliæ*. IV. *Quas partes in hac re habeat Magnus Eleemoſynarius*. V. *Ordo Regii funeris in Aula Regum Hiſpaniæ*. VI. *Et in Aula Regum Luſitaniæ*. VII. *De eadem re apud Luſitanos*. VIII. *De Regiis funeribus in Anglia, Suecia, Polonia, Moſcovia, Boruſſia*. IX. *De Regum exequiis in Sicilia*. X. *Et in Neapolitano Regno*. XI. *Imperantibus Auſtriacis*. XII. *Et regnante* CAROLO BORBONIO.

POſtremo loco, funera Regum a nobis tractanda ſunt, quod ea ad Cleri Palatini miniſterium, ſacraſque Aulæ cæremonias ſpectare compertum ſit. Quo ritu olim Ethnicis Romanis Imperatoribus fuerit parentatum, fuſe deſcribit Franciſcus Modius tom. 1. Pandectarum triumphalium, neque id ad noſtrum pertinet inſtitutum. Apud Chriſtianos vero illud ex antiquiſſimo more receptum fuit, ut quemadmodum Epiſcopi, Presbyteri, aliique Clerici congruis ſuis Ordinibus ornamentis ſepeliebantur; ita etiam Imperatores imperialibus inſignibus ornati, Reges regàlibus, Milites militaribus terræ mandarentur. De Conſtantini funere hæc habet Euſebius in illius vita lib. 4. cap. 66. *Poſt hæc milites ſublatum e lecto corpus in arca aurea depoſuerunt, eamque purpurea obtectam veſte Conſtantinopolim deportarunt, atque in præcipuo imperialis Palatii cubiculo ſublimem collocaverunt. Dehinc aurea ſuper candelabra luminibus undique accenſis, admirabile ſpectaculum intuentibus præbebatur, & quale in nullo umquam mortalium ab ipſo orbis conditu viſum in terris fuerat. Quippe in medio conclavi regalis Palatii funus Imperatoris in arca aurea ſublime jacens regiis inſignibus, purpura ſcilicet, & diademate exornatum multi circumdantes, noctu atque interdiu vigiles cuſtodiebant*. Imperiali quoque ornatu ſepultum Honorium Imperatorem colligit Martene lib. 3. de antiq. Eccl. rit. cap. 12. ex epiſtola Bullingeri ad Vadianum inter Philologicas a Goldaſto editas, ubi illius Imperatoris, & duarum ejus conjugum cadavera in ſubterranea Vaticana Eccleſia inventa anno 1543. dicuntur palliis aureis involuta, ipſæque calvariæ aureis diadematibus cinctæ. Caroli Magni cadaver ita in ſepulcro compoſitum exhibet Monachus Engoliſmenſis in ejus vita cap. 24. *Corpus ejus aromatizatum eſt, & in ſede aurea ſedens poſitum eſt, in curvatura ſepulcri; enſe aureo accinctus, Evangelium aureum tenens in manibus, & genibus, reclinatis humeris in cathedra, & capite honeſte erecto, ligato aurea catena ad diadema. Et in diademate lignum Crucis poſitum eſt. Et repleverunt ſepulcrum ejus aromatibus, pigmentis, & balſamo, & muſco, & theſauris multis in* au-

auro. Veſtitum eſt corpus ejus veſtimentis Imperialibus, & ſudario ſub diademate facies ejus operta eſt, cilicium ad carnem ejus poſitum eſt, quod ſecreto ſemper induebat, & ſuper veſtimentis Imperialibus pera peregrinalis aurea poſita eſt, quam Romam portare ſolitus erat. Sceptrum aureum, & ſcutum aureum, quod Leo Papa conſecraverat, ante eum poſita ſunt dependentia, & clauſum, & ſigillatum eſt ſepulcrum ejus. Quod vero de Conſtantini cadavere memorat Euſebius, illud nempe in ſublimi lecto in conclavi quodam Regii Palatii poſitum, donec funus efferretur, ac interea noctu, diuque aliquos ibi excubaſſe; id uſitatiſſimum fuit apud Veteres, qui mortua corpora aliquandiu jacere ſinebant inſepulta, ne, ſi quis forte vitalis ſpiritus adhuc ſupereſſet, per feſtinatam humationem penitus extingueretur. Hac de cauſa, nonnullis poſt obitum diebus mortui ſepeliebantur, & interea ditiores in lectis, tenuis autem fortunæ homines in arcis ſeu loculis in veſtibulo ædium ad januam ipſam collocari ſolebant: Judæi vero non arcis utebantur, ſed veſtibus ſepulcralibus; quibus cadavera involvebant. Chriſtiani itaque juxta hunc receptiſſimum morem vel ſeptimo, vel quarto, vel tertio ab obitu die mortuos ſuos ſepulturæ mandarunt, ac interea in loculis in interiori ædium parte, vel etiam in Eccleſia eos collocabant, vigileſque cuſtodiebant. Atque id quidem privatis quoque hominibus vita functis commune fuit. Illud tamen Imperatoribus, ac Regibus privilegii loco concedebatur, quod nempe, cum interdictum eſſet cæteris ſepelire intra Civitates, & Eccleſias, ipſi in atrio, ſive porticu, & exterioribus ædificiis Eccleſiæ tumulabantur; & nonniſi poſt ſextum ſæculum, primo Epiſcopi, Abbates, digniorelque Clerici, vel laici, tum univerſi intra Civitates, & Eccleſias tumulari cœperunt. Nunc vero temporis, uti colligitur ex monumentis editis a Dumontio, & Roſſuetio in Cæremoniali Imperii lib. 2. cap. 5. cadavera Imperatorum tribus diebus in aula quadam Imperialis Palatii, ſublimi, & ſplendido in lecto collocata jacent, & ea prope ponuntur inſignia Imperialia, Corona, & ſceptrum, tum quoque Coronæ Regnorum Hungariæ, & Bohemiæ; Cubicularii, & Capellani Aulici funebrem lectum undique circumſtant; tum pluribus in aula excitatis Aris, Sacerdotes Sacra faciunt, veſpertinis vero horis Cantores Imperialis Capellæ Pſalmum *Miſerere* modis muſicis decantant. Deinde Regio cadavere in arca incluſo, ſuperimpoſitis arcæ Regiis inſignibus, funus ducitur, præcedentibus Cœnobitis, Magiſtratibus, Aulicis, equitibus Torquatis Velleris aurei, Canonicis Cathedralis Eccleſiæ, Epiſcopis; Cubicularii arcam efferunt, eamque ſequuntur primi quatuor Aulæ Magnates, nempe Magnus Præfectus Regii ſtabuli, Magnus Mareſcallus, Magnus Aulæ Magiſter, & Magnus Coſmeta; hos excipiunt Imperiales Principes. Ubi ad Cappuccinorum Eccleſiam, quæ tumulandis Imperatoribus addicta eſt, funus pervenit; Magnus Coſmeta, reſerata arca, Regium cadaver Cappuccinorum Præſuli oſtendit, ſimulque ei clavem unam tradit, alteram ipſe ſibi vindicat in Aula Imperiali ſervandam. Hoc fere ordine, Leopoldo Imperatori, anno 1705. & Joſepho itidem Imperatori, anno 1711. & Eleonoræ Maddalenæ Imperatrici anno 1720. parentatum fuit; & quidem Leopoldi deducendo funeri interfuere Joſeph Imperator filius, Torque ornatus Velleris aurei, Imperatrix ejus conjux, & defuncti Imperatoris filiæ; quemadmodum etiam funus Joſephi Imperatoris ſecutæ ſunt Imperiales fœminæ (nam Carolus frater, ſucceſſorque Vienna

na aberat) denique in agendis exequiis Eleonoræ Imperatricis , Imperator, & Auguſtæ ſœminæ interſuere. Hujus vero cadaver Matronæ Aulicæ in arca collocarunt , quam deinde Cubicularii detulerunt : & a Parocho Aulico ſacrum pro defunctis miniſterium in Aula exhibitum; in Eccleſia vero ab Antiſtite Viennenſi. Quandoque nulla pompa Imperiales Principes tumulantur ; uti anno 1716 Leopoldus Archidux Caroli VI. Imperatoris filius , quem ab Educatrice in arca incluſum, & a Magno Aulæ Magiſtro, & Magno Coſmeta advectum curru, ſequentibus Parocho, & Capellanis Aulicis in altero curru , ſepulturæ mandarunt.

II. Dolet Peiratius lib. 2. de Orat. Reg. Gall. cap. 67. a veteribus Scriptoribus omiſſum , quo præcipuè ritu, Regibus Galliæ olim juſta perſolverentur. Illud tamen a Veteribus traditum notat, ſucceſſores nempe Reges adeſſe ſolitos ſuneri ſuorum prædeceſſorum ; & ita factum legitur in exequiis Philippi Auguſti, Philippi I. S. Ludovici, & aliorum. Imo Childebertus, & Clotarius I. deduxere Clotildis Reginæ eorum matris cadaver ad Pariſienſem uſque Eccleſiam S. Genovefæ: & quatuor Clotarii filii paterno cadaveri in Sueſſionenſi Eccleſia S. Medardi tumulando idem obſequium præſtitere . Deſiit deinde mos ille, invaluitque, ut ſucceſſores Reges predeceſſorum corpora adſpergant aqua benedicta , Magno Eleemoſynariò aſperſorium præbente; itemque Principes Regiæ ſtirpis, accepto a Feciali aſperſorio . Illud quoque e veterum monumentis colligitur a Martene, Reges Francorum Regiis ornatos inſignibus ſepulturæ traditos fuiſſe . Ita enim legitur in antiquo ordine ſepeliendi Reges Francorum: *Premierement, convient auoir une litiere portée par certains Officiers Royaux, & doit entre en la dite litiere une forune ou forme en ſemblance du Roy couché en lit, en grands draps ; la forme toute veſtuë en forme de homme comme Roy. C'eſt a ſcavoir veſtu d'un pourpoint, tunique, & dalmatique de drap d'or afleurs de lys fourré d'harmines fermé deſſus l'eſpaule d'un bouton des perles , tenant en ſa main dextre un grand ſceptre, & en la main ſiniſtre un main de juſtice avecques anneaux esdites mains, en ſa teſte une couronne, les ſandales , chauſſes ſemblables aus dits veſtemens, avec ſoliers de meſme, couvert la dite littiere de drap d'or , pendant de trour coſte de la dite littiere vers la teſte du dit Roy a deux orilliers de velous vermeil a quattre houppes de perle chachun au pied de la dite littiere deux lampiers d'or pleins de cire ardans continuellement juſqu' apres la ſepulture, une croix, un benoſtier, & deux aſcenſiers d'or ; & pour convrir la dite littiere , un ciel de drap d'or a quattre lances ; & apres la ſepulture du dit Roy, eſt couverte la place d'un drap d'azur a fleur de lys a une croix blanche de velous.* Quod de ſimulacro Regiis inſignibus componendo , ne putridum cadaver in conſpectum omnium efferatur, hic indigitatur; id quoque legitur tom. 1. Pandectarum triumphalium Franciſci Modii, & apud Tilletium , a quibus deſcribitur Ordo ſuneris Regum Galliæ olim uſitatus.

III. Hodiernum vero morem exhibent Dumontius , & Roſſuetius in Cæremoniali Galliæ lib. 2. cap. 7. in exequiis Ludovici XIII. & Ludovici XIV. obſervatum . Itaque Ludovico XIII. e vivis ſublato, in San-Germanenſi Palatio die 14. Maii , 1643. Epiſcopus Metenſis Primus Eleemoſynarius (qui morienti Sacramenta Eccleſiæ contulerat) oculos clauſit juxta antiquiſſimum omnium fere gentium morem

rem oculos claudendi, & ora obturandi ſimul atque quis deceſſiſſet; ac tum cæteri Eleemoſynarii, Primus quoque Cubicularius, & Dux militum cuſtodum corporis Regis, in eodem conſtitere cubiculo, ubi Rex obierat, & ubi Regium cadaver domeſticis indutum veſtibus jacuit, donec ſequenti die, præſentibus Principe Regiæ ſtirpis, Magnate Regni, & Primo Cubiculario eviſceratum unguentis condiretur: cujus inteſtina ab Eleemoſynario, & Cubiculario ad Eccleſiam delata ſunt. Tum Regium cadaver balſamo conditum, nulliſque Regiis inſignibus exornatum, in aula quadam Regii Palatii ſuper ſublimem, nobilemque funebrem lectum, ligneis cancellis cinctum, ac ſub umbella collocarunt. Porro intra ligneum ſeptum, a dextra lecti parte tribus inſidebant ſedibus Epiſcopus Primus Eleemoſynarius, duoque alii Antiſtites Rocchetto & Mantelletta induti; hos excipiebant Eleemoſynarii ſcamnis inſidentes; tum Cœnobitæ, qui preces recitabant: a ſiniſtra vero lecti parte conſidebant ſedibus Primus Cubicularius, Dux militum cuſtodum corporis Regis, Magnuſque cæremoniarum Magiſter; quos ſequebantur in ſcamnis aſſidentes alii Officiales Aulici, & Cœnobitæ. Nam ſtatis horis, alii aliis ſuccedentes Cœnobitæ continuas preces effundebant. Extremam lecti partem quatuor Feciales occupabant: & in anteriori cubiculo Milites cuſtodes Regii corporis adſtabant. In eadem aula, ubi ſex dierum ſpatio, Regium cadaver jacuit, conſtructis tribus Altaribus, plurima ſacrificia pro expiatione animæ oblata ſunt, ſinguliſque diebus, Sacrum modis muſicis a Palatinis Cantoribus decantatum. Et quidem Metenſi Epiſcopo principem ſedem concedere alii Epiſcopi detrectaverant, quod illi tamquam Primo Eleemoſynario ſedendum eſſet ante cæteros Eleemoſynarios, atque adeo poſt Epiſcopos locum obtinere. Verum quod Metenſis Antiſtes, vices tunc temporis ageret Magni Eleemoſynarii, ſeu Antiſtitis Aulici, decreto Regis, Stola indutus primam obtinuit inter Epiſcopos ſedem. Septimo ab obitu die, funus deductum eſt ad celebrem S. Dionyniſii Eccleſiam, ubi Galliæ Reges tumulantur; atque is fuit ordo funeris, cui imminebant Primus Cubicularius, & Primus Eleemoſynarius. Præibant Milites, Adoleſcentes Aulici, Cubicularii, equites omnes; tum curru vehebantur nonnulli Eleemoſynarii Regii ſacris ornati veſtibus, quos ſequebantur in alio curru Metenſis Antiſtes Pontificalibus indutus ornamentis, Primus Cubicularius, & Confeſſarius. Poſt hos incedebant Feciales, & cæremoniarum Præfecti, tum Regium cadaver arca incluſum, ſuperimpoſitis Regiis inſignibus, curru advectum, atque famulitio, & milite ſtipatum. Clerus cujuslibet Oppidi, vel Pagi venienti funeri occurrebat, deductumque in Eccleſiam conſuetis precibus colebat: ita quoque Clerici Sandionyſianæ Eccleſiæ, ad cujus Eccleſiæ fores Metenſis Antiſtes cadaver, quod Ludovici XIII. Regis eſſe teſtabatur, Monachis illius Monaſterii tradidit. Die 20. Maii, in Eccleſia S. Dionyſii defuncto Regi ſolemni ritu juſta perſoluta ſunt, præſentibus Aulicis Officialibus, ac pluribus Epiſcopis, qui illuc convenerant, iique omnes, abſoluto Sacro, Regium cadaver aqua benedicta adſperſere. Epiſcopus Metenſis Primus Eleemoſynarius, dum Liturgia agebatur, ſedit tunc prope Regium cadaver, & juxta illum cæteri Eleemoſynarii ſcamno inſidentes, tum cæremoniarum Præfecti. Prope Aram vero aſſidebant a dextra parte Primus Cubicularius Regis, cæterique Magnates Aulici; ex altera vero parte Epiſcopi. In funere Ludovici XIV. res eodem fere

Digitized by Google

modo ſe habuit . Regium quippe cadaver octo dierum ſpatio in aula Regii Palatii omnium oculis expoſitum, aſſiſtentibus Magno Eleemoſynario, Epiſcopis, Proceribus Aulicis, & Cœnobitis noctu diuque preces effundentibus, nono die e Verſalienſi Palatio ad S. Dionyſii Eccleſiam feretro clauſum, poſitis ſuper feretrum Regiis inſignibus, opertum ſtragulo, cujus oras quatuor Eleemoſynarii equites geſtabant, curru vectum, Milite, Aulicis, Eleemoſynariis, Magno Eleemoſynario, Confeſſario, Parocho Verſalienſi funus comitantibus adſportarunt. Ibi Magnus Eleemoſynarius Rem Divinam ſolemni ritu fecit; cui interfuere Epiſcopi plures, Principes Regiæ ſtirpis, Aulici Proceres, Oratores Principum, & Magiſtratus: atque ad Offertorium, tum Dux Aurelianenſis primus e Principibus Regiæ ſtirpis, tum cæteri hujus Ordinis Principes Oblationes exhibuere; Epiſcopus vero Carnotenſis funebrem orationem habuit. Tamdem ubi a Militibus cuſtodibus Regii corporis tumulo inlatum fuit; Magnus Aulæ Magiſter, cæterique Præfecti Domus Regiæ, fractis, projectiſque in ipſum tumulum baculis, qui officii ſui inſignia ſunt, Regem e vivis exceſſiſſe Magnus Aulæ Magiſter primum, tum Fecialis ſemel, iterum, atque tertio conclamavit, his verbis: *Le Roi eſt mort prions tous pour le repos de ſon ame*, brevique interjecta prece, rurſum Fecialis proclamavit: *Vive le Roi Lovis XV.* quod univerſi acclamationibus excepere. At in Regiarum feminarum exequiis, Matronæ quoque Aulicæ funus comitantur; uti in fuere Mariæ Tereſiæ Auſtriacæ Ludovici XIV. conjugis, anno 1683. In iis vero exequiis ſacro functus eſt miniſterio Epiſcopus Aurelianenſis Primus Eleemoſynarius; quemadmodum in exequiis Mariæ Victoriæ Bavaræ Sereniſſimi Delphini conjugis, anno 1690. Epiſcopus Metenſis; & in exequiis Mariæ Adelaidæ Sabaudæ anno 1712. Epiſcopus Silvanectenſis, uterque tunc temporis Primus Eleemoſynarius.

IV. Unde patet, Magnum Eleemoſynarium, aut eo abſente Primum Eleemoſynarium in Regiis funeribus ſacra moderari. Et hinc ubi Regium funus deducitur, primum præ cæteris Epiſcopis occupat locum, proximiorem nempe Regio cadaveri, uti etiam legitur apud Franciſcum Modium loco citato. Idipſum his verbis, exemplíſque tradit Peiratius lib. 1. cap. 21. de Orat. Reg. Gall. *Le meſme du Tillet eſt auſſi mal fondé, quand il ſouſtient que l'Eveſque de Paris, comme Curé du Roy, aux enterremens des Roys, leve le corps, s'il y eſt, meſmes hors ſon Dioceſe, dautant que cela ne peut etre avec raiſon, pourcequa les Dioceſes ſont limitez, & un Eveſque ne peut legitimement entreprendre ſur un autre, cela eſt defendu par les ſaincts Canons, ſon authorité eſt bornée de l'eſtendue de ſon Dioceſe; & bien que le Roy eſtant decede dans Paris, l'Eveſque de Paris a l'enterrement de Sa Majeſté ayt marché quelques fois le dernier des Eveſques, ſi ne paut-on pas inferer de ta qu'il ſoit Curé du Roy, & qu'en cette qualité il puiſſe, ny doive tenir ce rang, meſme hors ſon Dioceſe: cet honneur luy eſt deferé a l'abſence du grand Auſmonier, qui eſt l'Eveſque de la Cour comme a l'Eveſque du lieu ou le Roy eſt decedé, & d'ou l'enterrement part avec cerimonie, de meſme q'un autre Eveſque le pourroit pretendre en ſon Dioceſe, comme Eveſque du lieu, a l'abſence dudit grand Aumoſnier de France, & non comme Cure du Roy: Neantmoins a l'enterrement du Roy Henry le Grand, feu Monſeigneur le Cardinal du Perſon ne pouvant, a cauſe de ſon indiſpo-*

ſpoſition, aſſiſter a ſes obſeques, commit en ſa place Meſſire François Miron Eveſque d'Angers, qui marcha le dernier des Eveſques. Ainſi l'Advocat Rovillard remarque que le grand Aumoſnier a couſtume de marcher aux ceremonies des obſeques du Roy, ioignant, & devant l'effigie: & combien qu'aux pompes funebres d'Henri II. l'Eveſque de Paris accompagna le grand Aumoſnier, diſant qu'il eſtoit l'Eveſque du Roy auſſi bien que luy, puis qu'il eſtoit Eveſque de la capitale du Royaume, & qu'on gardoit pour la pluſpart en l'Oratoire du Roy l'uſage de Paris, & eu esgard a ſes remonſtrances, pour ce coupla, luy fut permis d'etre proche du grand Aumoſnier: ſi eſt-ce qu'a l'enterrement du Roy Francois I. le lieu luy fut refuſé: de ſorte que pour eviter a deſordre, force fut a l'Eveſque de Paris de ſe retirer, ſelon ſon rang avec les autres Prelats aſſiſtans au conuoy, ſur ce qu'il luy fut remonstré, que le Roy ny ſa Cour ne recegnoiſſoit d'autre Eveſque propre, & ſpecial que le grand Aumoſnier, & que ſa Chapelle avoit un uſage propre, different en beaucoup de choſes de celuy de Paris. L'Oraiſon ou harangue de l'Eveſque de Paris, faite au Prieur de S. Denys, & aux Religieux, a l'enterrement du Roy Henry II. l'an. 1559. lors qu'ils receurent le corps, & l'effigie du Roy decedé, a la Croix qui panche pres ſainct Denys, le teſmoigne evidemment, ou il luy certifie, comme Eveſque de Paris, (ce ſont les meſmes termes) que le corps du feu Roy giſant en ce cercueil a rendu ſon eſprit a Dieu en ſon Dioceſe, comme Prince Fidele, avec l'adminiſtration de tous les ſaincts Sacremens. En quoy il faut noter, que ce certificat eſt donné par l'Eveſque de Paris, comme par l'Eveſque au Dioceſe du que le Roy eſt mort & non comme pur le Cure du Roy. Ex quibus colligitur, in exequiis Regum Galliæ, Epiſcopo Pariſienſi tamquam Epiſcopo loci, Magno autem Eleemoſynario tamquam Epiſcopo perſonæ, partes ſuiſſe conceſſas. Cæterum ex monumentis a Dumontio, & Roſſuetio editis conſtat, Parochum quoque Verſalienſem Stola indutum Regia funera comitari uſque ad ſepulturæ locum. Itaque his præcipue ritibus Regum Galliæ parentalia celebrantur: nempe Regium cadaver diebus aliquot in aula jacet ſublimi in lecto ante omnium oculos poſitum; adſunt Eleemoſynarii, Aulici, Feciales, & Milites, tum Sacrificia, preceſque continuo a Cœnobitis aguntur; deinde loculo incluſum, & ſuperpoſitis Regiis inſignibus, tectum ſtragulo a quatuor Eleemoſynariis ſuffulto, magno comitatu Aulicorum, & Eleemoſynariorum, carpento ducitur ad Eccleſiam S. Dionyſii: occurrunt ſupplicatione ordinata ad portam Civitatis Clerici, tumque Milites cuſtodes corporis Regii feretrum humeris ſuis efferunt uſque ad Eccleſiam: ad hujus fores Magnus Eleemoſynarius Regium tradit cadaver Præſuli S. Dionyſiani Monaſterii, teſtatus Regem in Eccleſiæ communione defunctum, atque in ea Eccleſia humari voluiſſe; tandem in Eccleſia fit Res Divina Pontificali apparatu ab eodem Magno Eleemoſynario.

V. Hiſpani Regibus ſuis hoc ritu juſta perſolvunt. Statim ac Rex e vita deceſſit, Caſtellæ Præſes, Magnus Aulæ Magiſter, Primuſque Cubicularius hæredem, ſucceſſoremque imperii adeunt, & an Teſtamento proferendo aſſentiat, explorant: eo conſentiente, in ædibus defuncti Regis coram Regio cadavere, ſuprema ejus voluntas ab uno e Secretariis Regiis e ſcripto recitatur. Tum in aula quadam Palatii funebrem lectum excitant, ibi Regium cadaver ſub umbella collocant;

 cir-

circumſtant undique Milites; Cœnobitæ Matutinas, Veſpertinaſque pro defunctis preces recitant; Sacra quoque faciunt Presbyteri in Altaribus ibidem extructis; Rem Divinam Pontificali apparatu agit Antiſtes, & prope Aram principem a cornu Evangelii ſedem occupat Magnus Aulæ Magiſter, ibidem Hiſpani Magnates in ſcamno aſſident; altero Altaris lateri Magnus Capellanus, cæterique Capellani Aulici, ille in ſede, hi in ſcamno conſidentes, adhærent. Cum vero tumulandum eſt Regium corpus, atque ad celebrem S. Laurentii Eccleſiam Eſcurialenſem aſportandum, illud feretro includunt, tradita feretri clave Magno Aulæ Magiſtro, feretrumque Magnates, & Prefecti Domus Regiæ efferunt ad definitum uſque Palatii locum, ibi illud Cubiculariis geſtandum tradunt, ſequuntur funus Capellani Aulici, Rex hæres imperii, Regiique Principes. Tum Cubicularii feretrum in lecticam inſerunt, ad ædes ſuas redeunt Principes Regii, funus hoc ordine progreditur: Officiales Aulæ, quos Alcaldos vocant, Cubicularii, Præfecti equorum, Capellani Palatini, præcedente Cruce, Duces Prætorianorum militum, Præfecti Regiæ Domus, Magnates Hiſpaniæ, univerſi equis vel mulis inſidentes; ſequitur Regium feretrum lectica vectum, ſtipatumque milite, & Aulicis adoleſcentulis; deinde a dextra parte equitat Magnus Aulæ Magiſter, a ſiniſtra Magnus Capellanus: claudunt agmen Milites Prætoriani. Ad Eccleſiæ oſtium obviam occurrunt Monachi, feretrumque e lectica ſublatum Cubicularii media in Eccleſia ſuper funebre pegma collocant, peractoque ſacro miniſterio, Magnates, & Domus Regiæ Præfecti feretrum ad ſepulturam deferunt, eoque reſerato, Magnus Aulæ Magiſter Regium cadaver exhibet Præſuli Monaſterii, iſque traditi, acceptique Regii cadaveris tabulas præbet Magno Aulæ Magiſtro. In exequiis tamen Reginarum, Prima Aulæ Matrona atratis induta veſtibus, mulæ inſidens, feretro proxima, funus proſequitur. In exequiis alicujus Regii Infantis, hujus cadaver ab Educatrice loculo includitur, & in Capella Palatina collocatur; quum vero tumulo inferendum eſt, tunc Educatrix feretrum Magno Aulæ Magiſtro, & Antiſtiti tradit, acceptis ab eis hujus rei tabulis: Magnates tamen Hiſpaniæ funus Infantis minime comitantur. Quandoque defuncti Regis corpus in Capella Palatina jacet omnium conſpectui datum: uti Caroli II. Regis, vita functi die 1. Novembris, anno 1700. cadaver tribus diebus jacuiſſe, atque prope funebrem lectum ſtetiſſe nonnullos nobiles viros in manu habentes Regia inſignia, referunt Dumontius, & Roſſuetius. Porro mos eſt Aulæ Hiſpanæ, ut defunctorum Regum anniverſarii dies utplurimum in Cœnobio S. Hieronymi celebrentur; quibus tum Rex ſub Regiis Cortinis, tum Magnates, Oratores Principum, Conſiliarii Regii, Epiſcopi, Capellani Aulici ſuis in ſcamnis interſunt; & ad Miſſæ Offertorium Rex Catholicus a Magno Aulæ Magiſtro, cæteriſque Domus Regiæ Præfectis aſſociatus accedit ad Altare, acceptumque a Magno Capellano in argentea concha aureum nummum offert Antiſtiti Sacra facienti. Quin etiam illorum Principum funera, qui Hiſpanis Regibus cognationis nexu conjuncti ſunt, ibi ſolemni ritu celebrari conſueverunt.

VI. Celebris, & antiqua eſt apud Luſitanos cæremonia, qua defuncti Regis ſcuta franguntur. Hanc memorat Coneſtaggius lib. 2. de conjunctione Regni Caſtellæ, & Portugalliæ, agens de Sebaſtiani Regis in Africano prælio cæde, & funere in Luſitania peracto, his verbis:

Digitized by Google

bio. Ea de cauſa ventum fuit ad ritus, quos illa gens in Rege lugendo, & ſcutis ejus frangendis adhibere conſuevit: id in hunc modum. Ex Curia Cameralium Liſybonæ civis quidam panno nigro indutus, & equo ejuſdem coloris panno tecto inſidens egrediebatur, manu geſtans vexillum magnum, & nigrum, ac in humerum ita reclinatum, ut pars ejus ſolum attingeret. Hunc ſequebantur tres ſenes pedites, pulla veſte amicti, ſingulique manu elevata ferebant ſcutum, nullo alio niſi atro colore inſigne. Hos iterum aliquot cives ex numero eorumdem Magiſtratuum, & nonnulli inferioris ordinis cum ingenti turba ſequebantur. Ubi autem per primarias urbis Liſybonæ plateas tranſierunt, perveneruntque ad gradus Templi Cathedralis, quod eſt vicinum illi loco, unde exierant: illi, qui ſcuta geſtant aliquot gradus conſcendunt; & unus ex ipſis, ſcuto ſublato, alta voce clamat. Cives Liſybonenſes deflete Regem veſtrum Sebaſtianum, qui mortuus eſt: his dictis, & turba clamoribus lachrymas miſcente, ſcutum, quod fragile eſt, gradibus, quibus inſiſtit, illiſum confringit. Deinde progrediuntur, & ubi ad plateam novam, quam vocant, perventum eſt, conſcenſis gradibus parvi Templi, quod ſacræ Virgini de Olivera dicatum eſt, alter ex numero ſcuta geſtantium, eadem, quæ prior, verba pronuntiat, ſcutumque ad eumdem modum frangit. Idem faciunt in gradibus Noſocomii: ac ſi omnibus tribus ſcutis ita, ut dictum eſt, fractis, redeunt, unde egreſſi fuerant. Eamdem cæremoniam peractam in funere Petri II. Regis Luſitaniæ, anno 1706. e vita ſublati, narrat Antonius Cajetanus Souſa Teatinus lib. 7. Hiſtoriæ Regum Luſitanorum. Refert is hunc funeris ordinem; Regium nempe cadaver Franciſcanorum Tunica amictum (quod pietatis cauſa Rex ſe Tertiariis Franciſcanis adſcripſiſſet) tum ſuperindutum veſtimento Equeſtris Ordinis Chriſti, cui tamquam Supremus Moderator imminebat, enſe cinctum, in eodem jacuiſſe lecto, in quo deceſſerat, aſſiſtentibus Confeſſario, & Magnatibus Aulicis; altera vero die, eviſceratum, conditumque unguentis, feretro impoſitum, ſtraguloque nobiliſſimo a Præfecto ſtratorum (*Repoſteiro mor*) tectum, & in ſublimi lecto collocatum, prope poſitis in argentea concha Regiis inſignibus Corona nempe, & Sceptro; Magnum Capellanum Pontificali apparatu Rem Divinam feciſſe, Magnates Regni a dextra parte, Aulicos a ſiniſtra, ſtantes, detecto capite adſtitiſſe; & ad illius fores conſediſſe in ligneo ſcamnulo Magnum Oſtiarium Domus Regiæ (*Porteiro mor*) Principem ſucceſſorem imperii, cæteroſque Regios Principes aqua benedicta feretrum adſperſiſſe, præbente eis adſperſorium Magno Capellano; tum a Magnatibus, qui in ſupremo Principis Conſilio ſententiam dicunt, feretrum delatum, ſequentibus illud Regiis Principibus atratis, atque in lecticam inlatum, tectumque pretioſiſſimo operimento a Stratorum Præfecto, Regiis Principibus ad ædes ſuas reverſis, funus ad Eccleſiam S. Vincentii, ubi humandum erat, proceſſiſſe. Et quidem a Palatio Regio uſque ad S. Vincentii Eccleſiam a dextra, lævaque itineris inſtructos fuiſſe in acie milites; Cœnobitas quoque, Clericoſque cum cereis accenſis hinc inde in eodem itinere conſtitutos; Magnates a dextra parte, Aulicos a ſiniſtra, Capellanos Aulicos, Magnum Aulæ Magiſtrum medium inter duos ſupremos Conſiliarios Regios, proximumque feretro, præiviſſe; prope feretrum Magnum Regii ſtabuli Præfectum, circum vero inceſſiſſe Aulicos Cubicularios cereos accenſos manibus geſtantes; poſt feretrum, Ducem militum cuſto-

ſtodum corporis Regii, Currum lugubri apparatu ornatum, militeſque. Ubi ad Eccleſiam ventum eſt, Sodales cujuſdam Religioſæ Confratriæ ſub invocatione Divinæ Miſericordiæ Regium feretrum e lectica ſublatum in Eccleſiam intuliſſe; & a Magno Capellano Pontificalibus inſignibus induto, cæteriſque Capellanis Aulicis preces pro expiandis defunctis effuſas, tum a Clericis illius Eccleſiæ, tandem a Sodalibus Confratriæ jam dictæ; deinde in ſublimi pegmate funebri collocatum; poſitiſque ſuper feretrum Cruce, & Evangelio, iiſque tactis, juraſſe Magnum Aulæ Magiſtrum ibi Regium contineri corpus, traditis feretri clavibus Antiſtiti Monaſterii, his verbis: *Juro aos ſantos Evangelhos, que neſte caixaon eſta o corpo do muito Alto, e muito Poderoſo Rey D. Pedro Segundo, meu Senhor; porque eu o vi metter nelle è Voſſa Paternidade dare conta do dito corpo, ou de ſeus oſſos, a ſeus ſucceſſores, para o que lhe entrego as chaves deſte caixaon:* & Secretarium Regis rei geſtæ tabulas a Regiis Conſiliariis ſubſignatas conſcripſiſſe. Elapſis deinde octo diebus ab obitu Regis, narrat idem clariſſimus Auctor, Senatores, Magiſtratus, Curatores Regiorum proventuum conveniſſe, ut antiquam illarum partium cæremoniam frangendi ſcuta peragerent: & primo ex ædibus Senatoriis progreſſum eſſe civem quemdam ex illorum numero, quos vocant *Procuradores de Cidade*, atratum, equo inſidentem, lugubre ferentem vexillum ad terram uſque demiſſum; hunc ſecutos eſſe alios cives pullis indutos veſtibus; nigras virgas in manibus habentes, treſque Magiſtratus, quorum ſinguli nigrum ſcutum geſtabant; denique Senatores inceſſiſſe, & quidem pedites omnes; funebrem hanc pompam ad præcipua quædam Civitatis loca acceſſiſſe; ibique in ſublimi tabulato ad id extructo, & lugubribus adornato, ſingulos ex illis tribus Magiſtratibus ſcutum, quod manu gerebat, confregiſſe, & projeciſſe, his prolatis alta voce verbis: *Choray Nobres, choray Povo, que morreo a voſſo Rey D. Pedro II. de Portugal:* & poſtquam tertio conclamatum eſſet funus, omnes adiiſſe Eccleſiam ad agendum Sacrum pro expiatione defuncti Regis.

VII. Narratur & ab eodem Auctore, quo ritu, Mariæ Sofiæ de Neoburgo Petri II. Regis conjugi, anno *1699.* juſta fuerint perſoluta; eam nempe Franciſcana veſte ab Aulicis Matronis indutam, incluſamque loculo, aſſiſtentibus Aulicis Matronis, in ſublimi lecto poſitam, & a Præfecto Stratorum lodice tectam, a Principibus Regiis aqua benedicta adſperſam, Magno Capellano, aliiſque Epiſcopis ſacra facientibus: tum a Proceribus feretrum delatum, ſtipatumque Cubiculariis accenſos cereos geſtantibus, funus proſequentibus Regiis Principibus detecto capite, atque in lectica collocatum: deinde recedentibus Principibus Regiis deductum ad ſepulturam, hoc ordine, ut primo quidem præceſſerint Magnates a dextra, & Officiales Aulici a ſiniſtra; tum Capellani Palatini cum ſuperpelliceis, cereiſque accenſis; Magnus Aulæ Magiſter proximus lecticæ, qua feretrum vehebatur ſtipatum Cubiculariis cereos accenſos geſtantibus; denique funus ſequebantur ſupremus Regii ſtabuli Præfectus, Dux militum corporis Regii, Currus funebris, Militeſque Prætoriani. In Eccleſiam S.Vincentii, ubi humandum erat, Sodales jam dictæ Religioſæ Confratriæ Regium cadaver exceperunt; Magnus Capellanus primum cum cæteris Capellanis Aulicis preces pro defunctis effudit, tum Clerici illius Eccleſiæ, tandem illius Confratriæ Sodales, feretroque ſuperimpoſita erat Corona: denique ritu jam dicto, traditum eſt Antiſtiti Monaſterii Regium

ca-

cadaver a Magno Aulæ Præfecto. Fuerunt quoque hinc inde in itinere inſtructi Milites, Cœnobitæ, Clericique. In humandis Regiis Infantibus idem fere ordo ſervatur in Aula Luſitana. Nam Joannem Infantem, Petri II. Regis filium tenellæ etatis, anno 1688. e vivis ſublatum, arculæ incluſum, in ſublimi lecto depoſuerunt, prope collocarunt Principatus inſigne, Magnus Capellanus ſacrum egit miniſterium, Rege, Regiis Principibus præſentibus, Proceres Aulici in lectica poſuerunt, iique, cum Capellanis Palatinis, & Cubiculariis feretrum circumeuntibus, cereoſque accenſos geſtantibus, magna pompa ad Eccleſiam deduxerunt. Atque hi ſunt apud Luſitanos ritus præcipui agendi funeris Regii. Conſtat vero plurimis exemplis ex laudata Hiſtoria Regum Luſitanorum, morienti Regi Magnum Capellanum Sacramenta miniſtrare, mortuoque Rege, eumdem ſacro fungi miniſterio, tum in Aula, tum in Eccleſia. Ita in funere Joannis IV. Regis, anno *1656.* Emmanuel da Cunha Epiſcopus Helvarum; & Ludovicæ Reginæ ejus conjugis, anno *1666.* Franciſcus de Sottomayor Epiſcopus Targenſis; atque Mariæ Franciſcæ Sabaudæ, Petri II. Regis uxoris, anno 1683. Archiepiſcopus Ulyſſiponenſis, Magnus & ipſe Capellanus; tum in funere Mariæ Sofiæ de Neoburgo, ejuſdem Regis conjugis, anno *1699.* Cardinalis Souſa, Magnus quoque Capellanus; denique in funere Petri II. Regis, anno *1706.* Nunus de Cunha de Ataide, extrema Sacramenta, ſolemne Sacrificium, ſacras pro defunctis cæremonias adminiſtrarunt.

VIII. Quo ritu olim Anglorum Reges ſepelirentur colligitur ex Matthæo Pariſio ad annum 1183. ubi de Henrici junioris funere ait: *Corpus in lineis veſtibus, quas habuit in conſecratione ſacro chriſmate delibutas regaliter involutum apud Rotomagum delatum eſt, & in Eccleſia Cathedrali prope majus Altare cum honore tanto Principi congruo tumulatur*. Et de Henrico II. ad annum 1188. *Dum portarentur*, inquit, *ad ſepeliendum, Regio indutus apparatu, Coronam in capite habens auream, & chirotechas in manibus, calceamenta auro texta, annulum magnum in digito, & in manu ſceptrum, accinctuſque gladio, diſcooperto vultu jacebat*: Nunc vero temporis Regia inſignia prope feretrum, quod in Palatio aliquamdiu jacet in conſpectu omnium collocantur; cum vero funus ducitur ad Weſtmonaſterienſem Eccleſiam, ubi in Sacello Henrici VII. Regum cadavera tumulantur, eadem inſignia a quibuſdam Proceribus præferuntur. In humatione Regis, Supremi Officiales Regni virgas dignitatis ſuæ inſignia frangunt, abiiciuntque, ut illam innuant, defuncto Rege, deſiiſſe; & a Feciali alta voce conclamatur, Regem e vivis deceſſiſſe. Hæc quidem in exequiis Mariæ Reginæ anno *1695.* & Guillemi III. anno *1702.* peracta referunt in Cæremoniali Angliæ Dumontius, & Roſſuetius. Pariter in Suecorum Regum funere, præcedunt Senatores Regni deferentes Regia inſignia; feretrum vero curru advectum ducitur ad Eccleſiam ſub umbella a Magnatibus Aulæ, vel Regni delata, ſequentibus funus Principibus Regiæ ſtirpis; quemadmodum Carolo XII. Regi parentatum fuiſſe Holmiæ anno *1719.* iidem Auctores referunt. In Polonia defuncto Regi juſta perſolvenda funt, die præcedenti Coronationem ſucceſſoris Regis. Magnates omnes Poloniæ, & Lituaniæ, Delegati Provinciarum, ſeu Palatinatuum, & Rex ipſe, qui defuncto ſucceſſit, pedires, & atrati funus proſequuntur; Patres conſcripti Polonorum, ſeu Senatores manibus geſtant Regia inſignia, Coronam,

Sce-

Sceptrum, Globum, Enſem; feretrum efferunt Eccleſiaſtici Proceres; in Eccleſia Duces belli, ſeu Mareſcalli militaria confringunt ſceptra, fractaque in tumulum projiciunt; quo etiam projiciunt cæteri Officiales Regni ſuæ dignitatis inſignia, & confracta defuncti Regis ſigilla. Moſchorum Principes ſplendidiſſima pompa funebri terræ mandantur. Namque in deducendo funere præcedunt Cives, Aulicique longo ordine, tum plures belli Duces geſtantes Provinciarum, & Regnorum omnium Moſcho imperio ſubjectorum vexilla; eorumdem Regnorum, & Provinciarum inſignia a totidem equis delata; ſequuntur Cantores, Monachi, Clerici, Præſules, Epiſcopi; tum feretrum ſtipatum milite, curru advectum, ſub umbella, cujus fulcimenta Primoribus Aulæ & Militiæ commiſſa ſunt; Imperialia ornamenta, Coronam, Sceptrum, Enſem, Globum, Coronas itidem aliorum Regnorum, & Equeſtrium Ordinum inſignia, totidem belli Duces, vel Aulici Magnates deferunt; Regii Principes, Imperiales feminæ, Matronæ Aulicæ, cunctique Ordines, pedites funus comitantur. Atque hoc fere ordine Petri Alexiovitſii Moſchorum Imperatoris funus anno 1725. proceſſit. Denique in agendis exequiis Boruſſorum Principum, eamdem fere eſſe funebrem pompam colligitur ex monumentis editis a Dumontio, & Roſſuetio in Cæremoniali Boruſſiæ, cap. 3. ubi funera deſcribuntur Willelmi Marchionis Brandeburgi anno 1688. & Friderici I. Boruſſiæ Principis anno 1713. & Sofiæ Carlottæ Principis Boruſſiæ anno 1705. e vivis ſublatæ. In horum Principum exequiis delata fuere vexilla omnium Provinciarum, quæ illorum imperio ſubjecta ſunt; tum etiam Electoralia, Brandeburgica, atque Boruſſiæ ſtegmata, & inſignia, nempe Enſis, Sceptrum, Corona, Sigillum; inſignia quoque Ordinum Equeſtrium, quibus defunctus Princeps fuerat adſcriptus; feretrum curru invectum ſub umbella a primis belli Ducibus, vel Proceribus Aulæ delata; Principes omnes Regiæ familiæ feretrum ſequuti ſunt; tandem in Eccleſia decantatis quibuſdam Hymnis, habita quoque funebri oratione, eadem pompa tumulo inlata ſunt. Jam vero ex his omnibus conſtat, receptiſſimum eſſe morem in Regiis funeribus, ut ornamenta Regalia præferantur funeri, illudque conſanguinei Principes comitentur.

IX. Haud ſatis compertum eſt, quo olim ritu noſtris Siciliæ Regibus parentaretur; neque enim veteres noſtrarum rerum Scriptores Regia funera deſcripſere. Illud tamen ex Hugone Falcando colligitur, cadavera nempe defunctorum Regum aliquandiu in Aula jacuiſſe omnium conſpectui exhibita, funus conclamatum, cui deducendo, nedum Proceres, ſed & Epiſcopos Regni interfuiſſe, denique Cives omnes in morte Regis atratas veſtes induiſſe. Narrat enim in Hiſtoria rerum Sicularum, Guillelmi I. mortem primo occultatam, ne multitudinem ad ſeditionem concitaret, interea vero parata fuiſſe omnia ad ſucceſſoris Regis coronationem, ſubditque: *Quod ubi paucis diebus peractum eſt, primum in Palatio, more lugubri, funere conclamato, repente totius luctus ſubſequutus eſt Civitatis. Moxque Proceres cum Epiſcopis & Magnatibus Curiæ de loco, ubi ſepultum fuerat, in Capellam corpus Regium tranſtulerunt. Univerſi quoque cives nigris induti veſtibus uſque in diem tertium in eodem habitu permanſerunt. Per totum autem hoc triduum mulieres, nobileſque matronæ, maxime Saracenæ, quibus ex morte Regis dolor non fictus obvenerat, ſaccis opertæ, paſſis crinibus, & die noctuque turmatim incedentes, ancillarum preeunte multitu-*

Digitized by Google

titudine, totam civitatem ululatu complebant, ad pulſata tympana cantu flebili reſpondentes. Quod de femineo ululatu in lugendo Rege memorat Falcandus, id Saracenorum de more erat. Hinc Saraceni; qui cadaver Friderici Imperatoris in Apulia mortui adſportandum in Siciliam comitabantur, lamentis, gemitu, ululatu, quæcumque in itinere adibant oppida complebant. Ita narrat oculatus teſtis, qui Bitunti degebat Mathæus Spinellus Juvenacenſis in ſuis Diariis a Muratorio editis tom. 7. Script. Ital. *Tranſit hac*, inquit, *corpus Imperatoris, quod ferebatur Tarentum; & ego egreſſus ſum, ut viderem. Geſtabatur autem in lectica holoſerica rubro operta, cinctum ducentis Saracenis peditibus, ordinaria corporis Regis cuſtodia, & ſex cohortibus equitum armatorum: qui omnes cum locum aliquem ingrediebantur, plangentes inclamabant mortui nomen: ſequebantur autem eos Barones aliquot veſtiti lugubribus, & Syndici Oppidorum*. Notatu dignum eſt, quod indicat Falcandus, olim nempe in noſtrorum Regum funere, cives univerſos triduo atratos prodiiſſe: *Univerſi quoque cives nigris induti veſtibus uſque in diem tertium in eodem habitu permanſerunt*. Id quoque apud Græcos in more fuit; ſiquidem, uti narrat Codinus lib. de Offic. Aul. Conſt. cap. 11. & 21. in luctu Aulæ Conſtantipolitanæ, nedum Proceres Imperii, ſed & univerſi pullas induebant veſtes, Imperator vero albas. Præterea ex Falcando conſtat, exequias Guillelmi I. Regis in Capella Palatina peractas eſſe; quamvis deinde illius cadaver Margarita conjux ad Montiſregalis Eccleſiam ab ipſo Rege excitatam transferri, ibique humari curaverit. In eadem Capella Palatina, anniverſarii dies defunctorum Siciliæ Regum celebrabantur, uti colligitur ex Henrici Imperatoris, dato anno 1195. diplomate apud Pirrum tom. 2. Siciliæ Sacræ, quo rata habet privilegia omnia illi Eccleſiæ conceſſa; jubetque, ut Rogerii, & utriuſque Willelmi Regis anniverſarii dies emortuales ibi colerentur. Quod igitur in Capella Palatina defunctorum Principum exequiæ, & anniverſarii dies celebrarentut, hinc ibi dies emortuales Principum tabulis conſignabantur: eaſque, in quibus dies depoſitionis Regum, & Reginarum deſcripti ſunt, ex antiquis quibuſdam Codicibus erutas edidit Amatus lib. 13. cap. 3. de principe Templo Panormitano. Cæterum in Metropolitana Eccleſia Panormitana Siculi Reges tumulabantur, & ibi quoque defunctis Regibus funera, & ſacra anniverſaria celebrata ſunt; traditque Fazellus lib 8. dec. 1. cap. 2. *Henricus VI. quotannis Rogerio, & aliis Siciliæ Regibus ſolemnes exequias celebrabat, & Imperator Fridericus II. filius, ejus veſtigia ſectatus, eiſdem tria per ſingulos annos anniverſaria perpetuo celebranda, & decreto dum viveret, & teſtamento moriturus ſancivit*. Addit Amatus, funebres haſce ſolemnitates temporum injuria omiſſas, deinde reſtitutas, ad hunc uſque diem agi; imo etiam extinctis alibi Siciliæ Regibus, ſolemni ritu, præſentibus Præſule, Prorege, Senatu, juſta perſolvi.

X. Neapolitanorum Regum funera aliquot ab obitu diebus peracta, Regium corpus primo in Aula ſplendidiſſime collocatum, tum ad ſepulturam a cunctis Ordinibus ductum, indicant Diaria Neapolitana Ducis Montisleonis edita a Muratorio tom. 21. Script. Ital. ubi de funere Reginæ Mariæ conjugis Ladislai Neapolitani Regis, & ſororis Jani Regis Cypri legitur: *Alli 4. de Settembre morì la Regina Maria dopo eſſer ſtata due anni col Re. Alli 7. ne foro fatte l' eſequie*

al Caſtiello novo honoratamente , e con due pallii de oro , uno a lo letto , e l' altro ſopra lo corpo ; e fu tutta Napole , e tutti Clerici , e tutti l' Ordini , Veſcovi , Archiveſcovi , Abbati , e fo ſepolta a S. Domenico . La cauſa de ſua morte dicono , che furono i rimedi de fare figli . Quibus verbis indigitatur , in Capella Palatina Arcis novæ , ubi Regium erat domicilium , collocato cadavere in ſublimi pegmate funebri ſub umbella , præſentibus cunctis Ordinibus parentalia celebrata fuiſſe ; tum funus ad ſepulturam ductum . Quo vero ritu Regium cadaver ad tumulum efferebatur , indicant Annales Raimi a Muratorio editi tom. 23. Script. Ital. ubi de funere Iſabellæ Claromontiæ Ferdinandi I. Neapolitani Regis conjugis dicitur: *Foro veſtiti de nigro quattro uomini per Seggio , li quali portaro lo Pallio con altri Signori dello Reame ; e fu portata a S. Pietro Martire , & andò veſtita con abito di S. Domenico con una Corona in teſta & una palma d' oro alla mano ſiniſtra , & una bacchetta alla mano deſtra , e foro date torcie a tutti Gentiluomini d' una libra , & all' altri di mezza libra . Lo Pallio fu de panno d' oro , e la coltra del letto di panno d' oro , li quali foro donati alla Chieſa di S. Pietro Martire ; e furonci all' eſequie tutte le Religioni , e tutti li Preti*. Igitur Regium cadaver Regalibus ornatum inſignibus ſub baldacchino a Nobilibus , & Primoribus Neapolitanis delato , præunte longo Clericorum , & Monachorum cereos accenſos geſtantium ordine , ad Eccleſiam , ubi humandum erat , deducebatur . Et quidem quam ſplendidiſſima pompa Neapolitanis Regibus funebre officium perſolveretur , teſtatur Pontanus lib. de Magnific. cap. 25. ſcribens : *Ferdinandus Rex Neapolitanorum non Iſabellæ ſolum uxoris , aut Helionoræ filiæ , atque Hyppolitæ nurus funera ſingulari pompa edidit ; verum & Franciſco , & Blanchæ Mediolanenſium Ducibus , Hyppolitæ ipſius parentibus , ac Joanni Aragoniæ Regi patruo , Matthiæ Hungariæ Regi genero , Friderico quoque Imperatori , qui diverſis ac longinquis in locis e vita migrarant , exequias , rara quadam magnificentia , ſplendoreque perſolvit . In hunc autem ipſum Ferdinandum Alphonſus filius difficile explicatu eſt , quam fuerit etiam effuſus , cum ſupra decem & ſeptem aureorum millia in illius funus effuderit*. Quod innuit Pontanus de ſumptuoſiſſimis exequiis Ferdinando Regi perſolutis , illud diſerte conſtat ex epiſtola quadam Triſtani Caraccioli de funere Ferdinandi Regis. Ibi refert ille , die 31. Januarii (obierat Ferdinandus die 25. Januarii , anno 1494.) Regis corpus ſolemniſſima , ac pene incredibili pompa fuiſſe ad S. Dominici Eccleſiam deductum , illud comitantibus Clero univerſo , Magiſtratibus , Nobilibus , & populo ; Alphonſum filium iis exequiis adfuiſſe ; & pedeſtrem inceſſiſſe facie cooperta , mediumque inter Archiepiſcopos Neapolitanum , & Coſentinum Pontificalibus amictos ornamentis , albiſque Mitris redimitos ; in Eccleſia S. Dominici recitatam fuiſſe inter ſacra funebrem orationem de illius laudibus a Franciſco Puccio Florentino inſigni Oratore . Hæc ex Triſtani epiſtola refert Chioccarellus agens de Alexandro Carafa Archiepiſcopo Neapolitano . Inde vero illud emergit in Aula quoque Neapolitanorum Regum uſitatum , ut ſucceſſores Reges prædeceſſorum funera proſequerentur . Quod olim ſolemne fuiſſe Francorum Regibus jam diximus ; etſi nunc temporis deſierit mos ille , atque in illius antiqui moris loco , ſucceſſores Reges , omneſque Principes Regiæ ſtirpis Regium cadaver adſpergant aqua benedicta . At in Aula Regum Hiſpaniæ , & Luſi-

Luſitaniæ, nedum Rex hæres imperii, cæterique Regiæ familiæ Principes ſacram aquam in Regium cadaver effundunt, ſed & funus comitantur ab aula, ubi ſublimi in lecto jacuerat, uſque ad Palatii atrium, ubi in lectica, qua vehendum eſt ad Eccleſiam, collocatur. Sed & in Regio funere apud Germanos, Moſchos, Polonos, Suecos, Boruſſos, uti jam dictum eſt, & uti conſtat ex monumentis editis a Dumontio, & Roſſuetio, Rex ipſe, qui in imperio ſuccedit, tum Regii Principes, & Regales feminæ, pedeſtri itinere feretrum ad ſepulturam ductum ſequuntur. Cæterum mos hic vetuſtiſſima habet initia; ſiquidem certum eſt, olim a conſanguineis, amiciſque ex receptiſſimo more defunctos ad ſepulturam delatos fuiſſe.

XI. Imperantibus deinde Auſtriacis, quo tempore Proreges Neapolitanum Regnum adminiſtrabant, magnis quoque ſolemnibus, Regibus in Hiſpania defunctis juſta perſolvebantur. Nam Prorex, Patres conſcripti Neapolitanæ Civitates, ſeptem ſupremi Proceres Regni, Dynaſtæ, Nobiles viri, Magiſtratus, Clerici, Cœnobitæ, longo ordine, atrati omnes, pediteſque ad Eccleſiam accedebant; ibique excitato ſublimi pegmate funebri, ſolemne Sacrum agebatur. Regia inſignia, Corona nempe, Sceptrum, Enſis, Globus, Vellus aureum deferebantur a ſupremis ſeptem Proceribus Regni, tum in Eccleſia ſuper pegma collocabantur. At in funere Philippi II. Hiſpaniæ Regis, anno 1598. quod Regni Prorex Henricus Guſmanius Comes Olivarenſium ex accepto in prælio vulnere a pedeſtri itinere faciendo prohiberetur, invaluit, ut non jam pedites univerſi Ordines, ſed equites incederent ad Regum exequias agendas. Quamobrem ordinata funebri equitatione, jam nec Clerici, nec Cœnobitæ huic cæremoniæ interfuere. Omnium tamen ſplendidiſſima pompa ſub Prorege Cardinali Aragonio, anno 1665. Philippo IV. Hiſpaniæ Regi parentatum fuit. Nam in Capella Palatina lugubribus inſigniter adornata, primo magnis ſolemnibus, præſente Prorege, celebratum eſt novendiale ſacrum: tum indicta conſueta funebri equitatione, deferentibus Regiis inſignibus nonnullis e ſeptem Proceribus Regni, quæ deinde pegmati nobiliſſimo media in Eccleſia extructo ſuperimpoſita ſunt, Prorex, cunctique Ordines in Eccleſia S. Claræ, ſacris pro defunctorum expiatione Officiis, Reique Divinæ a Gregorio Caraſa Archiepiſcopo Salernitano, aſſiſtentibus aliis Epiſcopis, peractæ, interfuerunt. Fuſe hanc pompam funebrem deſcribunt Marcianus, & Parrinus in Theatro Proregum Neapolitanorum.

XII. Tandem commemoranda ſunt ſuprema officia, queis Sereniſſimæ Neapolitanæ Principes Maria Joſepha Antonia, & Maria Eliſabetha, Caroli Borbonii, & Mariæ Amaliæ Clementiſſimorum Regum filiæ, in tenella ætate vis ereptæ, ſuperiſque additæ, tumulatæ fuerunt. Illarum prima, paucis ſupra duos menſes diebus nata, ſupremum obiit die 3. Aprilis, anno 1742. quo die, Regiis induta veſtibus, ſublimi in lecto jacuit ante omnium oculos in cubiculo quodam Palatii Regii candidis holoſericis ſplendide exornato, adſtante milite Regii corporis cuſtode, magnaque circa lectum ardente luminum copia. Ubi vero prima incepit noctis vigilia, exanime Principis corpuſculum feretro incluſum, traditis Magno Capellano, & Præfecto Domus Regiæ clavibus, quatuor Domus Regiæ Præfecti uſque ad definitum Palatii locum, tum totidem equorum Magiſtri (*Cavallerizzi di Campo*) ad atrium uſque Palatii Regii, ubi curru vehemendum

 erat,

erat, detulerunt: præibantque haſtati milites, famuli Aulici accenſas faces geſtantes, Capellani Palatini pſallentes, Parochus Aulicus, Magnus Capellanus; ſexque Aulici adoleſcentes cum cereis accenſis Regio cadaveri adhærebant. Tum ab Ædibus Regiis ad Eccleſiam Monialium S. Claræ, ubi Infantis cadaver humandum erat, funus hoc ordine proceſſit. Præibat eques Magiſtratus ille, qui in negotiis militum jus dicit, (*Auditore Generale dell' eſercito*) ſuis ſtipatus miniſtris pariter equitantibus; ſequebatur miles haſtatus; famuli Aulici præferebant accenſas faces; Infantis cadaver nobiliſſimo Regio curru ſex equis ducto vehebatur, & una ſimul eodem vehebantur curru Parochus Aulicus Crucem in manu habens, Magnuſque Capellanus ſacris induti veſtibus; ſex Aulici adoleſcentes cum cereis accenſis a dextra lævaque currus pedites incedebant; turma militum cuſtodum corporis Regis, aliique tres Regii currus, quorum ſingulis alligati erant ſex equi, & quibus Aulici nonnulli vehebantur, claudebant agmen. Porro a Regiis Ædibus uſque ad Eccleſiam inſtructi fuere in acie milites a dextra, lævaque itineris; & in atrio ejuſdem Eccleſiæ Helvetii milites Prætoriani in acie pariter conſtitere. Venienti funeri ad Eccleſiam fores occurrerunt Franciſcani Cœnobitæ, qui in ea Monialium Eccleſia miniſtrant ſacra; ibi Infantis cadaver e curru ſublatum ſuper menſulam ſtrato ſubtus tapete collocatum eſt; deinde ordinata ſupplicatione præeuntibus Cœnobitis, Capellanis Palatinis, Parocho Aulico, Magno Capellano, Præfecto Domus Regiæ, feretrum efferentibus quatuor Aulicis equorum Magiſtris in Eccleſiam illatum, atque ſuper nobiliſſimum pegma media in Eccleſia conſtructum, cereorum magna copia onuſtum, collocatum. Quo facto, preces, ſacræque cæremoniæ ſubſecutæ ſunt, quas in parvulorum exequiis indicit Eccleſia. Nocte tota, flagrantibus undique cereis, apertis Eccleſiæ foribus, Capellani Aulici, & milites cuſtodes Regii corporis circa feretrum excubarunt; haſtati milites ad Eccleſiæ limina vigilias egerunt. Sequenti die, ex Ordinibus Mendicantium Cœnobitæ quamplurimi pſalmorum cantu, cereiſque accenſis, Regio cadaveri obſequium præſtitere. Deinde miniſtrantibus Capellanis Palatinis, Res Divina modis muſicis, ſolemnique ritu peracta eſt; cui interfuerunt ii, qui Regis ſunt a ſupremo Conſilio, quique ſunt a ſecretis imperii negotiis, Proceres Aulici, belli Duces, Patres conſcripti Neapolitanæ Civitatis purpureo Veſtimento induti, Dynaſtæ, Patritii, Magiſtratus, univerſi feſtivis, ſplendidiſque veſtibus amicti. Denique feretrum a pegmate ſublatum iidem Aulici equorum Magiſtri ad Sacellum, ubi tumulo mandandum erat, adſportarunt. Ibi, traditis a Magno Capellano, & Præfecto Domus Regiæ clavibus, reſerata eſt arcula, qua Principis cadaver includebatur, illudque exhibitum, traditumque Procuratori Monialium, qui harum nomine cuſtodiendum accepit. Aderant Proceres Aulici, Neapolitani Patres conſcripti, Præſides Magiſtratuum Neapolitani Regni, & Marchio Cajetanus Branconius Regis a ſecretis in negotiis eccleſiaſticis, Regaliſque Ordinis S. Januarii Secretarius, qui rem geſtam Regique ſignificandam ſcripto tradidit. Atque hoc ordine, cui Preſectus Domus Regiæ, & Magnus Capellanus imminebant, Sereniſſima infantula Maria Joſepha Antonia in tumulum illata eſt. Rurſum paucos poſt annos nempe 1749. die 5. Martii ereptam doluimus Regno, Regiiſque Parentibus Mariam Eliſabetham Sereniſſimam, dulciſſimamque Principem, quæ die 30. Aprilis, anno

1743.

1743. venerat in vitam. Quam in ædibus Regiis, ipſa obitus die, nobili in lecto jacentem, adſtante Educatrice Regiæ prolis, & milite cuſtode corporis Regii, adveniente noctis initio, loculo incluſam, & in curru, quo Magnus Capellanus vehebatur, collocatam, eodem ordine funeris ex haſtato milite, famulitio, Aulicis adoloſcentulis, militibus cuſtodibus Regii corporis, cohortibus quoque Prætorianis Helvetiis, Italiſque conflati; duplici conſtituta in itinere militum acie, ab Ædibus Regiis uſque ad Eccleſiam S. Claræ Monialium, ſepeliendam adſportarunt. Ibi in funebri pegmate magnificis operibus adornato poſitam, Clerici Aulici, militeſque cuſtodes corporis Regii, & Prætoriani, nocte tota cuſtodierunt, uſquedum ſequenti die, ſacris rebus de more peractis, præſentibus Palatinis Proceribus, Aulicis Matronis, Patribus conſcriptis Neapolitanis, Magiſtratibus, feſtiva veſtimenta induentibus; poſtquam Magnus Capellanus, aperta arcula, incluſum Principis cadaver Præſuli Monaſterii exhibuiſſet, & tradidiſſet, tumulata eſt in ædicula ejuſdem Sacelli, ubi cadavera jacent germanarum Principum, quæ ad ſuperos advolarunt.

CA-

CAPELLANI MAJORES REGNI NEAPOLITANI.

I. JOANNES DE MASNELIIS Protocapellanus Caroli I. Andegavenſis occurrit anno 1269. In Regiis Regeſtis, uti teſtis eſt tom. 4. Chioccarellus. Hujus non ſemel meminit Pirrus in Chronologia Regum Siciliæ, in notitia Panormitanæ Eccleſiæ, & in notitia Palatinæ Capellæ S. Petri. Fuit enim Maſnelius, Caroli Regis Conſiliarius, Magnæ Regiæ Curiæ rationum Magiſter, Cantor Capellæ Palatinæ S. Petri, Archidiaconus, ac tandem Archiepiſcopus Panormitanus.

II. PRÆPOSITUS MAGISTER GUILLELMUS anno 1274. legitur in Archivo Curiæ Capellani Majoris hoc officium geſſiſſe. Is videtur fuiſſe M. Guillelmus de Godonio vel Godeſio Gallus e Provincia Provinciæ, qui cum eſſet Ducis Calabriæ Cancellarius, & Adminiſter, & ſanctioris conclavis Conſiliarius, a Bonifacio VIII. anno 1297. evectus eſt ad Archiepiſcopalem Sedem Salernitanam, uti narrat Ughellius.

III. PETRUS DE FERRARIIS anno 1295. regnante Carolo II. Andegavenſi memoratur Magiſter Regalis Capellæ in laudato Archivo. Fortaſſe idem ipſe eſt Petrus Epiſcopus Litterenſis doctus, & probus vir, Conſiliarius Caroli II. & Cancellarius Regni & anno 1300. Neapolitani Studii Moderator, cujus meminit Ughellius.

IV. PETRUS DE BOLONNESIO Canonicus Beluacenſis, Magiſter Capellæ Caroli II. Siciliæ Regis, electus Epiſcopus Averſanus, & confirmatus a Clemente V. anno 1309. tum Patriarcha Conſtantinopolitanus, & abdicato titulo Epiſcopali, factus eſt Eccleſiæ Averſanæ Commendatarius per ceſſionem Leonardi Cardinalis Albanenſis. Obiit anno 1324. uti refert Ughellius. Fortaſſe is fuit ille Petrus Capellanus Caroli II. Andegavenſis, qui anno 1300. una cum Joanne de Monteforti Comite Squillacii, ac Montiſcaveoſi, Regni Siciliæ Magno Camerario, & Bartholomæo de Capua Regni Logotheta interfuit, cum a Philippo Minutolo Archiepiſcopo Neapolitano, auctoritate Bonifacii VIII. Romani Pontificis, diſſoluta ſunt ſponſalia jam inita inter Eleonoram Regis filiam, atque Philippum Tuziacum; eo nomine, quod illa eſſet natu minor, cum iis ſponſalibus fidem præſtitit. De qua re Summontius in Hiſt. Neap. & Chioccarellus in Ep. Neapolitanis.

V. MAGISTRUM GUILLELMUM EBRANNI anno 1305. ſub Carolo II. hoc functum munere exhibent Acta Archivi Curiæ Capellani Majoris.

VI. CHRISTOPHORUS DE TOLOMEIS Ordinis Prædicatorum, Senenſis, pluribus in ſuo Ordine perfunctus muneribus, anno 1313. fit Roberti Regis Neapolitani Penitentiarius, familiaris, & Major Capellanus, ut ex Roberti litteris in Dominicano Archivo Senenſi teſtatur Ugurgerius par. 1. tit. 7. de pompis Senenſibus, & ex eo Fontana in Theatro Dominicano. Fuit etiam Epiſcopus Sebaſtenus. At a Lombardello in vita B. Bonaventuræ Tolomei dicitur Epiſcopus Savonenſis in Liguria; & a Lopez in Hiſtoria S. Dominici Epiſcopus Monopolitanus; cujus tamen non meminit Ughellius.

VII. MAGISTER JOANNES DE EXARCELLIS Religioſus vir legitur Ma-

Magiſter Regalis Capellæ ſub Roberto Rege anno 1313. in regeſto ejuſdem Regis, uti teſtatur citato loco Chioccarellus.

VIII. Petrus de Morech Regalis Capellæ Magiſter, regnante Roberto, annis 1334. uſque ad annum 1340. ut ex eodem Regeſto conſtat. Eodem munere fungebatur anno 1344. Nam in quadam Charta, quam exhibet Wadingus in Annalibus Fratrum Minorum ad annum 1344. qua Sancia Regina Roberti Regis Conjux, Clariſſis nomen datura, plura ſtatuit, circa ſuorum bonorum adminiſtrationem, legitur Petrus Eleemoſynarius, & Magiſter Capellæ ipſius Reginæ. Dicuntur enim hæc acta eſſe, *in præſentia ipſius Excellentiæ Reginalis, ac Domini Petri Eleemoſynarii, Reginalis Capellæ Magiſtri; Magiſtri Nicolai de Aliſia Secretarii Reginalis, & Magnæ Reginalis Curiæ Magiſtri Rationalis; Abbatis Perrotti Marchiſani de Salerno Clerici Capellæ Reginalis, & aliorum*. Idemque Petrus ſubſcribit, ut teſtis: *Petrus Eleemoſynarius Reginalis, & Magiſter Capellæ præmiſſis interfui, & ſubſcripſi*.

IX. Episcopus Marsicanus in Regeſto Joannæ I. Reginæ anno 1333. reperitur Magiſter Regalis Capellæ. Et apud Ughellium quidam Petrus circa hæc tempora legitur eam Eccleſiam adminiſtraſſe. Fortaſſe is idem eſt ac Petrus de Moreth, de quo mox diximus, Marſicano Sacerdotio deinde auctus.

X. Landulphum de Regina Canonicum Neapolitanum anno 1334. Roberto Rege imperante, hoc officium geſſiſſe, indicat Archivium Curiæ Capellani Majoris.

XI. Joannes de Gallinario Ordinis Minorum, regnante Joanna I. Regina, agebat Magiſtrum Regalis Capellæ circa annum 1334. uti ex Regio Regeſto colligitur: qui a Clemente VI. circa annum 1350. factus eſt Epiſcopus Gravinenſis. Is idem a Wadingo in Annalibus Minorum dicitur Reginæ Confeſſarius; ab eadem Legatus conſtitutus ad pacem cum Friderico III. Siciliæ Rege componendam; qui ad eamdem rem delegavit Fr. Ubertinum de Corleone Epiſcopum Liparenſem, Majorem ſuum Capellanum. Hujus pacis conditiones fuere, ut Fridericus diceretur Rex Trinacriæ; Joanna vero Regina Siciliæ; utque ille nuberet Antoniæ de Baucio Andrienſium Ducis filiæ, & Joannæ conſanguineæ; utque ſingulis annis quamdam pecuniæ ſummam Reginæ perſolveret.

XII. Andreas de Valle Regia Ordinis Minorum anno 1344. creatur Magiſter Regalis Capellæ a Regina Joanna I. cujus in hanc rem litteras ex Archivo Neapolitano deſumptas exhibent tom. 4. Chioccarellus, & Wadingus in Annalibus Minorum. Auctum deinde Epiſcopatu Larinenſi, & anno 1365. obiiſſe ſcribit Ughellius. Laudatur a Toppio in Bibliotheca Neapolitana, & a Joanne Andrea Tria Epiſcopo Larinenſi, poſtea Archiepiſcopo Tyri, in notitiis Larinenſis Eccleſiæ, quas Romæ edidit.

XIII. Magister Matthæus de Acquaputida Ordinis Minorum legitur Magiſter Regiæ Capellæ, & Confeſſarius Joannæ I. in Regeſto ad annum 1345. Eodem anno, Teleſinus Epiſcopus ungitur, uti tradit Ughellius; quo eodem teſte, obiit anno 1348. Et Wadingus in Annalibus Minorum ad annum Chriſti 1343. ſcribit, Matthæum Teleſinum Epiſcopum, fuiſſe Confeſſarium, & Conſiliarium Sanciæ Reginæ, & ante aſſumptionem ad Epiſcopatum, egiſſe Regii Sacelli Magiſtrum. Refert etiam privilegium a Joanna I. die 9. Februa-

bruarii anno 1347. Fratri Matthæo Epiſcopo Teleſino conceſſum, in quo is nominatur Confeſſor, & Conſiliarius Reginæ.

XIV. Episcopum Marsicanum anno 1348. præfuiſſe Regiæ Capellæ indicat Archivum hujus Officii. Ea ætate Marſicanam adminiſtravit Eccleſiam quidam *Fr. Petrus*, cûjus Ordinem, & patriam ſe ignorare Ughellius fatetur At hunc Petrum Epiſcopum Marſicenſem Ordini Prædicatorum adſcribit Fontana in Theat. Dom. par. 1. tit. 367.

XV. Ubertinus de Corleone ſeu de Coriolano Ordinis Minorum, Epiſcopus Pactenſis, & Liparenſis, & Magiſter Regalis Capellæ, Ladiſlao regnante. Extant tom. 4. Chioccarelli, hujus Regis litteræ datæ Gaietæ anno 1393. die 18. Junii, Fratri Franciſco de Arpino Confeſſori, Capellano, & Oratori ſuo, ex Ordine Minorum, quibus eum declarat Vicarium, Locumtenentem, & Subſtitutum Ubertini Pactenſis, & Liparienſis Epiſcopi, Magiſtri Regalis Capellæ & Conſiliarii ſui, abſentis ab Aula, cum plena poteſtate, in iis, quæ ſpectant ad ipſam Capellam, & cum omnibus prærogativis, quibus frueretur ipſe Epiſcopus, ſi præſens eſſet. Hujus Ubertini crebra occurrit mentio apud Wadingum in Annalibus Minorum, & Pirrum in Sicilia Sacra. Is enim fuit Friderici III. Siciliæ Regis præceptor, & Magiſter Capellanus; cumque anno 1372. inter ipſum Fridericum, & Joannam Reginam Neapolitanorum pax inita fuerit, hujus pacis procurandæ, ac conciliandæ ex parte Friderici auctor fuit. Multæ in hanc rem conſcriptæ litteræ, in quibus, uti teſtatur Wadingus, maxime commendatur Ubertini in proponendis negotiis prudentia, & in peragendis diligentia. Hinc illum Gregorius XI. ſuum declaravit Capellanum, & familiarem, & Epiſcopum Corioccenſem. Ab eodem Pontifice anno 1372. facultas illi conceſſa eſt adminiſtrandi Friderico Trinacriæ Regi, cujus agebat Magiſtrum Capellanum, Sacramenta omnia, & Aulicis ſuis, quin facultatem expeteret a quovis alio: cujus Pontificiæ conceſſionis diploma exhibet Wadingus ad calcem tom. 8. Annalium. Translatus deinde ad Eccleſiam Pactenſem, & Liparenſem; cum anno 1385. occupaverit Liparim inſulam Ladiſlaus Rex Neapolitanorum, huic adhæſit, a quo donatus eſt munere Magiſtri ſuæ Regalis Capellæ. Exinde Martini Regis, qui Friderico III. ſucceſſerat, ducta Maria ejus filia, iram in ſe concitavit, prohibituſque a gerendo Epiſcopatu Pactenſi, quem Rex conceſſit anno 1392. Joanni de Aragonia filio Vinciguerræ de Aragonia, Magni Cancellarii Siciliæ. Ubertinus tamen adhuc Pactenſis, & Liparenſis Epiſcopus dicitur anno 1393. De eo Pirrus in notitiis illarum Eccleſiarum.

XVI. Abbas Gentilis de Sancto Angelo de Fasanella Magiſter Regalis Capellæ ſub Joanna II. circa annum 1422. Huic Joanna Regina litteras dedit eo anno, ut ad Rem Divinam faciendam in Regali Capella octo adeſſent Capellani, quibus alendis conſtituit annuos proventus centum unciarum argenti e Beneficiis Regii juris percipiendos, diſtribuendoſque auctoritate Magiſtri Regalis Capellæ; cui viginti uncias, ſingulis vero Capellanis uncias decem voluit ſingulis annis erogandas. Exhibet haſce litteras tom. 4. MSS. Chioccarellus.

XVII. Joannem Ingium Majoricenſem ex Ordine Prædicatorum, Confeſſarium, & Majorem Capellanum Alphonſi Regis, & anno 1443. Epiſcopum Syracuſanum, deinde translatum ad Epiſcopatum Majoricenſem memorat Pirrus in Epiſcopis Syracuſanis. Is idem Epiſcopus Ma-

Majoricenſis, Confeſſarius Alphonſi Regis adfuit ei morienti, uti ſcribit Summontius in Hiſtoria Neapolitana.

XVIII. Dominicus Xaragh ſeu de Exarchis de Aragonia, Major Capellanus Alphonſi Regis, & Magiſter Regalis Capellæ anno 1445. uti conſtat ex litteris datis hoc anno ab Alphonſo, die 29. Junii, quas e Regiis Tabulariis protulit citato loco Chioccarellus. Hunc patria fuiſſe Barcinonenſem, profeſſione vero Monachum Ciſtercienſem, tum anno 1450. Epiſcopum Pactenſem, & anno ſequenti Pontificem Agrigentinum, ſcribit Pirrus in hujus Eccleſiæ notitia. Anno 1452. adhuc fungebatur Majoris Capellani officio: ſiquidem in quibuſdam Alphonſi Regis litteris eo anno datis, & a Chioccarello relatis, ut Nicolaum de Rainaldo Diœceſis Vicanenſis in Regios adſcriberet Capellanos, legitur in earum calce: *Viſa per Dominicum Capellanum Majorem*. Hunc eumdem anno 1465. Oratorem egiſſe apud Joannem Siciliæ ultra Pharum Regem pro rebus Siculis componendis, & obiiſſe Romæ anno 1471. Pirrus teſtatur.

XIX. Ursus Leo de Leone Arianenſis, Major Capellanus Alphonſi Regis, & patriæ Antiſtes. De eo ita ſcribunt Fabius Barberius, & Ughellius in Epiſcopis Arianenſibus: *Hic Præſul, qui fuit Patritius Ariani, jam ſatis dilectus ab Alphonſo Neapolis Rege ob ingentem ejus eruditionem, fidelitatem, atque in agendo eximiam peritiam. Idcirco antequam patriæ Epiſcopus cooptaretur, non ſolum fuit Major Capellanus ipſius Regis, ſed etiam peritus Orator, atque ita aliquot annis in Curia verſatus eſt, quamobrem meruit pro ſe ſuiſque poſteris quædam privilegia, & quidem non minoris momenti ab eo obtinere*. Fuerat etiam Canonicus, & Theſaurarius Eccleſiæ Arianenſis circa annum 1448. tum Epiſcopus circa annum 1449. obiitque circa annum 1470.

XX. Joannes Geraldinus nobilis Amerinus, Pontificii Juris peritiſſimus, poſt diuturnam in Romana Curia moram, ubi Abbreviatoris munus exercuit, Alphonſi Regis, & Ducis Calabriæ egit Majorem Capellanum, & anno 1467. Epiſcopum Catacenſem; cui Eccleſiæ præfuit uſque ad annum 1485. quo e vivis deceſſit. Is etiam Oratorem egit Alphonſi Regis apud Romanum Pontificem. Ex eadem familia prodiit Alexander Geraldinus Epiſcopus Ulturarienſis, Major Capellanus Ferdinandi Catholici Hiſpaniæ Regis, rerum gerendarum peritia, functis legationibus, ac muneribus, editiſque libris clariſſimus, cujus vitam ſcripſit Onufrius Geraldinus.

XXI. Petrus Brusca ſive Bruna Hiſpanus, Epiſcopus Averſanus, Major Capellanus Ferdinandi I. Neapolitani Regis, circa annum 1473. Hoc enim anno, die 3. Decembris, Rex Ferdinandus litteris ſuis graviter monuit Umbriaticenſem Epiſcopum, ut niſi vellet Regis iram in ſe provocare, abſtineret a ferenda ſententia in cauſa Caroli Pycitæ Regii Capellani, quinimo hujus cauſam fineret ab Epiſcopo Averſano Majore Capellano diſcuti, ac definiri. Idem Rex ſcripſit Averſano Antiſtiti Capellano Majori, ut ne Capellanus quidam Regius, cui nomen Matthæus de Lauro, ſolvere cogeretur decimas ſuorum Beneficiorum, a quibus ſolvendis, tamquam Capellanus Regius, erat immunis. Extant hæ litteræ apud Chioccarellum. Hunc Ughellius in Epiſcopis Averſanis ſcribit donatum Epiſcopatu anno 1467. & obiiſſe anno 1474.

XXII. Julianus Myrtus Frangipanus Cajacenſis civis, & Anti-

tiſtes, a Ferdinando I. Rege, apud quem plurimum valebat gratia, & exiſtimatione, preficitur Neapolitano Gymnaſio, inter Regios adſcribitur Conſiliarios, ac Majoris Capellani munere exornatur in locum defuncti Epiſcopi Averſani. Præfuit Cajacenſi Eccleſiæ annis novem, & Rege favente translatus eſt ad Tropejenſem Eccleſiam anno 1480. Mortuo Ferdinando Rege, una cum quibuſdam Aulæ Proceribus, & Joanne Brocharto Magiſtro cæremoniarum Pontificlarum moderatus eſt totum ordinem Coronationis Alphonſi II. Regis, nuptiaſque conciliavit inter Sanciam Regis filiam, & Joffredum Borgia Alexandri VI. conſanguineum, uti dictum fuit, cum de Coronatione, & Nuptiis Regum egimus. Tropeæ obiit anno 1500. ſepultus in Cathedrali: cujus cenotaphium ex ædibus Myrtanorum Calatinæ civitatis, ita refert Ughellius; *Julianus Myrtus Epiſcopus Tropejenſis, olim Cajacenſis, Invictiſſimi, & Sereniſſimi D. Ferdinandi de Aragonia Siciliæ Regis Major Capellanus, & Conſiliarius, ac Almi Studii Neapolitani Gubernator. Anno Domini MCCCCLXXXII.* Julianum laudant Ughellius, Ammiratus, e Zazzera de ſamilia Myrta Frangipana.

XXIII. Joannes de Mediolano Monachus Olivetanus dicitur Major Capellanus Alphonſi II. Neapolitani Regis a Joanne Brocharto Magiſtro cæremoniarum in ſuis Diariis MSS. ubi narrat Coronationem Alphonſi II. anno 1494. Ibi enim hi nominantur, qui Regi in Solio adhærere, eumdemque de Solio ad Altare comitari debebant; *D. Julianus Epiſcopus, qui Regi ſuper thalamo genuflexo a ſiniſtris Regis erat genuflexus, & Frater Joannes de Mediolano, Ordinis Montis Oliveti, Capellanus Major a dextris Regis erit, ut ſupra genuflexus, & ambo de Miſſali Regi ſervient.* Cum duo in hiſce Diariis occurrant Majores Capellani Alphonſi II. Regis, nempe Julianus Epiſcopus Tropejenſis, & Joannes hic Monachus Olivetanus, dicendum eſt, hunc vel abſente ab Aula Tropejenſi Præſule, vel cum Alphonſus Dux erat Calabriæ geſſiſſe officium Capellani Majoris. Illius tamen expreſſe non meminit Lancellottus in Hiſtoria Olivetana, etſi innuat Alphonſum duos ex Olivetanorum Ordine ſibi a ſacris rebus habuiſſe, quorum unum nominat Fratrem Michaelem Volaterranum ejus Confeſſarium. Quam vero fuerit Alphonſus II. Olivetanis Monachis addictus, idem tradit Lancellottus. Hinc Iſabellam Friderici Aragonii Regno dejecti conjugem, magna oppreſſam calamitate, grato animo; ſubminiſtrata pecunia adjuvarunt.

XXIV. Joannem Castriotum nobiliſſimæ ſamiliæ ex patre Bernardo Caſtrioto Comite Galatonis, & Copertini natum, agiſſe Majorem Capellanum Ferdinandi II. Neapolitani Regis circa annum *1496.* ſcribit Pirrus in notitia Eccleſiæ Mazarienſis. Is idem, uti refert Pirrus, cum eſſet annorum decem & octo, conſtitutus eſt Adminiſtrator Mazarienſis Eccleſiæ, obtinuitque a Pontifice, ut Epiſcopalia munia ab aliquo Antiſtite ab eo nominando in illa Eccleſia exercerentur, donec ipſe ad vigeſimum ſeptimum ætatis annum perveniret: At anno 1503. ſe abdicavit Epiſcopatu. Porro Ferdinandus II. regnare cœpit anno *1495.* cum Alphonſus II. ejus parens, Caroli VIII. Galliæ Regis armis, & ſudditorum odio territus, imperio ſponte ceſſit, quod anno uno adminiſtraverat. Tum Ferdinando II. immatura morte perempto ſucceſſit anno *1496.* Fridericus patruus, Princeps Altamuræ, qui ad annum uſque 1503. imperium armis exagitatum tenuit. Quare Caſtriotus anno *1495.* & ſequenti, Majorem egit Capellanum.

XXV.

XXV. Episcopus Triventinus, regnante Friderico Aragonio, anno 1500. Majoris Capellani dignitatem induebat, uti colligitur ex Archivo ejuſdem Curiæ. Ea ætate Triventinam adminiſtrabat Eccleſiam Thomas Carafa, quem judicio gravem, & Aulæ ingenio accomodatum, Ferdinando Regi charum, & ejus favore Triventinam conſcendiſſe ſedem, & a Sixto IV. immunitatem, exemptionemque ſuæ Eccleſiæ obtinuiſſe ſcribit Ughellius. Sed anno eodem vivis ereptus eſt.

XXVI. Joannes Maria Pudericus, Neapolitanus, claris ortus natalibus, ab Innocentio VIII. anno 1491. fit Archiepiſcopus Nazarenus, & a Ferdinando Catholico Hiſpanorum, & Neapolitanorum Rege fit Major Capellanus circa annum 1505. Præfuit Eccleſiæ Nazarenæ decem ac novem annis, translatuſque ad Eccleſiam Tarentinam, hanc per annos plures adminiſtravit, obiitque Neapoli anno 1535. ſepultus in Divi Laurentii, cum hac inſcriptione: *Joanni Mariæ Puderico Tarentinorum Pontifici, ac intimo Regum Conſiliario, de patria, ſuaque familia optime merito, Paulus Pudericus patruo benemerenti puſillum gratitudinis munus poſuit*. A. D. MDXXXV. De eo Lellus agens de Pudericorum familia.

XXVII. Antonium Jacconiam Licienſem, Ugentinorum Antiſtitem, deinde Puteolanum, obiiſſe munus Capellani Majoris circa annum 1514. indicant Archivum Curiæ, & epitaphium in Cathedrali Puteolana illius ſepulcro inſculptum: *Antonius Jacconia Licienſis, Epiſcop. Puteol. Majorque Reginalis Capellanus LXX. an. cum omni integritate vixit, ſuam Pontificiam dignitatem XX. an. officioſè geſſit, vitæ munere defunctus MDXIV. Chriſti. Anno vero III. Sanctiſſimi Papæ Leonis conditur: tamen hic ſibi tumulum, ubi ſuos inſignes virtutum titulos etiam poſt funera ſervat. Omnes hic in Chriſto legentes valete, & pro eo ſemper Jeſum orate*. Is quidem eo officio functus eſt, cum Joanna Aragonia Ferdinandi Catholici filia, & hæres, Philippo Auſtriaco nupta, ſalutata eſt Neapolitanorum Regina. Et hinc fortaſſe in epitaphio dicitur *Major Reginalis Capellanus*.

XXVIII. Joannes Ruffus de Theodolis Forolivienſis, Archiepiſcopus Coſentinus, & Major Capellanus anno 1510. Carolo V. imperante, Prorege Carolo de Lanoja. Hunc a Julio II. Pontifice creatum Bertinorii Epiſcopum, deinde anno 1511. translatum ad Eccleſiam Coſentinam, in locum Franciſci Borgiæ, quem Cardinalatu, & Epiſcopatu dejecerat, ſcribit Ughellius in Epiſcopis Coſentinis. A Leone X. Nuncius Apoſtolicus in Hiſpaniam miſſus, Caroli V. Imperatoris gratiam ſibi conciliavit, a quo auctus eſt dignitate Majoris Capellani, & Epiſcopatu Gadicenſi, quem tamen dimiſit in favorem Hieronymi fratris filii. Adriano VI. dum Cardinalis erat familiariter uſus eſt, illique poſtea ad ſupremum Pontificatum evecto, in graviſſimis expediendis negotiis egregiam operam præſtitit. Demum Romanæ Eccleſiæ Theſaurarius generalis vivis exceſſit Romæ anno 1528. ſub Clemente VII. jacetque in Eccleſia S. Mariæ de Populo.

XXIX. Carolus de Aragonia Hiſpanus ſubrogatus eſt Archiepiſcopo Coſentino, ac Majorem egit Capellanum anno 1528. Carolo V. regnante, Prorege Philippo de Chalon Arauſicanorum Principe.

XXX. Thomas Caracciolus genere, & virtute clariſſimus, Epiſcopus Triventinus, Major Capellanus anno 1531. imperante Carolo V. & Prorege Petro de Toleto Villefranchæ Marchione. Is Carolum V. Imperatorem Neapolim adeuntem tamquam Major Capellanus adſper-

ſperſit aqua benedicta in Eccleſia Cathedrali Neapolitana, & apud eumdem, dum Neapoli degeret, perſunctus eſt ſacro miniſterio. Is idem primum jecit lapidem in erectione Eccleſiæ S. Jacobi gentis Hiſpanæ, uti ſcribit Engenius in Neapoli ſacra. Anno 1536. translatus ad Capuanum Archiepiſcopatum. Obiit anno 1546. ac tumulatus eſt in Eccleſia S. Catharinæ de Formello Ordinis Prædicatorum, ut idem refert Engenius.

XXXI. Joannes Fonseca Hiſpanus ſucceſſit Archiepiſcopo Capuano in Capellani Majoris munere, anno 1537. eodemque anno ex nominatione Caroli V. Imperatoris a Paulo III. præficitur Eccleſiæ Stabienſi, ſeu Caſtrimaris. Interſuit Concilio Tridentino, obiitque anno 1562.

XXXII. Bernardinus de Figueroa Granatenſis, Archiepiſcopus Nazarenus anno 1553. hoc fungebatur officio, Philippo II. regnante. Translatus anno 1572. ad Eccleſiam Brunduſinam, præfuit huic Eccleſiæ annis quatuordecim.

XXXIII. Antonius Lauro nobili familia Amantheæ oriundus, Epiſcopus Stabienſis, ſeu Caſtrimaris, præfuit Sacello Regio uſque ad annum 1577. quo Neapoli vivis exceſſit, ſepultus in Eccleſia S. Mariæ Gratiarum, cum hoc epitaphio: *D. O. M. Antonius Laureus nobili familia Amanthea oriundus, Stabienſium Epiſcopus, Regii Sacelli Antiſtes, Publici Gymnaſii Præfectus, Neapolitani Collegii primarius, vetere Juris prudentia, conſilii magnitudine, ſpectata in rebus maximis fide. Philippo Regi a Conſiliis, & Patriæ æque charus. Hic ſitus eſt. Vix An. LXXIX. obiit An. MDLXXVII. Bartholomæus, Jacobus Laurei Patruo B. M. cum lechrymis PP.*

XXXIV. Vincentius Spinelli ex præclaro genere natus, Oppidenſis Antiſtes, Majoris Capellani officium adminiſtravit uſque ad annum 1580. quo mortem ſubiit, imperante Philippo II. & Prorege Mondejarenſium Marchione. Abdicaverat tamen ſe Oppidenſi Sacerdotio ab anno 1561. Jacet in Eccleſia S. Petri de Majella in gentilitio Sacello, hac inſcriptione ab Engenio relata: *Vincentio Spinello J. V. D. Marini F. Oppiden Epiſcopo, Fabricæ S. Petri de Urbe Generali Commiſſario, in Regno Neapolitano Regio Capellano Majori, vir in tuenda integritate conſtanti, atque in rebus agendis ſolerti, qui majora ſtuduit mereri, quam adipiſci, quique jam ſexagenarius mortem obivit anno* 1580. *Jacobus Spinellus Fratri amantiſſimo memoriam P.*

XXXV. Fabius Pulverinus Epiſcopus Iſclanus ab anno 1580. quo Spinellus ſupremum obiit, per duos fere annos, hoc officio functus eſt. Hunc autem vivis ereptum anno 1590. ſcribit Ughellius.

XXXVI. Gabriel Sanchez de Luna Alphonſi Grottulenſium Marchionis, Regii ærarii ſupremi Præfecti, Regiique Conſiliarii filius, Protonotariatu Apoſtolico, & Abbatia S. Joannis Majoris a Clemente VIII. donatus, & a Philippo II. Rege pluribus Beneficiis Regii juris auctus, nempe S. Nicolai de Pergoneto, S. Nicolai de Bucciano, S. Catharinæ de Celano, S. Philippi de Lauria, Majorem egit Capellanum ab anno 1581. uſque ad annum 1611. Hunc plurimum commendat Lellus agens de familia Sanchez, aitque illum a Philippo III. ob egregie navatam operam in ſuo exequendo munere, adſcitum fuiſſe in Collaterales Conſiliarios Status, quem gradum Clericis conferre, antea minime erat conſuetum, ita ut primus ille fuerit e Clericorum Ordine, qui eam occupaverit dignitatem.

XXXVII. Carolus Catalanus Patritius Averſanus, Antonii Regii Conſiliarii filius, Epiſcopus Cotronenſis, præfuit Sacello Regio anno *1611.* & ſupremo fato functus eſt Neapoli anno *1622.* jacetque in D. Joſeph Eccleſia.

XXXVIII. Joannem de Mattude Hiſpanum, huic præfectum officio anno *1616.* ſub Philippo III. indicat Archivum Curiæ.

XXXIX. Joannes Episcopus Uxentinus ex eodem Archivo ſe prodit in eodem munere, anno *1619.* Is vero fuit Fr. Joannes Bravo de Lugana Hiſpanus, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, Provinciæ Bæticæ, qui deinde anno *1627.* ſe abdicavit Epiſcopatu, ac Matriti obiit poſt annos ſeptem.

XL. Alvarus de Toledo Hiſpanus hanc provinciam adminiſtravit circa annum *1620.* qua ætate, Regnum Neapolitanum moderabatur Antonius Alvarus de Toleto Dux Albanorum, nomine Philippi III. Hiſpaniæ Regis.

XLI. Paulus Cajatia Patritius Capuanus J. V. D. & in Neapolitano Gymnaſio Pontificii Juris interpres, Major Capellanus anno *1624.* & Epiſcopus Arianenſis. Præfuit huic Eccleſiæ annis tribus ſupra viginti, deque ea optime meritus, obiit anno *1647.* tumulatus in Eccleſia S. Mariæ Novæ Neapoli, cum hac inſcriptione: *D. O. M. Paulo Cajatia Patritio Capuano, Ariani Epiſcopo, Regii olim Sacelli Majori Capellano, qui Juris Canonici interpres, & vindex, ſapientiæ gloria nobilitatem auxit, e Gälterio Cajatia deductam, qui Capuam in Rempublicam Friderico Barbaroſſa ſacrorum ſocietate interdicto inſtituit, ſignavitque diplomata manu ſua, & laureata. Paulus Cajatia nepos funebre hoc amoris monumentum an. Dom. MDCCXLVII. M. P.*

XLII. Joannes Salamanca Hiſpanus, regnante Philippo IV. & ſub Proregibus Paraſanio de Ribera Duce Alcalenſium, Emanuele Zunica Comite Montiſregii eo munere fungebatur, ab anno *1631.*

XLIII. Carolus Maranta Venuſinus, vir doctiſſimus, cauſarum in Foro Neapolitano Patronus, Conſultor Apoſtolicæ Nunciaturæ, Epiſcopus Juvenacenſis, deinde Tropejenſis ab anno *1637.* officium geſſit Capellani Majoris. Opus edidit pluribus diſtinctum tomis, cui titulus: *Controverſiarum Juris utriuſque Reſponſionum in Foro cauſarum Eccleſiaſtico præſertim diſcuſſarum, & ad pias cauſas.* Scripſit quoque librum: *Medulla Decreti alphabeticis diſtincta litteris, in qua quicquid in Decreto continetur, per propoſitiones diſtinctas producitur.* Scripſit etiam: *Apologeticum Tractatum pro juribus Eccleſiæ.* Carolum laudant Ughellius, & in Bibliotheca Neapolitana Toppius. Obiit anno *1666.*

VLIV. Joannes Cespedes Hiſpanus, Capellanus Honorarius Aulæ Hiſpanæ, ſucceſſor datus eſt Marantæ in eodem Capellani Majoris officio, quo perfunctus videtur uſque ad annum *1676.*

XLV. Hieronymo la Marra nobili Neapolitano, collatum deinde eſt Aulicum Sacerdotium, cui præfuit uſque ad annum *1693.* Carolo II. imperante.

XLVI. Didacus Vincentius Vidania Hiſpanus, e Conſilii Collateralis Regentium numero, diu hoc idem adminiſtravit officium ſub Carolo II. Philippo V. Hiſpaniæ Regibus, & Carolo VI. Imperatore, uſque ad annum 1732. quo centenario major vivis exceſſit.

XLVII. Cœlestinus Galianus, Foggiæ natus, Monachus Congregationis S. Petri Cœleſtini Ordinis S. Benedicti, vir doctiſſimus, ſucceſ-

ceſſor datus eſt Vidanio, ſimulque Archiepiſcopatu Tarentino auctus al Imperatore Carolo VI. Prorege Comite de Harach. Romæ in Monaſterio S.Euſebii Theologiam, & in Archigymnaſio Sapientiæ Hiſtoriam Eccleſiaſticam magna cum laude docuerat; ibique plurium doctorum virorum, & Cardinalium familiaritate uſus, præſertim Alvari Cianfuegos Oratoris Caroli VI. Imperatoris, cui ſuam operam præſtitit pro reſtituenda Sicula Monarchia. Illum tamquam rerum Mathematicarum peritiſſimum Clemens XI. Bononiam miſit, ut exploraret, ſententiamque diceret, quibus modis aquæ ſtativæ in agro Bononienſi, quæ magnam incolis perniciem inferunt, perennes fierent, ac in Padi alveum efluerent. Dum ſui Ordinis ſupremam præfecturam gereret, jubente Carolo VI. Imperatore vocatur anno 1731. ad Aulicum Præſulatum, & ad Tarentinam Eccleſiam regendam: qua tamen ſe abdicavit, donatus titulo Archiepiſcopalis Eccleſiæ Theſſalonicenſis. Regnante deinde Carolo Borbonio mittitur Romam anno 1740. ut una cum Cardinale Trojano Acquaviva, Regis apud Pontificem Miniſtro, ageret de ineundo Concordato inter Sacerdotium, & Imperium. Sed & ab eodem Pontifice antiqua jura Majoris Capellani Neapolitani Regni confirmari, ac nova inſuper addi, edita ad hanc rem Bulla mox exhibenda, curavit, obtinuitque Galianus. Quoniam vero novis Concordatis ſtatutum fuerat, ut in quibuſdam negotiis mixti fori, neque ſoli Judices Eccleſiaſtici, neque ſoli laici jus redderent; ſed Magiſtratus quidam immineret ex Miniſtris Eccleſiaſticis a Romano Pontifice, laiciſque a Rege deſignatis, unde Tribunal mixtum nuncupatur, cui preſſet Antiſtes mutuo conſenſu Papæ, Regiſque, eligendus; hinc primus Præſes datus eſt Galianus huic Magiſtratui. Dum vero is Romæ ageret, interim in Aula Neapolitana vicario nomine munus Capellani Majoris adminiſtrarunt Dominicus Roſſi ex Epiſcopo Catacenſi, Melphienſis, poſtea Archiepiſcopus Panormitanus, & Nicolaus Roſa Epiſcopus Puteolanus, Antiſtites ornatiſſimi. In bello ad Velitras geſto, Regem, & caſtra ſequutus eſt, ut ſacrum miniſterium in Aula, & caſtris moderaretur. Obiit die 23. Junii anno 1753. ætatis ſuæ ſeptuageſimo ſecundo, ſepultus in Cœleſtinorum Eccleſia ſub titulo Dominicæ Aſcenſionis.

XLVIII. Nicolaus Rosa ex Marchionibus Villaroſæ natus anno 1693. Canonicus Metropolitanæ Eccleſiæ Neapolitanæ, ab Imperatore Carolo VI. nominatus ad Epiſcopatum Puteolanum anno 1733. datus eſt a Carolo Borbonio Rege, ſucceſſor Galiano, cujus ab Aula abſentis non ſemel egerat vices. Addita quoque ei eſt Tribunalis mixti præfectura. De Puteolana Eccleſia, quam inſigni ſuppellectile, & aliis auxit beneficiis, deque Aulico Sacerdotio, publici Gymnaſii regimine, & aliis muneribus, quibus ſanctiſſime fungitur, optime meritus, vivit Præſul religioſiſſimus ✠

SAN-

✝
Sibi, suisque summopere parcus, quibus amplissimum reliquit patrimonium vitae sanctae exactae exemplum. Iura Sacerdotii, et Imperii sarta tecta servavit. Decessit anno MDCCLXXV. XI Kalend. Martii. Sepultus in Templo S. Mariae Gratiar. maior. huius Civitat. in suo Gentilitio Sacello. Vixit An. LXXXI

XLIX. Januarius Justa Piccolomineus domo Neapoli nobili genere natus anno Domini MDCCVIII. Ineunte adolescentia humanioribus litteris strenuam navavit operam. Ad Iurisprudentia deinde animum intendit, et forenses turbas secutus est. Presbiteratus ordine inauguratus, Sacris concionibus tanto studio vacavit, ut nemo eum antecelleret, pauci putarentur pares. Inter Canonicos Cathedralis Neapolitanae Ecclesiae adscriptus, summam animi modestiam semper prae se tulit. Quare Nicolaus de Rosa, tunc Regio Sacello Praefectus, Rheginae Ecclesiae Antistitem delegit. Quam Ecclesiam post maxima morum probitate gubernatam abdicavit. Primas Carthaginiensis creatus. Postquam Nicolaus de Rosa e vivis excessit, Regio Sacello praeficitur, ac Tribunalis Mixti, et R. Gymnasio Praefectus renunciatur. Regiam jurisdictionem mirum in modum amplificavit, et Principatus jura acerrime extendit. Obiit Anno MDCCLXXXII. Mense Annos natus. Sepultus in Templo Sodalitii alborum S. Maria Succurre miseris.

L. Isidorus Sanchez de Luna Ordinis S. Benedicti Congregatio_

gation. Casinens. In R. Studior. Universitate Sacrae Theo-
logiae Primarius Professor. Primum ad Arianensem Eccle-
siam opera Coelestini Galiani R. Sacello Praefectus erectus;
inde ad Tarentinam translatus; tum ad Salernitanam.
Anno MDCCLXXXII. Cappellanus Major renunciatus est,
quod munus, suadentibus propinquis et amicis, suscepit.
In constituendo R. Gymnasio, cujus olim Professor fue-
rat, maxime laboravit, pluribus ex veteribus Scholis
in meliorem ordinem redactis, aliisque novis inductis:
Doctorum etiam praelectionibus quandoque interfuit.
Fuit quoque Praeses Mixti Fori, et Administer Supre-
mae Curiae ab abusibus nuncupatae. Duobus post an-
nis, quam Cappellanus Major est factus, Ecclesia Saler-
nitana dimissa, ad Tarsensem Archiepiscopatum fuit ere-
ctus. Obiit An. MDCCLXXXVI. XVI Kal. Novembr.
Annos natus LXXXI sepultusque est in Templo SS.
Severini et Sosii PP. Casinensium, apud quos man-
sit, dum Cappellani Majoris munere est functus.

LI. Thomas Mazzea pridie Kal. Decemb. An. MDCC
LXXXVI creatus est Cappellanus Major. Is Ariani
natus XII Kal. Decemb. Ann. MDCCII, patrem habuit
Philippum Tribunum Exercitus Philippi V. Iuve-
nis Canonicatum in patria est adeptus. A Rege
Carolo Borbonio R. Cappellanus dictus, Longobar-
di

dico bello Neapolitani exercitus Vicar. General. fuit electus. Ex bello reversus pensionem ex Ecclesiae Monopolitanae redditibus obtinuit, anno, quo MDCCXLVII Episcopus Uxentinus renunciatus fuit. Postquam inauguratus est Ferdin. IV a Regni Proceribus iusjurandum fidelitatis exegit. Deinde VII Cal. Julii An. MDCCLXVIII ad Ecclesiam Stabiensem est translatus, retenta Abbatia S. Mariae de Miro in Lupiensi Dioecesi sita, auctus inde decore S. Clementis Casauriensis. Hierosolymitani quoque Ordinis fuit insignitus. E vivis excessit. Non April. An MDCCCLXXXVII ac sepultus est in Sacello Sodalitii Spirit. S.

LII. Fr. Albertus Capobianco natus est Brundusii An. MDCCVIII. PP. Praedicatorum Ordini adscriptus, multum in eo pietate ac doctrina enituit, quare ab Archiep. Neap. Cardinali Sersale Philosophiae Professor in Gymnasio Archiep. delectus est. An MDCCLXVII, Rhegiensem Eccles. regendam suscepit, quam pluribus affecit beneficiis in horribili praesertim terraemotu quo An. MDCCLXXXIII Calabria quassata est. Anno MDCCLXXXIX creatus est R. Sacel. Minister. Eo rogante Abbatia Bantii R. Cappellae adjuncta est, illiusque administratio in perpetuum Cappellani

lanis Majoribus commissa. Mortuus est An. MDCC-
XCVIII, atque in Eccles. S. Dominici sepultus.

LIII. Fr. Augustinus Gervasius Montorii natus II. Kal. Febr. Anno MDCCXXX acri, sollertique ingenio praeditus, in Coenobio S. Augustini ad Siclam Ordinis Augustiniani regulam professus est, ubi etiam Fratres suos disciplinas sacras docuit. Vindobonam accitus ad tradendam Theologiam in ejus Urbis Gymnasio, ibi Universam Theologicam scientiam in IV Volumina distribut. edidit. Sed elapso Quinquennio, cum illius regionis coelum minus salubre esset expertus, veniam Neapolim redeundi petiit, eamque impetravit, pensione quoque auctus, et Theologus Imperialis designatus. Ab Augusta M. Theresia Reginae Carolinae filiae commendatus An. MDCCLXX Callipolitanus Episcopus electus, inde An. MDCCLXX. Melphiensis Ecclesiae Administrator creatus, tum An. MDCCXCII Campanus Archiep. factus, postremo R. Eccl. Antistes. Haec ab eo in Campana Dioecesi gesta accepimus. Aedes, quas habitaverant olim Virginiani Monachi, quaeque Episcopio proximae erant, ac simul ejusdem Coenobii reditus, annuente Rege, Seminarii usui addixit. Metropolitani Templi frontem restauravit, statuisque SS. Patronorum ex-

me-

navit. Archiepiscopales aedes refecit, et praecipue concla-
navit. Archiepiscopales aedes refecit, et praecipue con-
clave dictum Bellarminianum; nec non totum episco-
pium S. Mariae de Capua. Reditus quoque Mensae Me-
tropolitanae adauxit. Diem supremum obiit XVI.
Kal. April. An. MDCCCVI. ac post funeris solemnia
in Aede S. Augustini ad Sedem celebrata, in Tem-
plo Metropolitano Capuae fuit humatus.

LIV. Vincentius Calà Ursinus de Fieherea ex Mar-
chionibus Villaenovae Neapoli natus est XVII. Kal.
Augusti MDCCXLI. Educatus est in Seminario
Archiepiscopali Neapolitano, ubi ad amicitiam
Cl. Canonici Mazochii pervenit. An. MDCCXCIII
Canonicatum Cathedralis Ecclesiae et capelit.
obtinuit. Tum An. MDCCCV. ad Surrentinae Ec-
cles. Archiepiscopatum fuit evectus, postque ali-
quot Annos inter Academicos Herculanenses ad-
scitus, et varia Opuscula ad rem litterar. pertinent.
in lucem edidit. Sibi parcus, omnia sua in egenorum
subsidium, ac Dioecesis utilitatem contulit. Pluribus
vasis, aliaque supellectili Cathedralem instruxit,
atque ad reficiendas Archiepiscopales aedes decem
et septem aureorum millia impendit. Meliorem
formam in Seminarii studia induxit, ejusdemque
alumnos linguam quoque Graecam doceri jussit.
Ecclesiae Archivium in ordinem digessit, ac puel-
larum Orphanotrophium Metae extruxit. An-

no

Anno MDCCCXV inter Vviros Regno constituendo adlectus fuit, et post non multos dies R. Sacelli Antistes renunciatus. Decessit Kal. Maji An. MDCCCXVII, ejusque corpus in Cathedrale Surrenti Templum, ut testamento caverat, fuit translatum.

LV D. Gabriel Gravina Siculus e Principibus de Montevago et Ducibus S. Joannis Casinensi Familiae nomen dedit in Montis Regalis Coenobio, ubi etiam Philosophiam et Theologiam docuit. Ab Agrigentino Praesule Vicarius Generalis, et Visitator est electus An. MDCCXCIII. Episcopus Titularis Hadrianopolitanus creatus. Vicarius Capitularis Montis Regalis fuit, et post obitum Archiepiscopi Panormitani e Monreale factus est Cantor (quae est prima illius Capituli dignitas) et Vicarius Capitularis. Ab Apostolica Sede Commissarius Generalis Cruciatae in Sicilia dictus est, inde Constantiniani Ordinis Magnus Prior renunciatus, atque ad Ecclesiam Catanensem translatus, qua postea se abdicavit, cum ad Melitensem Metropoliticam Ecclesiam est evectus. R. Sacelli Antistes XVI. Kal. Januarii An. MDCCCXVIII fuit creatus, ac deinde Ordine S. Januarii, nec non Hispaniensi Carol. III. insignitus.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTISSIMI IN CHRISTO PATRIS

BENEDICTI XIV.

PONTIFICIS MAXIMI

CONSTITUTIO

SUPER JURISDICTIONE ET FACULTATIBUS CAPELLANI MAJORIS REGNI NEAPOLITANI.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

CONvenit providæ Apoſtolicæ Sedis benignitati facilem ſe, & liberalem oſtendere in gratiis, & favoribus elargiendis Chiſtianis Principibus, qui ex præclaris majorum ſuorum meritis, & ſuarum virtutum ornamentis, pietate erga Deum, devotione, & obſequio erga hanc Sanctam Sedem in coſpectu omnium ſplendere noſcuntur, piiſque eorum votis libenter annuere, quæ ad Dei gloriam, & quietem, ac tranquillitatem ſacrorum miniſtrorum procurandam conducunt, eorum præſertim, qui ſacro ſuarum Capellarum ſervitio adſcripti in Regiis Aulis verſantur, ut Chriſti fidelibus ibidem commorantibus, vel inſervientibus, Sacroſanctæ Eccleſiæ Sacramenta adminiſtrent, eoſque verbo, & exemplo ad pietatem, & religionem inſtruant, atque informent.

Sane dilectus Filius noſter Trojanus tituli S. Cæciliæ S. Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis de Acquaviva nuncupatus pro parte cariſſimi in Chriſto Filii noſtri Caroli Siciliæ, & Hieruſalem cum tota terra citra Pharum Regis Illuſtris, & Hiſpaniarum Infantis Nobis nuper expoſuit, quod a tempore, cujus memoria non exſtat, ad Capellæ Regiæ Capellanum Majorem in toto Regno Neapolitano pro tempore exiſtentem non ſolum cura ſpiritualis Regiæ familiæ, conſanguineorum, affinium, ac omnium perſonarum in Curia, ſeu Aula Neapoli exiſtente commorantium, ipſamque Curiam ſequentium pertinet; ſed & in quibuſvis Civitatibus, Oppidis, & locis in quibus Rex pro tempore exiſtens, Regiaque familia reſidere contigerit continue, vel ad tempus, curam animarum familiæ Regiæ, omniumque, & ſingularum perſonarum tam ex propriis Regnis, & Dominiis originem habentium, quam extraneorum cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis, & præeminentiæ exiſtentium, tam Eccleſia-

ſtico-

ſticorum, quam ſæcularium, (Archiepiſcopis & Epiſcopis exceptis,) & inſuper omnium militum, & Officialium, aliarumque perſonarum cujuſcumque ordinis & gradus in caſtris, arcibus, fortalitiis, exercitibus, nec non triremibus, navibus, ratibus, aliiſque hujuſmodi maritimis lignis Regio famulatui inſervientium & militantium, exercere, earumque Rector in ſpiritualibus nuncupari, eaſque corrigere, & viſitare, ac in eaſdem omnimodam juriſdictionem ordinariam, omnia & ſingula alia, quæ Archiepiſcopi & Epiſcopi, ac alii locorum Ordinarii in Diœceſibus ſuis de jure vel conſuetudine, aut alias quomodolibet facere, & exercere conſueverunt, idem Capellanus in prænominatas perſonas non ſolum in Regia Capella, & palatio, ſed in omnibus aliis ſupranominatis ac deſignatis locis exercere, vel per ſe, vel per alios Miniſtros, & Capellanos a ſe deputatos ſolet.

Cum autem ex hujuſmodi facultatum uſu, & eſercitio plura dubia, queſtiones, & diſſidia inter Archiepiſcopos, & Epiſcopos Regni Neapolitani, & prædictum Capellanum Majorem exorta fuerint, quæ adhuc vigent, & graviora in diem non ſine fidelium ſcandalo timeri poſſunt, nomine prædicti Caroli Regis pro eximia ſua pietate hujuſmodi malo congrua adhibere remedia cupientis ſuplicavit, ut omnes & ſingulas facultates, jura, & prærogativas in quaſcumque perſonas, & in quibuſvis locis, Capellano Majori totius Regni Neapolitani pro tempore exiſtenti ex antiqua & immemorabili conſuetudine, vel etiam ex indulto, & privilegio Sedis Apoſtolicæ, vel alia quacumque ratione competentes, noſtræ confirmationis robore communire, eaſque nominatim, & expreſſe deſignare, earum terminos, & limites præſcribere, & definire, & quatenus opus ſit, de novo rurſus concedere, & elargiri dignaremur, atque alias ſalubriter providere ad tollendas omnes controverſias, & diſſenſiones abolendas, prout in Domino conſpicimus expedire.

Nos, qui de præmiſſis omnibus ſufficienter inſtructi ſumus, ſupplicationibus prædicti Caroli Regis humiliter Nobis a prædicto Cardinali de Acquaviva porrectis inclinati, & laudabili ejus deſiderio, & commendabili pro pace, & concordia inter ſacros miniſtros retinenda, fovendaque ſtudio ſatisfacere volentes, eumque gratiis, & favoribus proſequi ſingularibus cupientes, etiam omnium diſputationum, & jurgiorum cauſſas prorſus eliminare, ac periculis, quæ exinde fidelium animabus imminere poſſunt, opportune occurrere; & præterea dirigentes conſiderationis noſtræ intuitum ad perſonam Venerabilis Fratris noſtri Cœleſtini Archiepiſcopi Theſſalonicenſis moderni Capellani Majoris in toto Regno Neapolitano, ejuſque ſucceſſorum, quos a provida dicti Caroli Regis, & Hiſpaniarum Infantis, ſuorumque in prædicto Regno ſucceſſorum vigilantia, & prudentia ei non abſimiles electum iri minime dubitamus, in ejus, eorumque probitate, zeloque Divini cultus, & in rebus Eccleſiaſticis peritia ac ſcientia, recte ac prudenter hujuſmodi facultatibus, Indultis, Privilegiis, Gratiis, & Conceſſionibus ad decorem domus Dei, & animarum ſalutem uſuros eſſe, minimeque in ſubverſionem Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & perturbationem Epiſcopalis juriſdictionis abuſuros, certo cofidimus, & in Domino obſecramus. Propterea abrogatis in futurum, & penitus ſubmotis quibuſcumque, quæ contra & preter præſentium tenorem hactenus quomodolibet obſervata, vel prætenſa fuerunt, ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtra, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitu-

nitudine, adhibito etiam nonnullorum Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio, tenore præſentium volumus, & decernimus.

I. Ut Regia Capella in Regali Palatio Neapoli exiſtens omnia & ſingula jura, & prærogativas, excepto tamen jure aſyli, quibus publicæ Eccleſiæ fruuntur, habeat, ac potiatur, in eaque liceat Divina Officia, horaſque Canonicas ad Breviarii, ac Miſſalis Romani regulam, & formam, Romanumque morem, & uſum recitare, & Miſſas per unam horam ante auroram, & unam poſt meridiem celebrare, ſeu recitari, & celebrari facere; in eaque Sacram Euchariſtiam in Sacra Cuſtodia, ſeu Tabernaculo decenter, & cum debito honore, & veneratione retinere; illamque pro gratiarum actione, vel ad Divinam opem implorandam, vel pro alia quacumque neceſſaria cauſa, & in Feſto Corporis Chriſti, & per totam ejus octavam publicæ fidelium venerationi exponere, & in uno ejuſdem octavæ die circum eamdem Capellam proceſſionaliter deferre; in quinta autem, & ſexta Feria majoris hebdomadæ Sacrum Domini Noſtri Corpus, in Sacra Cuſtodia, ſeu urna reponere, & pro religioſo Eccleſiæ more monumentum, ſepulturamque ejuſdem Chriſti Domini, luminibus adhibitis, repræſentare. Præterea non ſolum in eadem Regia Capella, ſed in omnibus Capellis Caſtrorum, ſeu Fortalitiorum Sacra Olea, & tempore navigationis Oleum extremæ Unctionis in Regiis triremibus, & navibus bellicis congruo honore, & reverentia ſervare, & cuſtodire.

II. Inſuper ut dictus Carolus Rex, ejuſque in Regno Neapolitano Succeſſores facultatem habeant nominandi, & eligendi Sacerdotem Sæcularem, vel Regularem ab Epiſcopo ſuo approbatum, & in Romanæ Eccleſiæ communione viventem, qui munere Capellani Majoris in toto Regno Neapolitano fungi, & pro majore officii ſui decore, habitu, ſeu veſte Prælatitia, quam in Romana Curia Prælati, ſive Regulares, ſive Sæculares geſtare ſolent, pro ſua conditione ac ſtatu uti, abſque tamen geſtatione Crucis in pectore more Epiſcoporum, niſi ſit in eadem Epiſcopali dignitate conſtitutus, poſſit; & inſuper ab omni ordinaria juriſdictione exemptus, dumtaxat Nobis & Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjectus exiſtat. Tum etiam ut eidem Carolo Regi, ejuſque in Regno ſucceſſoribus, vel eorum Proregibus, vel per ſeipſos, vel per dictum Capellanum Majorem alios inferiores Capellanos, & Scholares eligere, & deputare liceat pro ſervitio tam Regiæ Capellæ, quam pro indigentia Hoſpitalium, Militum, & Claſſiariorum, Regiorum caſtrorum, ſeu arcium, exercituum, triremium, navium, aliorumque hujuſmodi Lignorum maritimorum actu, & revera Regi inſervientium, dummodo tamen perſonæ eligendæ ſe de nullo crimine inquiſitos eſſe, teſtimoniales literas ſuorum reſpective Ordinariorum, ac Superiorum exhibeant. Hujuſmodi vero omnes Clerici, & Sacerdotes Regio ſervitio adſcripti, eo durante, a Locorum Ordinariorum juriſdictione prorſus exempti, ſolum præfato Capellano Majori ſubjecti ſint, quemadmodum per præſentes exemptos, & reſpective ſubjectos eſſe declaramus. Itaque idem Capellanus Major omnes, & ſingulas controverſias, lites & cauſas tam civiles, quam criminales, ſeu mixtas, atque etiam beneficiales, exceptis tamen cauſis hæreſis, tum omnes cauſas excipimus a Sacris Canonibus, & Apoſtolicis Conſtitutionibus Summo Pontifici privative reſervatas, contra dictos Capellanos, Clericos, & Scholares dictæ Capellæ in ea actu ſer-

 vien-

vientes, nec non in dictis Caſtris, Arcibus, ſeu Fortalitiis, aliiſque locis conſtitutos Clericos, & Capellanos ibidem & actu inſervientes, extra tamen Romanam Curiam, motas, vel movendas, tam in prima, quam in ſecunda, & tertia inſtantia audire, cognoſcere, fineque debito, omni appellatione remota, pro juſtitia terminare poſſit; ita tamen ut a dicto Carolo Rege, ejuſque in Regno ſucceſſoribus loco Ordinarii Aſſeſſoris alii novi Conſultores tam in ſecunda, quam in tertia inſtantia, ſinguli in ſingulis, eo modo, qui nunc ſervari ſolet, niſi gravitas cauſæ plures in qualibet inſtantia eligendos exigat, deſtinentur: & quicumque locorum Ordinarii, aut alii Judices nec eidem Majori Capellano inhibere, nec in prædictos inferiores Capellanos, Clericos & Scholares in eadem Capella actu ſervientes, ac alios in eiſdem Fortalitiis conſtitutos, & conſtituendos, & ibi reſidentes, & actu inſervientes Capellanos, & Clericos, tanquam ab illorum juriſdictione prorſus exemptos, & totaliter liberatos, & dicto Capellano Majori dumtaxat immediate ſubjectos, ullam penitus ſuperioritatem, dominium, & juriſdictionem prædictis reſpectibus exercere, aut ſe de illis quomodolibet intromittere valeant; ſed prædicti Capellani, Scholares, & aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ ejuſdem Capellæ, & Fortalitiorum, exercituum, triremium, & locorum hujuſmodi coram eodem Capellano Majori, ſeu ab eo Subdelegato Judice dumtaxat in omnibus cauſis tam motis, quam movendis extra Romanam Curiam de juſtitia reſpondere teneantur.

III. Ad hoc vero, ut præfatorum exemptorum numerus in immenſum, & plus, quam oportet, non augeatur, & nimium præjudicium inferatur juriſdictioni Ordinariorum, eidem Capellano Majori vigore ſuarum facultatum non liceat alios Clericos, & Capellanos deſignare, & deputare, niſi eos, qui actuali ſervitio Eccleſiarum, Exercituum, Regiarumque navium neceſſarii ſunt; qui in Caſtris, ſeu Fortalitiis totius Regni ejuſque pertinentiis duo, aut tres in unoquoque Caſtro, ſeu Fortalitio eſſe debeant. In Exercitibus autem, Triremibus, Navibus, aliiſque Lignis maritimis, quæ Regi actu inſerviunt, itemque in Hoſpitalibus militum, & Claſſiariorum illi ſolum, qui non modo actu inſerviunt, ſed etiam ſtipendia a Rege percipiunt. In Capella autem Regia, & in Caſtris, ſeu Fortalitiis in Civitate Neapolitana exiſtentibus ſolum Capellani, Scholares, & Clerici, qui actu ſerviunt; ita tamen, ut Scholarium numerus actu Regiæ Capellæ inſervientium ultra decem, & Eccleſiæ Parochiali S. Sebaſtiani ultra quatuor non egrediatur; omnium autem aliorum Capellanorum, & Clericorum, comprehenſis etiam Capellanis honorariis, numerum nonaginta, ita ut omnes Capellani, Scholares, & Clerici Regiæ Capellæ ſervitio addicti, Caſtrorum, ſeu Fortalitiorum Urbis Neapolitanæ, ejuſque adjacentium, connumeratis etiam Capellanis honorariis, centum numerum non excedant: præter quem numerum ſi eidem Carolo Regi, ejuſque Succeſſoribus alios addere neceſſarium viſum fuerit, id ſpeciali dumtaxat ipſius Regis reſcripto fiat, in cujus pietate, eorumque Succeſſorum certam fiduciam habemus, ſi opus fuerit, ſeligendos fore probos Eccleſiaſticos viros, literas teſtimoniales ſuorum reſpective Ordinariorum, ut præfertur, habentes, qui morum probitate aliis ædificationi, eſſe poſſint, & eo tantum numero, qui ad Divinum cultum promovendum, & ad inſerviendum Regiæ devotioni, & pietati neceſſarius omnino, & conveniens reputabitur; & ulterius cu-

cujuslibet additorum nota Curiæ Archiepiſcopali eam requirenti per Capellanum Majorem ſtatim, ac ſine ulla mora, & dilatione tradatur.

IV. Præterea volumus, & conſtituimus, quod ad eumdem Capellanum Majorem pro tempore exiſtentem pertineat directio, & ſuperintendentia circa celebrationem Divinorum Officiorum, aliarumque Eccleſiaſticarum functionum, quæ in eadem Regia Capella peragi conſueverunt, & tam in ipſa, quam in Eccleſia Sancti Sebaſtiani, ſita in Arce, ſeu Caſtronovo, etiamſi Epiſcopali dignitate non ſit inſignitus, mitra, anulo, & baculo paſtorali, ac aliis Pontificalibus inſigniis hujuſmodi uti, nec non ſolemnem benedictionem poſt miſſarum, veſperarum, matutinorum, & aliorum Divinorum Officiorum ſolemnia ſuper populum tum intereſſentem impertiri, & ducentorum dierum, ſi præſens Rex aut Regina fuerit, ſi autem Prorex, centum dierum, de injunctis ſibi, aut quomodolibet debitis pœnitentiis indulgentiam, & remiſſionem ab omnibus fidelibus ibi præſentibus vere contritis & confeſſis conſequendam auctoritate Apoſtolica concedere, & publicare poſſit: In aliis vero Eccleſiis, niſi coram Rege, aut Regina, aut Prorege, & dummodo Epiſcopus loci in eadem Eccleſia præſens non adſit, qui per ſe ipſum ea peragere deſideret, ac velit, & inſuper in Cathedralibus, & Metropolitanis, niſi ab Ordinario licentia obtenta, Pontificalia exercere nequeat.

V. Liceat autem eidem Capellano in quibuſcumque Collegiatis, Parochialibus, & aliis inferioribus Eccleſiis Sæcularibus, & quorumvis Ordinum Regularibus, etiam Monialium in eodem Regno conſtitutis, non autem in Eccleſiis Cathedralibus, ſeu Metropolitanis, niſi de expreſſa ſuorum Ordinariorum licentia, ad quas eumdem Regem, vel Reginam, aut Proregem pro tempore exiſtentem devotionis, aut alia ex cauſa declinare contigerit, per ſe, aut alios Capellanos cum Scholaribus, & Capellæ prædictæ Miniſtris Divina Officia, & Miſſas tam privatas, quam ſolemnes celebrare, aut celebrari facere.

VI. Quotieſcumque vero in eadem Regia Capella, & Eccleſia Parochiali Sancti Sebaſtiani, in aliis autem Eccleſiis cum Rex, aut Regina, aut Prorex præſentes aderunt, & Epiſcopus Loci in eadem Eccleſia præſens non reperiatur, verbum Dei annunciare opus fuerit, in ejus arbitrio ſit, quemcumque velit, & idoneum cenſuerit, Evangelii Concionatorem accerſire ſive Sæcularem, ſive Regularem, dummodo is ab hujuſmodi prædicationis officio, ſi Sæcularis ſit, a ſuo Ordinario, & ab Epiſcopo Loci, ſi vero Regularis, a ſuo Superiore Regulari ſuſpenſus, & interdictus non fuerit; ſed in Eccleſiis, & Capellis ejus juriſdictioni ſubjectis, in quibus Rex aut Regina præſentes non aderunt, idem Capellanus Major Concionatorem eligat, qui tamen alias per Epiſcopum, ſi Sæcularis fuerit, ſi vero Regularis, etiam per ejus Superiorem Regularem ad verbum Dei prædicandum approbatus ſit, ac licentiam, vel benedictionem juxta Concilii Tridentini decreta ab ipſo Ordinario obtinere teneatur.

VII. Si vero Capellanus Major ſit in Epiſcopali, ſeu Archiepiſcopali Dignitate conſtitutus; prædictis Scholaribus Regiæ Capellæ, & Eccleſiæ Parochialis Sancti Sebaſtiani dumtaxat conferre primam tonſuram, ac deinceps ad omnes Ordines minores, atque etiam ad Ordines majores, ſeu Sacros juxta Sacrorum Canonum præſcripta, & Apoſtolicarum Conſtitutionum regulas promovere; ſin minus, datis

 lite-

Digitized by Google

literis teſtimonialibus ſuper eorum ætate, vita, & moribus, titulo ordinationis, & idoneitate ſcientiæ eos remittere ad proprios Ordinarios ab ipſis promovendos: Si autem non ſint Epiſcopi, aut ordinationes non habeant, a quocumque alio Epiſcopo in Regno Neapolitano exiſtente, dummodo non ſit Epiſcopus Titularis, & prænominati Scholares habeant omnes, & ſingulas qualitates Clericis promovendis in Regno Neapolitano præſcriptas in noviſſimis Concordatis inter Sedem Apoſtolicam, & dictum Carolum Regem, & inſuper in ſupradicta Regia Capella, aut Eccleſia Parochiali Sancti Sebaſtiani per triennium continuum actu inſervierint: præterea per ſe, aut alios a ſe deputatos ejuſdem Regiæ Capellæ Capellanos, Scholares, & Clericos, qui propter violentam manuum injectionem in alios Clericos, citra tamen membrorum mutilationem, aut enormem læſionem, ſententiam excommunicationis incurrerint, & hujuſmodi ſententia ligati Miſſas, & alia Divina Officia, non tamen in contemptum clavium, celebrando, irregularitatem aliquam contraxerint, ab eadem ſententia excommunicationis, injuncta eis pro modo culpæ aliqua pœnitentia ſalutari in forma Eccleſiæ conſueta, abſolvere, & ſuper irregularitate prædicta diſpenſare, omnemque inhabilitatis, & infamiæ maculam, ſive notam per eos propterea contractam abolere libere, ac licite poſſit, & valeat, & reſpective poſſint & valeant.

VIII. Inſuper ut idem Capellanus Major pro tempore exiſtens Regum, Reginarum, ac Filiorum, & ſingulorum utriuſque ſexus ipſorum Familiarium, ubicumque Rex, aut Regia Curia, ſeu Aula fuerit, etiam ruri recreationis cauſa, qui eis actu inſervientes ſint, & eorum impenſis, uti familiares continui commenſales, viventes, & aliorum omnium, qui in Regio Palatio, & viridario, & in navali, ſeu interiori portus parte, vulgo *Darſena*, & in Caſtris, ſeu Fortalitiis clauſis Neapolitanæ Civitatis, ejuſque adjacentiis, nempe in Caſtro Novo, in Caſtro Ovi, & in Caſtris S. Herami, Bajæ, & Hiſchiæ, & in omnibus aliis locis ſupra nominatis ejuſdem Capellani juriſdictioni ſubjectis morantur, & degunt, donec, & quouſque in iiſdem locis commorentur, animarum curam gerat æque, ac ſi eorum Rector, & proprius Parochus exiſteret, & per ſe, vel alium, ſeu alios Preſbyteros Sæculares, vel quorumvis Ordinum Regulares de Superiorum ſuorum licentia, prævio tamen examine ab eodem Capellano Majori approbandos, & ſalva Regi, & Reginæ facultate eligendi ſibi proprium Confeſſarium arbitrio ſuo ex Preſbyteris ab eodem Capellano Majori approbatis, ſupradictorum omnium confeſſiones audire, eiſque Sacramenta adminiſtrare etiam in mortis articulo; & tempore interdicti eorum corpora Eccleſiaſticæ tradere ſepulturæ, dummodo ipſi cauſam interdicto non dederint, neque per eos ſteterit, quo minus interdicto pareatur.

IX. Matrimoniis etiam celebrandis, factis tamen prius denunciationibus, ſeu proclamationibus a Concilio Tridentino requiſitis, ſi uterque contrahens in locis præſignatis habitent, & morentur; Si vero mulier ibi domicilium non habuerit, denunciationes, ſeu proclamationes pro parte mulieris fiant, & matrimonium celebretur in Parochiali Eccleſia, intra cujus fines ipſa mulier commoratur; ſi autem aliqui ex prædictis Exteri fuerint, capta prius per loci Ordinarium informatione, ac ab eodem decreto gratis obtento, quod inter eos licite matrimonium celebrari valeat, ſimiliter idem Capellanus Major,

vel

Digitized by Google

vel alius, ſeu alii ab eo deputandi, nulla alterius Parochi licentia requiſita, ſolemniter intereſſe; inſuper filios infantes in iiſdem locis natos, necnon Judæos, ſeu Turcas, ſufficienter tamen prius cathechizatos, quos in eorumdem Regum præſentia ex quavis cauſa baptizari oportuerit, aut prædicti Reges tenere, ſeu ſuſcipere voluerint, baptizare; ita tamen, ut baptizatorum, Parentumque, ac Compatrum, & Commatrum, necnon Matrimonio ſimul junctorum nomina deſcribantur in libro, quem idem Capellanus Major, vel quiſque Capellanus curatus in ſingulis prædictis locis habere, & penes ſe retinere debeat, ex quo ad omnem Ordinariorum locorum, & partium requiſitionem fides, ſeu atteſtationes in forma ſolita tradantur.

X. Capellanos, & Presbyteros juxta numerum, ac modum ſupra ſtabilitum, ad audiendas Confeſſiones pro militaribus copiis tam Regis propriis, quam auxiliaribus, tam in Regno utriuſque Siciliæ, quam extra, ubicumque ab eis iterfaciendum, vel morandum eſſe contigerit, tum etiam pro ſervitio triremium, & Regiarum navium, & perſonarum in eis exiſtentium deputatos, prævio examine, cæteriſque ſervari ſolitis, approbare, & omnia Parochialia Sacramenta exiſtentibus militibus in actuali itinere, & expeditione contra hoſtes, per eoſdem adminiſtrari facere. Si autem milites in ſtationibus ſint, præfati Capellani exhibere teneantur literas patentes ejuſdem Capellani Majoris ſuper eorum approbatione locorum Ordinariis, ſeu eorum Vicariis Generalibus, ſi præſentes adſint; ſi vero abſentes, Parochis, in quorum Parochiis caſtra, ſeu ſtationes militum prædictorum poſitæ ſunt, a quibus licentia parochialia munera peragendi impetiri, & nullatenus, iiſdem literis inſpectis, denegari poſſit: Matrimonia autem coram Parocho loci cum interventu Capellani militum celebrentur, & quoad alia omnia Sacramenta, & functiones parochiales peragantur a Parochis locorum, dummodo vocati intereſſe non recuſent; Si autem adeſſe noluerit, liceat Capellano militum eaſdem functiones obire cum dimidia parte emolumentorum, quæ de jure integra ad Parochum loci ſpectarent; eademque omnia pro militibus ſtationariis præſcripta, quoad milites in caſtris, ſeu Fortalitiis Regni non clauſis exiſtentes, & proprium Parochum non habentes, omnino ſerventur.

XI. Eoſdem autem milites, ac Officiales, tempore tamen actualis expeditionis dumtaxat belli actu exiſtentis contra hoſtes, a crimine hæreſis, apoſtaſiæ a fide, vel per ſe, vel per alios abſolvere, ea tamen lege & conditione, ut hujuſmodi facultas in Italia, ejuſque Inſulis adjacentibus, quoad eos dumtaxat locum habere debeat, qui nati ſunt in locis, ubi hæreſis impune graſſatur, nec umquam errores judicialiter abjuraverint, vel Sanctæ Romanæ Eccleſiæ reconciliati fuerint.

XII. Omnibus inſuper perſonis utriuſque ſexus in militaribus copiis exiſtentibus, dum actualis expeditio contra hoſtes habetur, tam quadrageſimalibus, quam aliis anni temporibus, & diebus, quibus eſus carnium, ovorum, caſei, butyri, & aliorum lacticiniorum eſt prohibitus, eiſdem ovis, caſeo, butyro, & aliis lacticiniis, atque etiam carnibus, excepta tamen quoad carnes hebdomada Sancta, & omnibus diebus Veneris, & Sabbati totius anni, & ſervata forma jejunii, quatenus pro locorum, temporum, & perſonarum conditione fieri poteſt, præſcripta in noſtris literis noviſſime editis ſub datum Romæ die xxx. Maji MDCCXLI. utendi, & veſcendi licentiam impendere.

XIII. Inſuper triremibus, & navibus pro Regis uſu ac ſervitio no-

noviter conſtructis, tum etiam vexillis, aliiſque rebus hujuſmodi ad militiam ſpectantibus benedictionem in forma Eccleſiæ ſolita impertiri.

XIV. Et demum omnibus ſupranominatis perſonis utriuſque ſexus ejuſdem Capellani Majoris curæ in ſpiritualibus commiſſis, ab obſervatione diei feſti, ſi aliquod urgens opus in ſupradeſignatis locis, nempe in Regia Aula, & Palatio, in Caſtris clauſis Civitatis Neapolitanæ, in Navali, ſeu interiori Portus parte, vulgo *Darſena*, in hoſpitalibus claſſiariorum, & militum, aliiſque hujuſmodi facere neceſſe fuerit, diſpenſationem, cum obligatione tamen audiendi Miſſam, & aliquod aliud pium opus, quoad tempus, & occupatio, & perſonarum conditio ſinet, obeundi, concedere: Illos inſuper per ſe vel per alios Eccleſiaſticos Viros, probos, & prudentes viſitare, & corrigere, atque in eoſdem omnimodam juriſdictionem ordinariam, atque omnia alia, quæ pro bona animarum curæ directione Archiepiſcopi, & Epiſcopi, ac alii locorum Ordinarii in ſuis reſpective Diœceſibus facere conſueverunt, iis dumtaxat exceptis, quæ ad exercitium Ordinis Epiſcopalis pertinent, quæ in Regia Aula tantum, ubi Rex, & Regina, ſeu Prorex totius Regni moratur, & in Eccleſia Parochiali Sancti Sebaſtiani ab eo, ſi ſit Epiſcopus, peragi poſſe volumus, & conſtituimus, libere facere, & exercere; iiſdemque omnibus, & ſingulis a quibuſcumque eorum peccatis, criminibus, exceſſibus & delictis quantumvis gravibus, & enormibus, etiam Epiſcopis, & locorum Ordinariis reſervatis, de quibus ore confeſſi, & corde contriti fuerint, ſalutari pœnitentia pro modo, & gravitate culpæ impoſita, debitam abſolutionem vel per ſe, vel per alios impendere, & elargiri libere, ac licite poſſit, & valeat, auctoritate Apoſtolica, ſcientia, & poteſtate prædicta concedimus, & indulgemus.

XV. Decernentes præſentes literas, & in eis contenta quæcumque nullo umquam tempore de ſubreptionis, aut obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel alio quovis etiam quantumvis magno & inexcogitato, & ſubſtantiali defectu, etiam ex eo quod ſuper præmiſſis ſolemnitates, & alia quævis ſervanda, & adimplenda ſervata & adimpleta minime fuerint, aut ex alio quolibet capite a jure, vel facto, aut ſtatuto, vel conſuerudine aliqua reſultante, aut quocumque alio colore, vel cauſa etiam tali, quæ ad effectum validitatis prædictorum ſpecialiter exprimenda foret, notari, impugnari, aut in jus, vel in controverſiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adverſus illas reſtitutionis in integrum, apertionis oris, aut aliud quodcumque juris, gratiæ, & juſtitiæ remedium impetrari non poſſe; ſed illas ſemper, & perpetuo validas, & efficaces exiſtere, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri ac perpetuo obſervari: Sicque, & non aliter per quoſcumque Judices quavis auctoritate fungentes, etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, interpretandi, & definiendi facultate, & auctoritate, ubique, & in quacumque inſtantia, interpretari, judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane quidquid ſecus ſuper his a quocumque quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis, necnon in Provincialibus, vel Generalibus Conciliis editis conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon quibuſvis Eccleſiarum, & Monaſteriorum, & Ordinum quo-

rum-

rumlibet, atque etiam dictæ Eccleſiæ Neapolitanæ, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, conſuetudinibus, Privilegiis quoque & indultis, & literis Apoſtolicis contra præmiſſa quomodolibet editis, conceſſis, confirmatis, & innovatis; quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia ſingularis forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores perinde, ac ſi de verbo ad verbum, nil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, præſentibus inſerti foret, pro plene & ſufficienter expreſſis, ac inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie ad effectum præmiſſorum ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus derogamus, & ad plenum derogatum eſſe volumus, & declaramus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus denique, mandamus, & decernimus, quod tam ipſe Capellanus Major, quam alii ſupradicti de cætero, nullis aliis, præter quam ſupra expreſſis facultatibus, privilegiis, gratiis, & indultis, & quoad perſonas, res, loca & caſus ſupra expreſſos dumtaxat reſpective uti valeant, nec etiam aliam ipſe Capellanus Major, quam ſupra expreſſam juriſdictionem, & ſuperioritatem in Eccleſiis, & Capellis, ac perſonis hujuſmodi habere, exercere, vel vindicare, aut prætendere, etiam vigore extenſionis, ſeu comprehenſionis, ſeu etiam rationis Majoritatis, aut ſub pretextu cujuſcumque privilegii, aut indulti præſertim Leonis X. aut quorumcumque aliorum Prædeceſſorum noſtrorum, ſeu Regaliæ, aut poſſeſſionis etiam immemorabilis, & tituli ex ea reſultantis, ſcientia, patientia, & tolerantia quorumcumque Superiorum, & Ordinariorum, etiam Sedis Apoſtolicæ, roboratæ, nequaquam poſſit. Nos enim quaſcumque alias facultates, exemptiones, privilegia, gratias, & indulta per quoſcumque Romanos Pontifices, & præſertim Leonem prædictum, Prædeceſſores noſtros, ac Sedem Apoſtolicam Capellæ Regiæ Capellano Majori, aliiſque ſupraſcriptis perſonis hactenus conceſſa, literaſque Apoſtolicas etiam in forma Brevis, aut ſub plumbo, aut alias quomodolibet, & quibuſvis clauſulis, & conditionibus deſuper expeditas, motu proprio, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus perpetuo revocamus, annullamus, caſſamus, & abolemus, ac revocata, annullata, caſſa, & abolita eſſe declaramus, & quamcumque quaſi poſſeſſionem etiam immemorabilem, & centenariam & ultra improbamus; ita ut nunquam in judicio, aut extra allegari, aut ad effectum aliquem eis ſuffragari poſſint: Salvis tamen omnibus juribus, prærogativis, privilegiis, & facultatibus in Scholares, Lectores, aliaſque perſonas Regiæ Univerſitatis Studiorum Neapoli exiſtentis, tum etiam quoad cauſas, & perſonas, Rectores, ſeu Poſſeſſores nonnullorum Beneficiorum, & Eccleſiarum, vel iiſdem Eccleſiis inſervientes, quæ ad nominationem, ſeu præſentationem, aut jus patronatus Regium ſpectant, ab immemorabili tempore eidem Capellano Majori, ut aſſeritur, competentibus, quæ per præſentes neque approbare, neque eis ullatenus derogare intendimus.

Cæterum quia difficile foret, præſentes noſtras literas ad ſingula loca, ubi fortaſſe opus erit, deferri, volumus, ut earum exemplis etiam impreſſis, manu tamen publici Notarii ſubſcriptis, & prædicti Capellani Majoris ſigillo munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo

om-

omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis , privilegii , indulti , decreti , mandati , declarationis , derogationis , & voluntatis infringere , vel ei auſu temerario contraire : ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit , indignationem Omnipotentis Dei , ac Beatorum Petri , & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum . Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo primo pridie nonas Julii , Pontificatus noſtri anno primo .

P. Cardinalis Aldrovandus Prodat. = Pro D. Cardinali Paſſioneo. = Cajetanus Amatus. = Viſa de Curia. = Loco † Plumbi. = N. Antonellus . = J. B. Eugenius .

MO-

Digitized by Google

MOTUS PROPRIUS

SANCTISSIMI IN CHRISTO PATRIS

BENEDICTI PAPÆ XIV.

SUPER NONNULLIS ALIIS FACULTATIBUS CAPELLANI MAJORIS REGNI NEAPOLITANI.

BENEDICTUS PP. XIV.

NEAPOLITANA.

MOtu proprio &c. Cum alias per noſtras literas ſub plumbo, datas Romæ apud S. Mariam Majorem pridie nonas Julii, Pontificatus noſtri anno primo, ad ſupplicationem cariſſimi in CHRISTO Filii noſtri CAROLI Siciliæ, & Jeruſalem cum tota Terra citra Pharum Regis Illuſtris, & Hiſpaniarum Infantis, varias & diverſas facultates Venerabili Fratri noſtro Cœleſtino Archiepiſcopo Theſſalonicenſi moderno Capellano Majori, ejuſque ſucceſſoribus conceſſerimus, inter cæteras, ut Capellanos, & Presbyteros, juxta numerum, ac modum in iiſdem literis ſtabilitum, ad audiendas confeſſiones pro militaribus copiis tam Regis propriis, quam auxiliaribus, tam in Regno utriuſque Siciliæ, quam extra, ubicumque ab eis iter faciendum, vel morandum eſſe contingeret, prævio examine, cæteriſque ſervari ſolitis, approbare; & omnia parochialia Sacramenta exiſtentibus militibus in actuali itinere, & expeditione contra hoſtes per eoſdem adminiſtrari facere; necnon eoſdem milites ac officiales tempore actualis expeditionis a crimine hæreſis, apoſtaſiæ a fide vel per ſe, vel per alios abſolvere: omnibus inſuper perſonis utriuſque ſexus in militaribus copiis exiſtentibus, tam quadrageſimalibus, quam aliis anni temporibus & diebus, quibus eſus carnium, ovorum, caſei, butyri, & aliorum lacticiniorum eſt prohibitus, eiſdem ovis, caſeo, butyro, & aliis lacticiniis, atque etiam carnibus, exceptis tamen quibuſdam diebus, & ſervata forma jejunii a Nobis præſcripta, utendi, & veſcendi licentiam impendere: iiſdemque omnibus, & ſingulis diſpenſationem ab obſervatione diei feſti, ſi aliquod opus faciendum neceſſario fuerit, concedere: & præterea a quibuſcunque eorum peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis, quantumvis gravibus & enormibus, etiam Epiſcopis & locorum Ordinariis reſervatis, de quibus ore confeſſi, & corde contriti fuerint, ſalutari pœnitentia pro modo & qualitate culpæ impoſita, debitam abſolutionem vel per ſe, vel per alios impendere, & elargiri libere ac licite poſſit & valeat, prout latius in præfatis literis noſtris continetur; quarum tenores hic pro ſufficienter inſertis, & expreſſis haberi volumus. Cum autem poſtea a præfato Archiepiſcopo Theſſalonicenſi Nobis expoſitum fuerit, ad opportu-

nam Sacramentorum adminiſtrationem, & procurandam animarum ſalutem pro militibus in actuali expeditione contra hoſtes exiſtentibus, nonnullis aliis facultatibus, per ſe vel per alios eccleſiaſticos viros exercendis, omnino indigere; Nos animarum ſaluti, quantum in Domino poſſumus, conſulere cupientes, motu ſimili &c. eidem Venerabili Fratri noſtro Cœleſtino Archiepiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus in dicto Regno utriuſque Siciliæ Capellanis Majoribus pro tempore concedimus & impartimur infraſcriptas etiam facultates, ad noſtrum, & Sedis Apoſtolicæ beneplacitum duraturas, per ſe, vel per alium ſeu alios Sacerdotes probos & idoneos, & juxta formam in præfatis literis noſtris præſcriptam approbatos, ab eodem Capellano Majori ſubdelegandos, pro militaribus tamen copiis, tam propriis dicti Regis, quam auxiliaribus, in actuali expeditione contra hoſtes exiſtentibus dumtaxat, non autem in hibernis, aut præſidiis commorantibus, exercendas; Videlicet abſolvendi omnes & ſingulas perſonas in iiſdem copiis militaribus exiſtentes a quibuſcunque eorum peccatis & delictis, quantumvis gravibus & enormibus, non ſolum Epiſcopis & locorum Ordinariis, ſed etiam Nobis & eidem Sedi Apoſtolicæ ſpecialiter reſervatis, & reſervari ſolitis: commutandi, relaxandi, diſpenſandi, & abſolvendi reſpective, prout & in quantum Epiſcopis & locorum Ordinariis juxta Sacros Canones, & Concilii Tridentini decreta id facere licet & permittitur, quoad vota, juramenta, irregularitates, & cenſuras Eccleſiaſticas, nempe excommunicationes, ſuſpenſiones, & interdicta; necnon quoad omiſſionem omnium, ſeu aliquarum ex denunciationibus, quæ Matrimoniis perſonarum, ad prædictas copias pertinentium, & cum illis commorantium, contrahendis præmitti deberent; concedendi quibuſcunque utriuſque ſexus CHRISTI fidelibus, ad præfatas copias pertinentibus, in articulo mortis, ſaltem contritis, ſi confiteri non poterunt, necnon in Nativitate Domini noſtri JESU-CHRISTI, Paſchatis Reſurrectionis, & Aſſumptionis B. Virginis feſtis diebus, vere pœnitentibus & confeſſis, ac Sacra Communione refectis plenariam omnium ſuorum peccatorum indulgentiam & remiſſionem: ſingulis autem diebus Dominicis, & aliis feſtivis de præcepto relaxandi iis, qui ejus concionibus intervenerint, decem annos de injunctis illis, ſeu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Eccleſiæ conſueta: celebrandi Miſſam una hora ante auroram, & alia poſt meridiem, & ſi cogat neceſſitas, etiam extra Eccleſiam in quocunque loco decenti, etiam ſub dio, & ſub terra, & graviſſima omnino urgente neceſſitate, etiam bis in die, ſi tamen in priori miſſa ablutionem non ſumpſerit, ac jejunus fuerit; necnon ſuper Altari portatili, & non integro, ſeu aliqua in parte fracto, aut læſo, & ſine Sanctorum Reliquiis; ac demum, ſi aliter celebrari non poſſit, & abſit periculum ſacrilegii, ſcandali, & irreverentiæ, etiam præſentibus hæreticis, aliiſque excommunicatis: benedicendi quæcunque vaſa, tabernacula, veſtimenta, paramenta, & ornamenta eccleſiaſtica, aliaque ad Divinum cultum pro ſervitio earundem copiarum dumtaxat neceſſaria, & pertinentia; exceptis tamen iis, in quibus ſacra unctio adhibenda erit: reconciliandi Eccleſias, Capellas, & Cœmeteria, ac Oratoria quomodolibet polluta, in illis partibus, in quibus ipſæ copiæ conſederint, ſi ad locorum Ordinarios commodus non pateat acceſſus, aqua tamen prius per aliquem Catholicum Antiſtitem, ut moris eſt, benedicta, imo etiam, magna urgente neceſſitate, ut Miſ-

ſæ

ſæ Dominicis, & aliis feſtivis diebus celebrari poſſint, illa etiam a memorato Antiſtite non benedicta. Demum celebrandi Miſſam de Requiem in quocunque altari, etiam portatili, ſi aliter celebrari non poſſit, & per ejus applicationem liberandi animam alicujus ex pie defunctis dictarum copiarum, ſecundum celebrantis intentionem, a Purgatorii pœnis per modum ſuffragii. Cæterum cum facultates prædictæ ad animarum ſalutem admodum pertineant, præſentes, & deſuper conficiendas literas nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quoquam alio defectu notari, vel impugnari poſſe, ſed eas validas & efficaces fore & eſſe, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere debere, Apoſtolica auctoritate decernimus. Non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis, etiam in univerſalibus, provincialibus, & ſynodalibus Conciliis editis, vel edendis, generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, privilegiis quoque indultis & literis Apoſtolicis, quibuſvis ſuperioribus, & perſonis in genere, vel in ſpecie, etiam motu pari &c. conceſſis, approbatis, & innovatis: quibus omnibus & ſingulis, hac vice dumtaxat, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque, cum clauſulis opportunis.

Fiat. Motu Proprio P.

Et cum abſolutione a cenſuris ad effectum &c. & quod aliæ dicti Capellani Majoris conceſſiones & facultates habeantur pro expreſſis, ſeu in toto, vel parte exprimi poſſint in literis, & de conceſſione & impartitione hujuſmodi, aliiſque præmiſſis, ut ſupra latiſſime extenſis, & quod præmiſſorum omnium, & ſingulorum aliorumque neceſſariorum major, & verior ſp. & expoſitio fieri poſſit in literis per viam de Curia, ut vocant, ſi videbitur, expediendis, aut ſola præſentis ſchedulæ Motus proprii Noſtri ſignatura ſufficiat, & ubique fidem faciat in judicio, & extra illud, regula quacunque contraria non obſtante. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem IV. Idus Novembris, anno ſecundo.

Fiat P.

S. V. Motu proprio concedit Capellano Majori in toto Regno Neapolitano, ejuſque ſucceſſoribus facultates, ad V. S. & Sedis Apoſtolicæ beneplacitum duraturas, pro militaribus copiis in actuali expeditione contra hoſtes exiſtentibus dumtaxat, celebrandi in caſu neceſſitatis in quibuſvis locis; benedicendi paramenta, & alia neceſſaria ad Divinum cultum; reconciliandi Eccleſias, & Oratoria quomodolibet polluta; abſolvendi a peccatis, etiam Summo Pontifici, & Sedi Apoſtolicæ reſervatis; commutandi, relaxandi, diſpenſandi, & abſolvendi reſpective quoad vota, juramenta, irregularitates, & cenſuras; celebrandi Miſſam de Requiem in quocunque altari, & per ejus applicationem liberandi animam alicujus pii defuncti a Purgatorii pœnis; concedendi plenarias peccatorum indulgentias diverſis feſtis diebus, & præſertim in articulo mortis, omnibus utriuſque ſexus = N. Antonellus Abbreviator de Curia.

BREVE BENEDICTI XIV. AD CAROLUM EMANUELEM REGEM SARDINIÆ.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Chariſſime in Chriſto Fili noſter Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PIis *Catholicorum Regum votis, per quæ Divinus cultus augeri, & Miniſtrorum Eccleſiaſticorum, præſertim Capellarum Regiarum ſervitio adſcriptorum Status ad Dei gloriam tranquillè, & rectè, dirigi, & gubernari valeat, libenter annuimus, & aliàs diſpoſuimus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Itaque ſupplicationibus Majeſtatis Tuæ nomine nobis humiliter porrectis inclinati eidem Majeſtati Tuæ, ut Magnus Eleemoſynarius, ſive Capellanus Major Capellæ Tuæ in Epiſcopali dignitate conſtitutus, in quibuſvis Civitatibus, Oppidis, & locis, in quibus Majeſtatem Tuam prædictam, Tuamque Regiam Curiam pro tempore reſidere contigerit continuò, vel ad tempus, curam animarum Familiæ Tuæ; omniumque, & ſingularum, tam ex tuis Regno, & Dominiis originem habentium, quàm extraneorum Curialium, & dictam Curiam ſequentium, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis, ac præeminentiæ exiſtentium, tam Eccleſiaſticorum, quàm Sæcularium (Archiepiſcopis, & Epiſcopis exceptis) exercere, earumque Rector nuncupari, eaſque corrigere, & viſitare, ac in eaſdem omnimodam juriſdictionem ordinariam, omniaque, & ſingula alia, quæ Archiepiſcopi, & Epiſcopi, ac alii locorum Ordinarii in Diœceſibus ſuis de jure, vel conſuetudine, aut aliàs quomodolibet facere, & exercere conſueverunt, ac per ſe, vel alios Miniſtros ſuam juriſdictionem ordinariam exercere, necnon Miniſtros, & Officiales neceſſarios ad exercendam Apoſtolica auctoritate hujuſmodi omnimodam juriſdictionem, tam Curiæ Palatii, quàm uti Judex Capellæ hujuſmodi, & aliorum prædictorum, qui ab eo, & ejus mandato nominati exerceant eorum officia, & juriſdictionem ſuam tam in cauſis familiarium, Capellanorum ſervientium Oratorii, Capellæ Cantorum, & Miniſtrorum etiam Laicorum ejuſdem Capellæ, quàm aliarum perſonarum quarumcumque nationum Tibi ſervientium, ac Perſonarum Regalium, & Regiæ Prolis, in illos tantum, qui verè ſunt Curiales, necnon Capellanorum in ruralibus domibus, ſeu Palatiis ſuis exiſtentium nominare, necnon per ſe, aut Miniſtros ſuos Confeſſores Regulares, de licentia ſuorum Superiorum, aut ſeculares pro cura animarum dicti Palatii, & Curia etiam nominare, ac Capellanos, & Clericos ſervientes Tibi, & Domui Regali in dicta Capella, & Oratorio, ad celebrandum Miſſas, & Confeſſiones audiendas, ac verbum Dei prædicandum examinare, ſeu examinari facere, & eis id faciendi licentiam, & facultatem dare, ac etiam Prædicatores Regulares, aut ſæculares in dicta Curia, vel extra eam ad prædicandum verbum Dei in dicta Capella Regia, & Domo, ubi Tu, & tua Curia erit, itaut nullus Ordinarius loci, in quo dicta Curia, ſeu Tu, aut domus tua erit,*

erit, ſive eundo, ſive ſtando, ſive etiam recreationis cauſa, prædicationem verbi Dei impedire poſſit, convocare. Inſuper prædictus Eleemoſynarius, ſeu Capellanus Major, Cantores, & Scholares in dicta Capella pro tempore exiſtentes propter injectionem manuum violentarum inter ſe ipſos, aut etiam in Clericos de dicta Capella non exiſtentes, citra tamen membrorum mutilationem, aut enormem læſionem, excommunicationis ſententiam incurrentes, ab eadem ſententia, prævia ſatisfactione, & injunctis injungendis abſolvere, ac cum ipſis ſuper irregularitate, ſi quam hujuſmodi ſententiis ligati, Miſſas, & alia Divina Officia, non tamen in contemptum Clavium celebrando, aut illis ſe immiſcendo contraxerint, diſpenſare, omnemque innabilitatis, & infamiæ maculam, ſive notam per eos propterea contractam abolere, ac Infantes, & Turcas, ac Saracenos, qui in præſentia tua ex quavis cauſa pro tempore baptizabantur, baptizare, ac Tibi, & tuis Filiis, reliquiſque in Domo tua pro tempore ſervientibus, & reſidentibus, aut quacumque de cauſa, & qualitercumque in Regio tuo Palatio, ac in ædibus eidem Palatio annexis, & pro Familiæ, & Curialium prædictorum habitatione deſignatis, commorantibus, aliiſque dictæ Curiæ Curialibus, inter quos habeantur quicumque Tui Sanguinis Principes, etiam legitimati, ipſorumque ſoboles, & familiares, ſive ſervientes, & quos pro tempore alienigenas in Regio Tuo Palatio, aut ipſorum Principum hoſpites haberi contigerit; Item Equites Torquati Supremi Ordinis Beatiſſimæ Virginis Annunciatæ, necnon Militum Copiæ, quæ Tuæ, Tuæque Regiæ Familiæ cuſtodiæ perpetuo ſunt addictæ quocumque nomine cenſeantur, & cum iis etiam Curiales illi, qui vel ſenio, vel alia juſta de cauſa è Regio tuo ſervitio excuſantur, & generaliter eorum omnium Curialium, & hoſpitum Familiæ, atque ſervientes, qui in Regio tuo Palatio, vel Principum Tuæ Familiæ commorantur, Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, ac alia Sacramenta etiam in Feſto Reſurrectionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, abſque alicujus licentia miniſtrare, ſeu miniſtrari facere, necnon idem Eleemoſynarius, ſeu Capellanus Major, Te, & omnes Curiales, & quoſcumque alios Curiam ſequentes Tuam, ab omnibus delictis, exceſſibus, & criminibus, etiam caſibus Epiſcopalibus, injunctis injungendis abſolvere, & Interdicti tempore Eccleſiaſticæ ſepulturæ tradere, quodque pro ſe, & alios Capellanis prædictis in quacumque Eccleſia, etiam Ordinum Fratrum Minorum, ad quam Te pro tempore declinare contigerit, dummodo in ea ipſi Capellani, & Cantores Divina Officia celebrent, & cantent, oblationes etiamſi de manu Tua, Tuorumque Filiorum, ſeu Filiarum procedant, prout in dicta Capella Regia recipere, necnon quæcumque Matrimonia, quæ in præſentia tua contrahentur, ſolemnizare, ac prædictus Eleemoſynarius, ſeu Capellanus Major in Epiſcopali dignitate conſtitutus tantum, ut præmittitur, omnibus, & ſingulis intereſſentibus Miſſarum ſolemniis, & verbi Dei prædicationi in Tua præſentia verè pœnitentibus, & confeſſis ducentos dies de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer in Domino in forma Eccleſiæ conſueta relaxare, utque omnium, & ſingulorum Chriſtifidelium in Curia Tua ubicumque reſidebis, continuò, vel ad tempus pro tempore commorantium, & aliorum quorumque ad ipſas Regias Eccleſias, ſeu Capellas accedentium per ſe, vel alium, ſeu alios per eum ad id deputandos a ſuo, ſi Curiales non fuerint, Ordinario approbatos, Sacramentales Confeſſiones audire, eoſque a peccatis abſolvere, injunctis eiſdem pro com-

miſ-

miſſis pœnitentia ſalutari, & aliis injungendis, necnon tam ipſe, quàm ab eo deputatus Presbyter ſæcularis, vel cujuſvis ordinis de ſuorum Superiorum licentia; & Regularis pariter a ſuo, ſi non fuerit Curialis, Ordinario approbatus, omnium, & ſingulorum in Hoſpitali Tuæ Curiæ exiſtentium, aut aliter in ipſo Tuo Palatio ægrotantium Confeſſiones ſimiliter audire, eiſque Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtrare, & in mortis articulo omnium peccatorum ſuorum abſolutionem injunctis pariter injungendis impendere, ac Parochialem Eccleſiam viciniorem Palatio, ubi Te pro tempore morari contigerit, & ſi fuerint duæ Parochiales Eccleſiæ æquè vicinæ dicto Palatio, alteram, quam maluerit eligere, aut ſi qui Curiales in Palatio non degant, Parochialem Eccleſiam illorum habitationi viciniorem, in eaque tam Eleemoſynarius, ſeu Capellanus Major, quàm perſona ab eo ad animarum curam deputanda liberè ingredi, & exindè Sacramenta prædicta accipere, & ſibi ſubditis miniſtrare, ac ad infirmos Tuæ Curiæ deferre, & Monitiones Matrimoniales ſuorum ſubditorum juxta decreta Concilii Tridentini publicari facere, eoſque Matrimonio, ſine tamen præjudicio Jurium Parochalium, conjungere. Præterea ſi eidem Eleemoſynario, ſeu Capellano Majori videbitur, conſiderata decentia, & neceſſitate, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, & extremæ Unctionis in Capella Regia, ut ad Infirmos, & Infirmas in dicto Palatio exiſtentes commodius deferatur, & multis incommodis, quæ aliàs naſci poſſent, obvietur, reponere liberè, & licitè, & abſque ullo conſcientiæ ſcrupulo, aut Cenſurarum Eccleſiaſticarum incurſu valeat, licentiam, & facultatem auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Ad hæc, quicumque locorum Diœceſani, & alii Ordinarii Judices in Majorem, & Capellanos, Cantores, & Scholares prædictos actu inſervientes, & conſueta ſtipendia percipientes, quos ab illis prorſus, & omninò eximimus, & totaliter liberamus, & quoad Majorem Sedi Apoſtolicæ immediatè, quò verò ad alios Capellanos, Cantores, & Scholares hujuſmodi dicto Eleemoſynario, ſeu Capellano Majori ſubeſſe decernimus, penitus, nullam ſuperioritatem, dominium, & juriſdictionem exercere, nec ſe de illis quomodolibet intromittere valeant, ſed præfati Capellani, Cantores, & Scholares coram ipſo Eleemoſynario, ſeu Capellano Majori, ſive Legatis, aut Delegatis dictæ Sedis dumtaxat teneantur de juſtitia reſpondere. Inſuper ut Capellani, Cantores, & Scholares ſervientes præfati a quocumque, quem maluerint Catholico Antiſtite gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habente Ordines ſacros ſtatutis ad id à jure temporibus, ſervatà tamen formà Conſtitutionis fel. rec. Innocentii Papæ XII. Prædeceſſoris noſtri quoad litteras dimiſſoriales, quæ incipit: Speculatores &c. *ſucceſſive accipere, dictique Capellani etiam Religioſi, ſeu Regulares, Miſſas, horas Canonicas, & Divina Officia etiam Te abſente, juxta tamen ritum Romanæ Curiæ etiam in dicta Capella, & in dicta Capella tantum, tam alii Capellani, Cantores, & Scholares dicere, recitare, & canere, eaſdemque horas Canonicas ex cauſa tamen, & infra diei terminum, ac privatim, non autem in ipſa Capella anticipare, & poſtponere, ac in Feſto Sanctiſſimi Corporis Chriſti, & per ejus Octavam Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in eadem Capella, debitis tamen cum honore, & reverentia tenere, ac in quinta, & ſexta Majoris hebdomadæ Feriis idem Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in dicta Capella, in Sacrario, ſeu Urna reponere, & ad morem Patriæ Mo-*

Monumentum, ſeu Tumulum nuncupatum cum luminaribus facere, & tenere, necnon coram Te Miſſas etiam antequam luceſcat dies, circa tamen diurnam lucem, & per unam horam poſt meridiem celebrare, quodque perſona loco Eleemoſynarii, ſeu Capellani Majoris, ut infra deputanda, nec non triginta ex Capellanis prædictis, non tamen Præbendas Theologales, & Pœnitentiales obtinentes, fructus, redditus, & proventus quorumcumque Beneficiorum ſuorum Eccleſiaſticorum, etiamſi Canonicatus, & Præbendæ, Dignitates, Perſonatus, adminiſtrationes, vel Officia fuerint, cum ea integritate, diſtributionibus quotidianis exceptis, percipere poſſint, cum qua illos perciperent, ſi in eiſdem Eccleſiis perſonaliter reſiderent, nec ad reſidendum interim in eiſdem teneantur auctoritate, & tenore ſimilibus etiam concedimus. Inſuper, ut Chriſtifideles Curiales Tui de licentia ipſius Eleemoſynarii, ſeu Capellani Majoris dumtaxat quemcumque idoneum Presbyterum ſæcularem, vel cujuſvis Ordinis Regularem approbatum ab Ordinario, ſi Curialis non fuerit, in ſuum poſſint eligere Confeſſarium, qui eorum Confeſſionibus diligenter auditis, eos a peccatis abſolvere, & pro commiſſis pœnitentiam ſalutarem, & alia injungenda injungere, & Sacramenta prædicta etiam in die feſto Reſurrectionis Dominicæ miniſtrare poſſit, utque Capellani, Cantores, & aliæ Eccleſiaſticæ perſonæ deputandæ ad informationes faciendas ſuper puritate Sanguinis admittendorum in Capella hujuſmodi, Teſtes per cenſuras Eccleſiaſticas compellere poſſint juxta ſacrorum Canonum diſpoſitionem, auctoritate, & tenore prædictis pariter indulgemus; utque hæc omnia, & ſingula moderno, & pro tempore exiſtenti dictæ Capellæ Capellano Majori, ſeu Eleemoſynario quandiu, & quoties in dicta Curia perſonaliter reſederit, & eo ab eadem Curia abſente, ſeu in illa non reſidente, aut viam univerſæ carnis ingreſſo perſonæ in Presbyteratus ordine conſtitutæ per Te toties, quoties Tibi viſum fuerit, nominandæ, & per ſuum Ordinarium approbandæ, quam Nos ex nunc, prout ex tunc, poſtquam per Te nominata, & a ſuo Ordinario approbata fuerit, deputamus, & approbamus, qua durante abſentia dicti Eleemoſynarii, ſeu Capellani Majoris a Curia prædicta, aut quamdiu illi datus ſit ſucceſſor, in quibuſvis Civitatibus, Oppidis, & locis, in quibus Te, Tuamque Curiam Regiam pro tempore reſidere contigerit, omniaque, & ſingula alia, quæ Archiepiſcopi, & Epiſcopi, ac alii locorum Ordinarii in Diœceſibus ſuis de jure, vel conſuetudine, aut aliàs quomodolibet facere, & exercere conſueverunt (citrà tamen exercitium Pontificalium, ac Ordinum, & Beneficiorum collationem) exercere libere, & licite, adeoque, ſi oportuerit Subditis ſuis etiam intra vacationis annum litteras dimiſſoriales pari modo concedere, ac ipſe Capellanus Major, ſicut præmiſſum eſt, concedere poſſet, quodque omnibus, & ſingulis gratiis, favoribus, præeminentiis, & indultis, quibus dictus Eleemoſynarius, ſeu Capellanus Major, dum in tua Curia reſidet, ratione ſui Officii gaudet, fruitur, & utitur, ac gaudere, frui, & uti quomodolibet poteſt, gaudere, frui, & uti poſſit, & valeat pariformiter, & æquè principaliter, ac Tibi perſonam hujuſmodi nominandi, & eligendi plenam, & omnimodam facultatem Apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Declarantes, jus funeris, & ſepulturæ quorumcumque Curialium apud Curiam ubicumque decedentium (Archiepiſcopis, & Epiſcopis in propria reſidentia decedentibus exceptis) ipſi quoque Capellano Majori, ejuſque Vicario præ ceteris omnibus,

bus, & unicè competere, prout etiam quorumcumque in ipſo Regio Palatio, & ei adnexis ædibus prædictis decedentium: Hoc inſuper addito, ut ſi quandoque evenerit, Majeſtatem Tuam ab Urbe ſolitæ ſedis, abeſſe, nullo tempore intercidat, ſed continuò exerceri debeat eadem juriſdictio erga Regiam Tuam Familiam, perſonaſque prædictas omnes, quæ ibi permanſerint, idemque ſervetur etiam in Eccleſiis ruralibus Regiis, ubi Vice-Parochi perpetuò reſident ergà Curiales illos, qui etiam poſt Majeſtatis Tuæ diſceſſum ibi morantur, & utrobique eadem per biennium vigeat juriſdictio, ab ipſo tuo obitu, quem Deus longè avertat, & ultra ſi Sedem Apoſtolicam vacare quoque contigerit, quo Realis ſucceſſor commodius ſibi, ſuæque Familiæ, & Curiæ conſulere poſſit. Præſentes quoque literas de ſubreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, vel invalidari nullatenus poſſe, ſed illas validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere debere, ſicque, & non aliter per quoſcumque Judices quavis auctoritate fungentes, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quàvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Quocirca Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Taurinenſi, & Epiſcopo Vercellenſi, ac dilecto Filio pro tempore exiſtenti in Ducatu Sabaudiæ, & Principatu Pedemontis, noſtro & Apoſtolicæ Sedis Nuncio per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios, quoties pro parte Majeſtatis Tuæ, ſeu alicujus ex Capellanis, vel Cantoribus, & Scholaribus prædictis fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, Tibique, & illis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra Majeſtatem Tuam, ac Capellanos, & Cantores, ac Scholares prædictos præmiſſorum omnium, & ſingulorum effectu pacifice frui, & gaudere, non permittentes Majeſtatem Tuam, aut illos indebite moleſtari. Contradictores quoslibet, & rebelles per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compoſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis; non obſtantibus rec. mem. Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris itidem Noſtri, qua cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem, & Diœceſim, niſi in certis tunc expreſſis caſibus, & in illis ultrà unam Dietam a fine ſuæ Diœceſis ad judicium evocetur, & de duabus Dietis in Concilio generali editis, dummodo ultra tres Dietas aliquis auctoritate præſentium in judicium non trahatur, ac aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quibuſvis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, Indultis, & litteris Apoſtolicis per quoſcumque Romanos Pontifices, etiam Prædeceſſores noſtros, & Nos, ac dictam Sedem, etiam per viam generalis legis, ac Statuti perpetui, ac motu proprio, & ex certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, etiam cum quibuſvis, annullativis, caſſativis, reſtitutivis, præſervativis, exceptivis, declarativis, mentis atteſtativis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis quomodolibet, etiam pluries conceſſis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro ſufficienti dero-

rogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut exquiſita forma ſervanda foret, & in eis caveatur expreſſe, quod illis nullatenus derogari poſſit, illorum omnium, & ſingulorum prædictorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis, necnon modos, & formas ad id ſervandas pro individuo ſervatis habentes, hac vice dumtaxat, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, harum ſerie ſpecialiter, & expreſſe derogamus cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod præſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorsùs fides adhibeatur ubique in Judicio, & extra illud, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die xj. Auguſti 1745. *Pontificatus noſtri anno quinto, ſubſcript.*

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

527369

INDEX PARAGRAPHORUM

CAPUT I.

DE CAPELLA PALATINA Pag. 1

An Principes Ethnici ibid.
II. Et an Judæi habuerint domeſtica Oratoria 2
III. Hæc quam antiqua & uſitata apud Chriſtianos in Oriente ibid.
IV. Et in Occidente 3
V. De Oratorio Palatino Imperatorum Orientis 4
VI. Et Imperatricum 5
VII. Et Regum Francorum primæ ſtirpis 6
VIII. Capellæ vocabulum unde deductum 7
IX. De Capella Regum Galliæ 8
X. Hiſpaniæ 10
XI. Angliæ 11
XII. Luſitaniæ 13
XIII. Ducum Brigantinorum 14
XIV. Ducum Sabaudiæ 15
XV. De Capella Palatina Panormitana ſub Normannis 16
XVI. Suevis 18
XVII. Aragoniis & Auſtriacis Siciliæ Regibus 20
XVIII. De Capella Palatina Neapolitana, regnantibus Andegavenſibus 21
XIX. Aragoniis 23
XX. Et Auſtriacis Neapolitanis Regibus 24

CAPUT II.

DE CLERO PALATINO 27

I. Capellani unde dicti ibid.
II. De Clero Imperatorum Orientis 28
III. De Clero Palatino Regum Francorum primæ ſtirpis 29
IV. Et ſecundæ ſtirpis 30
V. Et tertiæ ſtirpis 32
VI. De Capellanis ſeu Eleemoſynariis Regum Galliæ 33
VII. De Capellanis Regum Hiſpaniæ 34
VIII. De Clero Palatino Normannorum Siciliæ Regum 36
IX. Et Suevorum 38
X. Et Aragonum 39
XI. Et Auſtriacorum 40
XII. De Clero Palatino Regum Neapolitanorum Andegavenſium 41
XIII. Cui plures docti viri adjungebantur 42
XIV. De numero & ſtipendio Capellanorum ſub Andegavenſibus 43
XV. De eodem Clero, regnantibus Aragoniis 44
XVI. Et ſub Auſtriacis 46
XVII. De eorum numero, & officio 47
XVIII. De Confeſſario Regis 48
XIX. De Eleemoſynario 50
XX. De Concionatore Aulico 52

CAPUT III.

DE MAGNO CAPELLANO

I. De Protopapa Palatii Imperatorum Orientis 54
II. De Archicapellano Imperatorum Occidentis 55
III. De Abbate Oratorii Palatini Regum Francorum primæ ſtirpis ibid.
IV. De Archicapellano Regum Francorum ſecundæ ſtirpis 57
V. Archicapellanus Epiſcopos præcedebat 58
VI. Quodnam fuerit ejus miniſterium ibid.

VII. De Magno Eleemoſynario Franciæ ſub Regibus tertiæ ſtirpis 59
VIII. Quænam ſint ejus munia in Aula Regum Galliæ 60
IX. Et quænam ejus partes in ſacro miniſterio 61
X. De Magno Eleemoſynario Reginæ 62
XI. De Magno Capellano Regum Hiſpaniæ ibid.
XII. Et Regum Luſitaniæ 64
XIII. Et aliorum Principum ibid.
XIV. De Magno Eleemoſynario Regum Sardiniæ, Ducumque Sabaudiæ 65
XV. Magnus Capellanus Aulicus debet ex Epiſcoporum Ordine eſſe 66
XVI. Poteſt etiam Cardinalatus honore frui 67
XVII. De Magno Capellano ſub Normannis Siciliæ Regibus 67
XVIII. Et quodnam fuerit ejus officium 69
XIX. De eodem, regnantibus Suevis 69
XX. Et Aragoniis 71
XXI. Deque ejus tunc temporis miniſterio 72
XXII. De eodem, imperantibus Auſtriacis 73
XXIII. De Magiſtro Regalis Capellæ ſub Andegavenſibus Neapolis Regibus 75
XXIV. Quæ fuerint illius munia 77
XXV. De Capellano Majore, regnantibus Aragoniis 78
XXVI. Is ex Epiſcoporum numero erat 79
XXVII. De Capellano Majore ſub Auſtriacæ gentis imperio 80
XXVIII. De variis hujuſce dignitatis titulis 81

CAPUT IV.

De Privilegiis Capellæ Regiæ, Cleri Palatini, Et Magni Capellani

I. De origine, & progreſſu privilegiorum 83
II. in Regno Neapolitano 84
III. De privilegiis ad Capellas & Capellanos Regios pertinentibus 86
IV. De hiſce privilegiis in Anglia 86
V. Et in Aula Regum Galliæ 87
VI. De iiſdem in Gallia 88
VII. Præſertim de Cleri Palatini exemptione a reſidentiæ legibus 89
VIII. De privilegiis Magni Eleemoſynarii Franciæ 90
IX. Vetera jura Capellani Majoris, & Capellanorum Regum Hiſpaniæ a Leone X. confirmata 91
X. Tum ab aliis Romanis Pontificibus aucta, & renovata 92
XI. Ea Paulus V. innovavit, auxit, ac perpetua eſſe declaravit 93
XII. Privilegia Capellani Majoris Regum Luſitaniæ 95
XIII. Et ejus Cleri Palatini 96
XIV. Privilegia Magni Eleemoſynarii Regum Sardiniæ a Benedicto XIV. conceſſa 97
XV. Dubia, & Declarationes ejuſdem Pontificis circa hæc privilegia 98
XVI. Alia itidem Dubia, & Declarationes aliæ 100
XVII. Album exemptorum in Aula Regum Sardiniæ 101
XVIII. Antiqua jura Cleri Palatini noſtrorum Principum quoad exemptionem a legibus reſidentiæ 102
XIX. Et a ſolvendis decimis 103
XX. Antiqua jura Majoris Capellani Regni Neapolitani 104
XXI. Quæ conſuetudine potiſſimum innitebantur ibid.
XXII. Quod vero iis ſæpè reluctabatur, ea confirmavit, auxitque Benedictus XIV. 105

CAPUT V.

De Facultatibus Capellani Majoris Regni Neapolitani

I. Regum noſtrorum plura ſunt in Eccleſiam merita 106

II Omnia Divina Officia celebrari poſſunt in Capella Regis, Sacramenta, & Sacramentalia aſſervari 109

III. Regibus fas eſt cuilibet Presbytero officium, juriſdictionemque Capellani Majoris committere 110

IV. Quæ loca complectitur hujus juriſdictio ibid.

V. Et quas perſonas 111

VI. Ea juriſdictio eſt ordinaria 112

VII. Ad ipſum ſpectat Clericos, Capellanoſque conſtituere pro Sacro Aulæ miniſterio, Artium, & Exercitus ibid.

VIII. Dè horum numero ibid.

IX. Deque horum exemptione ab Ordinariorum juriſdictione 114

X. Concionatores Aulici a Capellano Majore facultatem, & benedictionem accipere debent ib.

XI. Clerici & Scholares Regiæ Capellæ & Eccleſiæ S. Sebaſtiani poſſunt ab eo ad ſacros Ordinis promoveri ibid.

XII. Presbyteri ad audiendas Confeſſiones ſacramentales in Aula, Arcibus, & Exercitu ab eodem habent facultatem & approbationem 115

XIII. Horum tamen auctoritas, extendi nequit ad alia loca aliaſve perſonas ibid.

XIV. Bene vero Aulici, Militeſque poſſunt Sacramenta ſuſcipere a Presbyteris ab Epiſcopo Dioceſano approbatis 116

XV. Aulicis, & Militibus Sacramenta omnia adminiſtrare poteſt Capellanus Major, vel per ſe, vel per alios ibid.

XVI. Isdem permittere tum opera ſervilia, diebus feſtis; tum carnea cibaria, diebus jejunii 117

XVII. De facultatibus Capellani Majoris quoad milites in ſtatione ibid.

XVIII. Et quoad eoſdem dum ſunt in expeditione 118

XIX. Alia quædam privilegia addita recenſentur 119

XX. Quam ampla ſit Capellani Majoris auctoritas ibid.

CAPUT VI.

De Aliis Privilegiis Capellani Majoris Regni neapolitani

Capellanus Major eſt ſupremus Rector Gymnaſii Neapolitani 121

II. Rem litterariam ordinat 122

III. Juriſdictionem habet in Profeſſores, Auditoreſque ibid.

IV. Nulli ſine ejus teſtimonialibus litteris poſſunt conſequi Doctoris gradum 123

V. Nec ulli publice docere, neque libri edi poſſunt ſine illius auctoritate 124

VI. Sententiam dicit an Romanis Scripturis ſit concedendum Regium Exequatur ibid.

VII. Quo ordine negotium hoc abſolvatur 126

VIII. Imminet Beneficiis ſeu Eccleſiis omnibus Regii juris ibid.

IX. Quæſtiones de Patronatu Regiò, vel Feudali examinat & definit 127

X. Jus reddit in Cauſis ad hæc Beneficia ſpectantibus 128

XI. Curam habet vacantium Eccléſiarum Regii juris, idoneoſque Rectores proponit Regi ibid.

XII. Speciali modo præeſt nonnullis Eccleſiis Regiis 129

XIII. Piarum Confratriarum Regulas approbat, & quæſtiones ad illas ſpectantes decernit ibid.

XIV. In negotiis Eccleſiaſticis ad Regem delatis ſuam ſententiam dicit 130

XV. De Conſultore ejus Curiæ 131

XIV. De

Digitized by Google

XIV. De Appellatione ab hujus Curia decretis 132

CAPUT VII.

De Liturgia Palatina

De Liturgia in Oratorio Palatino Imperatorum Orientis 134
II. Ordo Divinorum Officiorum 136
III. Et celebrandæ Liturgiæ 137
IV. Et celebrandæ Magnæ Hebdomadæ 139
V. Et curandi ſtrumas in Capella Regis Chriſtianiſſimi ibid.
VI. Ordo agendi Divina Officia in Capella Regis Catholici 140
VII. Et Sacrum ſolemne celebrandi 141
VIII. Ritus, qui ibi obſervantur in Magna Hebdomada 142
IX. Ac in aliis quibuſdam feſtis 143
X. Ordo Sacrarum rerum in Capella Regis Luſitaniæ ibid.
XI. Et Sacrum ſolemniter faciendi 145
XII. Quonam ritu alii feſti dies inibi colerentur 145
XIII. Ordo Liturgiæ in Aula Luſitana, qui nunc temporis obtinet 146
XIV. Et de feſtis diebus, qui ibi celebrantur ibid.
XV. Ordo Liturgiæ in Capella Regis Sardiniæ 147
XVI. Normanni Siciliæ Reges quam fuerint Divinis Officiis addicti 148
XVII. De ritu acclamationum Regi, deque Collecta pro Rege in Liturgia 150
XVIII. De Sacris ſolemniis ſub aliis Siciliæ Regibus 151
XIX. De permiſſu agendi opera ſervilia in nonnullis diebus feſtis 152
XX. Ordo ſolemnis Liturgiæ in Sicilia, præſente Prorege 154
XX. Neapolitani Reges Andegavenſes, quam ſtuduerint celebrandis Officiis Divinis ibid.
XXII. Itidem Reges ex Aragonia familia 156
XXIII. Quo ritu ageretur ſolemnis Liturgia in Capella Palatina, regnantibus Aragoniis 157
XXIV. Et quinam fuerit ordo ſedendi, ac decantandi ſolemniter Veſperas 159
XXV. Rurſus is Ordo explicatur. ibid.
XXVI. Proregum tempore, quinam mores viguerint 160
XXVII. Ritus, qui modo obſervantur in Capella Palatina 161
XXVIII. De Regia menſa in magnis ſolemnibus 163
XXIX. De benedictione Regiæ menſæ 164
XXX. Cæremoniæ olim uſitatæ in menſa Regum Neapolitanorum 164

CAPUT VIII.

De Coronatione Regum.

Ordo coronandi Imperatores Orientis
II. De triplici coronatione Imperatorum Occidentis 168
III. Ordo hujus Coronationis 169
IV. Et Imperatricis 170
V. De Coronatione Regum Galliæ 172
VI. Ritus hujus ſacræ cæremoniæ 173
VII. Ritus coronandi Galliæ Reginam 175
VIII. De proclamatione Regum Hiſpaniæ 176
IX. Et Regum Luſitaniæ 177
X. Ordo coronandi Reges Poloniæ 178
XI. Angliæ 179
XII. Sueciæ 181
XIII. Daniæ 182
XIV. Boruſſiæ ibid.
XV. Et Imperatorem Moſchorum 183
XVI. De Coronatione Regum Siciliæ 185
XVII. De eorum Regio titulo 186
XVIII. Rurſus de eorum benedictione 187
XIX. De Coronatione Regum Neapolitanorum 188
XX. De eadem, regnantibus Andega-

gavenſibus 189
XXI. Quæ fuerint Regia inſignia Regum Neapolitanorum 190
XXII. De uſu Dalmaticæ, & lectione Evangelii in Miſſa 191
XXIII. De Coronatione Alphonſi II. Neapolitani Regis 193
XXIV. Ordo hujus Coronationis 194
XXV. De proclamatione Regum qui ſucceſſere 195
XXVI. Ordo Coronationis Caroli Borbonii Regis utriuſque Siciliæ ibid.

C A P U T IX.

De Baptismo Regum.

In Palatiis Principum Baptiſmus ſolemni ritu adminiſtrari poteſt 198
II. Ordo adminiſtrandi ſolemnis Baptiſmi in Aula Imperatorum Germanorum 200
III. De uſu miſcendi aquam Jordanis Fonti Baptiſmali 201
IV. Ordo ſolemnis Baptiſmi in Aula Regum Galliæ 201
V. De uſu Cerei & Chriſmalis in Baptiſmo 203
VI. Ritus, quo Rex Chriſtianiſſimus aliquem ſuſcipit e ſacro fonte 204
VII. Ordo ſolemnis Baptiſmi in Aula Regum Hiſpaniæ ibid.
VIII. Et in Aula Regum Luſitaniæ 205
IX. Ritus Aulæ Luſitanæ offerendi Deo natum Infantem cum aliis cæremoniis 206
X. De Baptiſmo in Aula Regum Siciliæ 208
XI. De feſtis in Regum natalibus 209
XII. Ordo ſolemnis Baptiſmi in Aula Neapolitana, regnante Carolo Borbonio 210
XIII. De titulo, quo donabantur primogeniti noſtrorum Regum ſub Normannis 211
XIV. Et ſub Suevis, aliiſque Siciliæ Regibus 212
XV. De eodem titulo ſub Andegavenſibus Neapolitanis Regibus 213
XVI. Et ſub Aragoniis, Auſtriaciſque Regibus 214

C A P U T X.

De Nuptiis Regum.

Regum Conjugia celebrari ſolent in Capella Palatina 215
II. Ordo benedicendi Nuptias in Aula Imperatorum Germanorum 216
III. Et in Aula Regum Galliæ 217
IV. Vel ſi matrimonia fuerint alibi per Procuratorem celebrata 218
V. Expenduntur nonnulli ritus nuptiales Aulæ Gallicanæ 219
VI. De Conjugiis in Aula Regum Hiſpaniæ 220
VII. Et in Aula Regum Luſitaniæ 222
VIII. De iiſdem in Aula Regum Neapolitanorum 223
IX. Ordo celebrandi Nuptias, regnantibus Aragoniis 224
X. Rurſus is Ordo deſcribitur ſub iiſdem Regibus 225
XI. Et ritus benedictionis Nuptiarum in ſolemni Liturgia 226
XII. De feliciſſimis Conjugiis Caroli Borbonii, & Mariæ Amaliæ de Saxonia: Ferdinandi IV. & Mariæ Carolinæ Auſtriacæ Regum utriuſque Siciliæ 228

C A P U T XI.

De Ritu conferendi Ordines Equestres.

Ritus inaugurandi Equites Velleris aurei in Hiſpania 230
II. Et agendi feſtum diem S. Andreæ Apoſtoli tutelaris Ordinis 231
III. De Ordine Equeſtri ſub patrocinio SS. Conceptionis nuper a Carolo Borbonio Hiſpaniæ Rege

ge inſtituto 232
IV. Ritus cooptandi Equites in hunc Ordinem 234
V. Ritus creandi Equites Spiritus Sancti in Gallia 236
VI. Et ejus ſolemnia celebrandi 237
VII. De Ordine Equeſtri Periſcelidis in Anglia 238
VIII. Et Aquilæ Nigræ in Boruſſia 239
IX. Ritus armandi Milites olim apud Neapolitanos Reges uſitatus ibid.
X. Societates Equeſtres olim a Neapolitanis Regibus conſcriptæ 241
XI. Statuta Equeſtris Ordinis Spiritus Sancti, Ludovico Tarentino Neapolitanorum Rege auctore 242
XII. Equites huic Societati adſcripti 243
XIII. Ritus creandi Socios dell' Armellino ſub Aragoniis Neapolitanis Regibus ibid.
XIV. Ritus inaugurandi ſeptem Supremos Proceres Neapolitani Regni 247
XV. De Regali Ordine S. Januarii inſtituto a Carolo Borbonio 249
XVI. Ordo creandi Equites S. Januarii 251
XVII. Et Officiales ejuſdem Societatis 252
XVIII. Et agendi feſtum diem S. Januarii 253
XIX. De Ordine Conſtantiniano 254
XX. Ritus hujuſmodi Equites initiandi 255

CAPUT XII.

De ritu præstandi Sacramenta.

De juramentis, quæ olim Epiſcopi in Gallia præſtabant 258
II. Ritus hujus cæremoniæ deſcribitur 259
III. De quibuſdam aliis ſacramentis, quæ in Aula Regum Galliæ præſtantur 260
IV. Ritus jurandi a Galliæ Regibus inita fœdera 261
V. De præſtando hominio, & juranda fidelitate Principi Aſturicenſium in Hiſpania 262
VI. Ordo hujus cæremoniæ narratur 263
VII. De ſacramento edendo a Clericis Aulæ Hiſpanæ 264
VIII. Et quo Reges Hiſpaniæ ſe obligant fœderibus cuſtodiendis 265
IX. Ritus jurandæ fidelitatis Regi Luſitaniæ 266
X. Et Regi Sardiniæ 267
XI. De hujuſmodi ſacramentis in Sicilia 268
XII. Ritus ea edendi 269
XIII. De iiſdem in Neapolitano Regno 270
XIV. Ordo juratæ fidelitatis Carolo Borbonio Regi 272
XV. De ritu, quo olim Barones fidelitatem Regi jurabant 273
XVI. Formula hodierna hujus juramenti 274

CAPUT VIII.

De sacris quibusdam aliis cæremoniis Palatinis.

De Roſa aurea a Romano Pontifice benedicta 276
II. Ritus, quo ea Summis Principibus datur 277
III. De Enſe & Pileo pariter a Romano Pontifice benedictis 279
IV. His donati fuere nonnulli Neapolitani Principes ſtirpis Aragoniæ 279
V. Ordo hujus cæremoniæ deſcribitur 281
VI. De eadem rurſus 283
VII. De Cardinalatus inſignibus ibid.
VIII. De uſu mittendi ad abſentes Cardinalatus inſignia 284
IX. Ordo hujus cæremoniæ in Gallia 285
X. Et in Hiſpania ibid.
XI. Et in Luſitania 187
XII. Et in Aula Neapolitana regnante Carolo Borbonio 289

XIII.

XIII. *Referuntur Pontificis de hac re Litteræ* 290
XIV. *Et ipſa cæremonia enarratur* 291

CAPUT XIV.

De Regum funere.

Ordo Regii funeris in Aula Imperatorum Germanorum 294
II. *Quo olim ritu ſepelirentur Reges Galliæ* 296
III. *Ordo Regii funeris in Aula Regum Galliæ* ibid.
IV. *Quas partes in hac re habeat Magnus Eleemoſynarius* 298
V. *Ordo Regii funeris in Aula Regum Hiſpaniæ* 299
VI. *Et in Aula Regum Luſitaniæ* 300
VII. *De eadem re apud Luſitanos* 302
VIII. *De Regiis funeribus in Anglia, Svecia, Polonia, Moſcovia, Boruſſia* 303
IX. *De Regum exequiis in Sicilia* 304
X. *Et in Neapolitano Regno* 305
XI. *Imperantibus Auſtriacis* 307
XII. *Et regnante Carolo Borbonio* ibid.

Biblioteca Nazionale V. E. III. Napoli

Digitized by Google

Digitized by Google

527369

Digitized by Google

Digitized by Google